ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN IV

STUDIA ET VOTA
UNIVERSITATUM ET FACULTATUM
ECCLESIASTICARUM ET CATHOLICARUM

PARS II

UNIVERSITATES ET FACULTATES EXTRA URBEM

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXI

UNIVERSITAS CATHOLICA
ANDEGAVENSIS

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE
DE L'OUEST

Angers, le 25 mai 1960

Eminence,

Par lettre en date du 18 juillet 1959, Votre Eminence a bien voulu associer l'Université Catholique au travail de préparation doctrinale du Concile Œcuménique.

Désirant intéresser nos Facultés Canoniques et Profanes dans un désir de plus ample information et de vœux plus étendus, j'ai demandé à la Faculté de Théologie à laquelle est joint l'Institut de Philosophie, d'établir un rapport spécial sur les sujets les plus aptes à retenir l'attention des Pères du Concile. Ce rapport, auquel a présidé Monseigneur *Lusseau*, Doyen de la Faculté de Théologie, est remis à Votre Eminence avec les signatures des Professeurs et Chargés de Cours de la dite Faculté.

L'enquête menée près de nombreux Professeurs des Facultés de Théologie, de Droit, de Lettres et de Sciences, ainsi que des Directeurs de nos grandes Ecoles Annexes, a permis d'établir, par les soins de notre dévoué Secrétaire, M. le chanoine *Blond,* Prêtre du diocèse d'Angers, un deuxième rapport plus général, traitant de questions doctrinales, morales et liturgiques.

Je prie respectueusement Votre Eminence d'accepter ces deux rapports, en lui demandant de bien vouloir excuser le retard apporté à cet envoi, retard causé par des questions d'ordre matériel, mais qui ne peut que souligner l'intérêt de donner à la Commission du Concile le fruit de réflexions précises et constructives.

En demandant à Votre Eminence de bien vouloir présenter au Très Saint Père l'expression filiale du respect et de la soumission du Recteur, des Professeurs et des Etudiants de l'Université Catholique de l'Ouest,

J'ai l'honneur d'être de Votre Eminence, le très dévoué et respectueux fils en N. S. et N. D.

OLIVIER RIOBÉ
Rector

DE QUAESTIONIBUS AD DOCTRINAM PERTINENTIBUS

Facta

Ex iis quae nunc sparguntur sententiis, quod indicant editi libri et periodici commentarii; quovis modo disseminatae collationes et omnis generis colloquia; traditae disciplinae a magistris vel catholicis vel ductum quaerentibus ex aliis fontibus ac ex authentica Ecclesiae doctrina, vere periculosas quotidie effervescere opiniones, ad ipsa fidei fundamenta evertenda de se aptas, facile compertum est. Sane quaedam ex illis, brevi tempore intermisso, deseruntur, sed plurimae illarum, non obstantibus vel a sacra Hierarchia vel a S. Congregatione Sancti Officii datis monitis perseveranter docentur tanquam inconcussae veritates, aut tanquam unicus modus coaevis nostris nuntia et monita Christi proponendi accipiendus. Nemini illas opiniones obiective inspicienti et cum publicis Summorum Pontificum documentis vel veritatibus a Magisterio tanquam fidei dogmatibus definitis conferenti, non patet mire in mentem revocari eas quae nefandissimis Modernismi temporibus tradebantur; num « Modernismi crisis » unquam absoluta est? Litteris Encyclicis *Humani generis* a Summo Pontifice Pio XII anno 1950 datis, gravia recensita erant pericula quae in catholica dogmata et fidem inferebantur ex nonnullis opinionibus in philosophia, in theologia, in scriptura sacra, in historia propositis; his de rebus, sapientissimae regulae in memoriam revocatae erant, quae infeliciter videntur pro nihilo ductae, cum eaedem opiniones adhuc perseveranter proponantur.

Ex alia parte, mirum in modum retusus est christianus sensus tum publico Statuum, institutionum et disciplinarum laicismo; tum multipliciter propagatis antireligiosis doctrinis, atque individualismo et subiectivismo qui sunt Protestanticae sextidecimi saeculi Reformationis et atheisticae octavidecimi saeculi philosophiae fructus; tum nimis plurium coaevorum nostrorum erga quaestiones religiosas practica negligentia; insuper, ne videantur inscii, quidquid eorum oculis occurrit legunt; quo ducant propositae in libro vel commentario opiniones non attendunt, et ab Ecclesia catholica revocatis rationibus et doctrinis a priori diffidunt; et novum non est, non sine aliqua admiratione, a catholicis magistris audire heterodoxos libros eos esse qui Scripturarum doctrinas accura-

tissime exponant; denique nimis plures catholicos, licet quosdam religiosos actus retineant, neque mente neque vitae ratione christiana imbui, ita ut practice sint athei, quotidie comperire non est arduum.

Aliquae ex periculosis opinionibus recensentur

Nunc aliquas ex istis periculosis opinionibus recensere par est. Veritatem nullo obiectivo valore frui, et similiter conceptus nostros intellectuales, ex quo deducitur dogmaticas formulas quovis obiectivo valore carere, easdemque capaces esse aliud hodie significandi ac tempore quo christianae fidei primum propositae sunt; peccatum originalem nullam habere realitatem, ob polygenismum quem recentiores paleontologicae detectiones necessarium inducunt; cuiusvis facti miraculosi speciem nullo modo discernendam in se, sed tantum ob dispositiones subiecti, verius quidem ob eius fidem; quasi deificationem hominis et eius potentiae propter eximium scientiarum progressum et miram hominis in materiam potestatem ad hoc inducere ut obliviscantur centrum mundi et religionis Deum esse, non hominem; ut praetermittant etiam humanum genus ad supernaturalem finem a Deo destinari, et negligant genuinum humanismum absque respectu ad illum supernaturalem finem concipi non posse, atque christianam institutionem non esse aliquid supererogatorii, sed in intellectuali et morali hominis institutione necessario includi; essentiali bonitate humanam naturam frui, ex qua deduci erga pueros, et etiam adultos quavis aetate adhuc instituendos, « omnium effusionem propensionum » solam spiritualem methodum adhibendam, nulla ascesi in memoriam revocante profunda originali peccato humanae naturae inflicta vulnera; ex confusione quadam parum attenta inter naturalem et supernaturalem ordinem, quodvis in proximos studium, etiamsi a pagano exhibitum aut ab homine qui iam non nisi nomine christianus est, genuinam caritatem christianam, evidenter a Christo inspiratam, habendam esse; Ecclesiam suis doctrinis adversantium opinionum diffusioni nullo modo obsistere posse; e contra quemque fideles etiam per missam dominicalem aut catechismum doctrinas docentem quam maxime Traditioni aut Magisterii decretis dissentientes, nomine libertatis non esse inquietandum; constitutionem suam successivis propensionibus et curis cuiusvis aetatis adaptandam esse Ecclesiae, nec immutabilem doctrinam imponendam. Quam minime perspicacibus mentibus, tales opiniones et his similes ad nullum alium finem tendere apparet quam ut fidelium fidem profunde perturbent.

Compertum est aliunde praedicatores modo non sufficienter conformi veritati, quod est maxime lugendum, saepissime docere, quo gravissimis

erroribus favetur; Sacrum librorum interpretationes vel in libris vel in commentariis periodicis vel in institutione alumnorum propositas et expositas, tam inter se dissimiles, et tam parum Ecclesiae doctrinis consonare videri, ut vere in aetate « liberi examinis » nos nunc simus, et fideles traditionalem in iis agnoscere fidem prorsus sint impares. Quae omnia doctrinales difficultates evidenter pariunt.

Quomodo mederi possit

Etiamsi futurum Oecumenicum Concilium « veram Ecclesiae faciem dissidentibus ostendere » et Codicem Iuris Canonici recognoscere specialiter intendat, impossibile videtur doctrinales difficultates alias alio modo non in eo evocari, cum semper Concilia proponendam fidelibus doctrinam statuere, et fidem iis credendam definire intenderint, et simul in Ecclesia emendare quidquid correctione indiget, necnon servandas canonicas leges condere aut mutare.

Perutile ergo videretur Concilium veram et genuinam veritatis notionem revocare adversus quascumque subiectivismi formas; obiectivum intellectualium conceptuum valorem, et correlative dogmaticarum formularum, adhibita analogiae proportionalitatis propriae ratione; veram peccati originalis notionem plus minusve adulteratam, propensione quadam ad polygenismum agnoscendum et ad tollendum e peccato originali originante et originato propriam naturam; veram de poenis inferni aeterni et de purgatorio doctrinam; propriam miraculi naturam, quod est factum extraordinarium, supernaturale et divinum, eiusque obiectivam discernibilitatem, independenter a dispositionibus plus minusve bonis subiecti, licet fideles et bonae dispositiones faciliorem reddant claram eius realitatis et significantis valoris perceptionem; impossibilitatem hominis efficiendi quod ab eo expostulat Deus extra eam quae de facto est humanae naturae conditionem, quae scilicet ad finem supernaturalem vocata est, et consequenter necessitatem includendi christianam educationem in intellectuali et morali hominum institutione, ut Summi Pontifices Leo XIII in Litteris Encyclicis *Immortale Dei,* et Pius XI in Litteris Encyclicis *Divini illius Magistri* ad memoriam fidelium retulerunt; audacem superbiam, quae nullo modo defendi possit, praedicatorum propriam dogmatum interpretationem tanquam veritatem ipsam proponentium, quando haec interpretatio nec cum Traditione nec cum Magisterii decretis convenit; necessitatem ad traditionalem liberatricis asceseos notionem redeundi, quae Scripturae et sanae Theologiae sola congruit; supernaturalis ordinis transcendentiam et gratuitatem, ac necessitatem naturalem ordinem cum eo non confundendi; necessitatem praedicatoribus, docen-

tibus et auctoribus librorum veritati sticte conformes necnon Traditioni et Magisterio plane consonas, doctrinas proponendi.

Circa plura hic notata, iam in suis Litteris Encyclicis vel in aliis scriptis vel in allocutionibus exposuerunt Summi Pontifices quid sentiret Ecclesia; num inopportunum optari videretur multa quae in his continentur a Magisterio extraordinario esse definienda?

De praevia librorum censura

Ad praecavendum ne periculosae opiniones circa fidem vel materias fidem aut dogma tangentes diffunderentur, summe optandum videretur Concilium solemniter declaraturum grave incumbere officium sacerdotibus quibus praevia librorum censura concredita est, per se ipsos attente, accurate et a primo ad ultimum verbum, libros et textus legendi quos ipsis examinandos tradiderint Ordinarii, et pariter ab auctoribus, nulla alia adhibita ratione quam doctrinae rectitudine et animarum bono, exigendi ut afferant emendationes quas coram Deo necessarias existimaverint ut, salva conscientia, *Nihil obstat* concedere possint.

De legibus indicis

Similiter valde optandum Concilio repetendas esse leges Indicis, ut maior eis auctoritas maiorque solemnitas conferatur. Multi enim boni catholici, cum sint insufficienter edocti, solos prohiberi libros qui S. Congregationis Sancti Officii decreto in catalogo prohibitorum librorum nominatim inscribuntur, existimant; et interdum mirantur non ibi notari quosdam libros magis noxios quam eos quos in catalogo recensitos inveniunt; nova generalium Indicis regularum promulgatio de libris sub has regulas ipso facto cadentibus peropportuna videretur; item perutile esset Sanctam Sedem per intervalla, statis temporibus, iuris publici facere album non solum librorum noviter in catalogo prohibitorum S. Congregationis decreto inscriptorum, sed etiam librorum ipso facto sub generales regulas cadentium. Quamdiu moralistarum et casuistarum interpretationi relinquuntur, generales leges periculum experiuntur ne ad irritum redigantur varias ob causas, specie caritatis in primis, « ut ostendant se homines mentis esse non angustioris et sic ad Christum attrahant », vel specie animum excolendi et se non inscium praebendi recentiorum librorum, praesertim talis vel talis auctoris celebrati operum.

Ad usum vero quod attinet prohibitorum librorum, sive quia nominatim in catalogo Indicis inscribuntur, sive quia sub generales regulas cadunt, optimum facere videretur Concilium si moneret facultatem

libros prohibitos legendi nonnisi ad eos tantum libros quibus opus est ad incepta studia extendi; nunquam vero licentiam conferre eos legendi libros qui sunt animae noxios, si nulla habeatur ratio proportionate gravis eos inspiciendi.

Multi autem optarent ut Indicis leges recognoscerentur et ad legislationem a Summo Pontifice Leone XIII edictam rediretur, quam Codex Iuris Canonici, aliquot annis postquam a sancto Pio X damnatus est Modernismus promulgatus, rigidiorem effecerat; optandum videretur simpliciter concedendam esse facultatem professoribus et alumnis classicorum auctorum tam antiquorum quam recentiorum opera legendi eisque studendi, aut theologica vel philosophica vel scripturistica vel historica, quibus eis opus esset, vel quae eis fructum afferrent lectionibus vel examinibus praeparandis, quin recurrere haberent sub condicionibus nec semper effectu facilibus nec sat certis, ad Ordinarium, de quo nescitur an sit proprius Ordinarius, vel Ordinarius dioeceseos in qua doceant vel studiis vacent, cum in ea domicilium proprie dictum non habeant.

Denique, ne de hac Indicis quaestione alibi retractemus, optandum sane videretur S. Congregationis Sancti Officii decreta, quando libros in prohibitorum catalogo inscribendos censet, humaniori modo esse referenda; exempli causa: horum librorum auctores prius monerentur de incurrenda damnatione; exponerent quomodo pervenerint ad talem et talem opinionem quae periculosa existimatur, et tunc graviter rogarentur ut damnandos libros emendarent; libris in catalogo Indicis recensitis adnumerentur opera si requisitas emendationes afferre abnuerent auctores, et in his casibus tantum.

De frequentatione universitatum et scholarum civilium a catholicis

Civilium Universitatum et scolarum frequentatio, cum exstent catholicae Universitates et collegia, gravis videtur esse quaestio cui examinandae Concilii Patres intendant summe optandum. Doctrinales enim confusiones, de quibus diximus, ex parte tribuendae videntur civilium Universitatum frequentationi a maiore numero catholicorum, et praesertim sacerdotum religiosorumque utriusque sexus.

Universitas Catholica, quaeque sit, nequit sine magna tristitia comperire et deflere quantum hac de re Sanctae Sedis documenta et decreta ignorentur et negligantur, diversas ob causas, harum nempe Universitatum loci propinquitatem, ex qua minus amplae fiant expensae; professorum famam; statutum etiam a sacerdotibus contemptum erga doctrinas

et domos quae « titulo publico » non fruantur; inscitiam et interdum verum despectum erga doctrinam Ecclesiae de iuventutis institutione, quae lectione diariorum et periodicorum commentariorum « progressistis » propensionibus faventium enutritur; spem facilius adipiscendi academicos gradus quibus opus est, cum interrogatores iidem sint ipsi professores quorum praelectionibus interfuerint alumni, et quorum mentem apte noverint; sed nemo est qui nesciat doctrinas in Universitatibus civilibus traditas saepe fidei catholicae adversari, praesertim in philosophia, in historia, in scientiis naturalibus; quae auditores in metuendum fidei discrimen saepius adducere et ad ipsam fidem deserendam per se aptae sunt.

De tota institutione catholica hic agitur: quod tam multi sacerdotes et religiosi utriusque sexus intersint lectionibus professorum qui, etsi non notorie atheistae vel marxistae vel parum reverenter se agant erga christianam fidem, attamen publice in neutris partibus sint, familias inclinat in eligendam Universitatem in qua pueri studiis vacabunt; ex altera parte adhuc de tota institutione catholica hic agitur, cum studia superiora necessario tum elementaria tum media coronent, et institutio in Universitatibus acquisita in mediis collegiis postea distribuatur. Num sit temerarium affirmare hic unam esse de causis cur fides amissa fuerit in tam multis egregiis viris diversarum nationum?

Unde maxime optandum commoneat Concilium quae in epistola die 10 septembris anni 1907, iussu sancti Pii X, Summi Pontificis ab E.mo Cardinali Merry del Val ad archiepiscopos Galliae missa, de civilium Universitatum a viris ecclesiasticis frequentia dicebantur, cum ea quae huic interventui anno 1907 rationem afferebant, iudicio nostro nostris adhuc diebus exstent:

Potiores partes semper Catholicis Universitatibus tribuendas; suis autem clericis episcopos licentiam dare lectionibus in civilibus Facultatibus propositis interesse permitti, in casu necessitatis tantum, et in quantum haec necessitas expostulat, adhibitis aliunde requisitis cautelis. Haud faciles se exhibituros in hac licentia concedenda episcopos in casibus ex se periculo magis obnoxiis ut fit in historia, in philosophia et his similibus; Rectores vero Catholicarum Universitatum clericos in Instituto cui praesunt inscriptos, qui expressam et specialem suorum Ordinariorum non habeant, has lectiones in civilibus Universitatibus frequentare non concessuros (ex *Actis Pii Pp. X*, ed. « de la Bonne presse », Paris, t. 4, p. 352).

Summe vero optandum videretur in memoriam revocaret Concilium responsum die 5 novembris eiusdem anni 1907, iussu sancti Pii X mis-

sum ab eodem Em.mo Cardinali Merry del Val ad Rectorem Universitatis Catholicae Andegavensis, tribus apertis quaestionibus circa eadem, de quibus Romam interrogaverat:

Contrarium esse Litteris Encyclicis *Pascendi* clericos, sacerdotes et religiosos Catholicis Facultatibus litterarum et scientiarum civiles anteponere Facultates, his ultimis nomen dare, earumque praelectionibus interesse, cum revera nulla necessitas exsistat, testantibus a Catholicarum Facultatum alumnis adeptis laureis;

Praeter casus raros, atque gravissimas et speciales rationes de quibus episcopi est iudicare, clericos et sacerdotes qui sunt professores in urbe in qua civiles tantum Facultates exstant, non esse in casu necessitatis de quo in epistola n. 26.051 die 10 septembris anni 1907 ad episcopos directa, neque posse Facultatibus civilibus nomen dare neque earum praelectionibus interesse;

Existimari non posse uti « rara exceptio » de qua in eadem epistola, casum collegii cuius sex septemve professores vel disciplinae domus magistri civilibus Facultatibus nomen darent earumque praelectionibus interessent (ex *Actis Pii Pp. X,* ead. edit., p. 353).

Circa doctrinam de Ecclesia

Ad doctrinam de Ecclesia quod attinet, Concilii Vaticani dogmatica constitutio *Pastor aeternus* de Summo Pontifice, simile de Episcopis opus expostulare videtur; hac de re illius generis doctrina a futuro Concilio definiatur optandum.

Difficile enim exponendum quomodo Episcopi in suam dioecesim iurisdictio, quae dicitur ordinaria (can. 329 § 1), coexistere possit cum Summi Pontificis iurisdictione in totam Ecclesiam, quae dicitur etiam ordinaria (can. 218 § 2). Encyclicae Litterae *Satis cognitum,* anno 1896 a Summo Pontifice Leone XIII datae ad operosam Anglicanae ecclesiae ordinationum validitatis absolvendam quaestionem, aperte docuerunt Ecclesiae constitutionem esse essentialiter monarchicam, episcopaleque collegium nulla auctoritate atque potestate frui posse nisi Papae unitum. Sed gubernandi rationibus quas Romana suscepit Curia amplitudine in dies crescentibus, et primatus Petri eiusque successorum eminentia tantopere a Concilio Vaticano illustrata, ad hoc forsan adducerentur non satis admonitae mentes ut episcopale collegium Romano Pontifici solum adstare, atque unumquemque episcopum in sua dioecesi solum esse Romani Pontificis legatum arbitrarentur. Revera quaenam sit ordinariae iurisdictionis episcopi origo non satis clare apparet in documentis Magisterii: an sit vicarialis tantum, a Summo Pontifice procedens? An sit im-

mediate divina, nullas alias partes habens Pontifex ac subjectum eius designet? Haec autem quaestio illi controversiae reipsa proxima est, quae sub forma originis officii episcopalis residentiae, Tridentinos Patres cum Concilium, Pio IV Summo Pontifice, resumptum est, penitus divisit, et nunquam, ut videtur, definitivo modo absoluta. Vaticanum quidem primum Concilium laboribus suis finem imponendi tempore caruit; de partibus et officiis episcopalis collegii, et de episcopis in Ecclesia parati erant textus; sine ullo dubio Vaticanum secundum de episcopatu doctrinam retractet et definiat optimum esset, Litteris Encyclicis *Satis cognitum* forte complendis innitens.

Similiter optandum esset dilucide exponendas habitudines inter Ecclesiam mysticam et Ecclesiam hierarchicam. Litterae Encyclicae *Mystici Corporis Christi* a Summo Pontifice Pio XII anno 1943 datae illam societatem quae est Ecclesia hierarchica eamdem esse ac mysticum Christi Corpus ostenderunt; a conciliis Tridentino et Vaticano allatae doctrinales elucidationes vix alia tangunt atque apologeticam Ecclesiae adversus Reformatores XVI saeculi, et de supremo hierarchiae gradu tractatum faciunt; cum theologi tum fideles maximis gratiarum actionibus dogmaticum proximi Concilii opus de diversis quaestionibus quas de Ecclesia tractatus proponit acciperent.

Laici in Ecclesia

Optandum esset aliunde, ut quae docuerat Summus Pontifex Pius XII cum orbis catholici maior episcoporum numerus Romam congregarentur tum quando dogma de corporea in caelum Assumptione Beatae Mariae Virginis definitum (anno 1950), tum quando Sanctus Pius X in album Sanctorum relatus est (anno 1954), et etiam in nuntio radiophonico ad liturgicum Assisinatem congressum misso (anno 1956), futurum Concilium Vaticanum sollemniter innovaret et declararet quae sint munera quaeque partes laicorum in Ecclesia.

Nimis enim multa scripta quae theologica se haberent, in quaestione de « sacerdotio fidelium » promiscua quaedam et amplificata satis deflenda introducunt, ex quibus non clare apparet an sit discrimen, et quodnam, inter ministeriale sacerdotium, Ordinis sacramento collatum, et « fidelium sacerdotium », quod tamen non est nisi remota quaedam participatio Christi sacerdotii, ex baptismali caractere derivata.

Similiter optandum videretur, licet Summi Pontifices Pius XII et Ioannes XXIII iam pluries hoc fecerint, commonefaceret Concilium ministeriale sacerdotium ad famulatum Dei primo ordinatum esse, antequam de materialibus operantium vitae rationibus sit sollicitum.

DE QUIBUSDAM QUAESTIONIBUS EX PRAESENTIBUS VITAE RATIONIBUS CATHOLICIS PROPOSITIS

Laicisatus mundus

Mundum in quo nunc vivimus, totum esse laicisatum, sensum Dei amisisse et iam nescire an erga Deum officia haberet, et quaenam; similiter « sensum sacri » et sensum peccati exuisse; praesentium voluptatum et delectationum esse avidum, ac paenitentiae voluntatem penitus ignorare, etiam oculis minime perspicacibus compertum est. Ex quo percipiendum quam difficilis facta sit catholicis sese fideles praebere cupientibus omnibus Baptismi officiis, plurium Ecclesiae praeceptorum observantia. Sat graviter res se habent, ut Concilii Patres animum intendant et totis viribus, recentiorum Pontificum doctrinarum lumine utentes, ad remedia adhibenda incumbant.

De diei dominicae sanctificatione

Mundum esse laicisatum in suis institutionibus, facile deduci ex hoc uno facto: scilicet: quietis diem per hebdomadam quae, in christianis saeculis, dies erat Dominica, ut iuxta Ecclesiae praecepta sanctificari posset, iam non esse necessario hanc diem Dominicam sed in multis officinis atque artibus, qualemcumque ad turnum hebdomadae diem, eodemque modo ac illos quietis dies, iam non haberi diem Dominicam nisi ut quietis quamdam diem, in qua vacatur rebus culpa non carentibus. Saepius autem, quando quietis dies in ipsa Dominica occurrit, neminem iam esse sollicitum de sacro audiendo, etiam ex quo facultas celebrandi missas vespertinas faciliorem reddidit huius officii adimpletionem; si autem quietis dies alia est ac Dominica, mox quivis religiosus actus praetermittitur cum de facto sacrum audiendi obligatio Dominica tantum die urgeat neque ad aliam diem transferatur. Similiter lex ab operibus servilibus cessandi die Dominica observationis practice impossibilis facta est, ob vitae rationes quae nunc intercesserunt.

Opinari possumus perutile facturum Concilium exponendo quid aetate nostra per opera servilia diebus dominicis prohibenda intelligendum; nunc enim rei notitiam iam non esse prospicuam; sane vero abusive eam interpretari, ut quidam faciunt, de exercitio, quavis die Dominica, operis specifice constituentis propriam artem propriumque laborem, ut sunt professori praelectionibus instituendis, et alumno materiis addiscendis circa quas periculum subire necesse est. Obligationem vero au-

diendi sacrum transferendam esse, iuxta plures, ad illam diem hebdomadae in qua revera quiescendum.

Alio modo institutiones laicisatas probari, compertum est ex eo facto quod scolares ferias, quarum secundum morem maiorum festum Paschae medium tenebat, unde christiani omnes Maioris Hebdomadae caeremoniis interesse poterant, et convenienter Resurrectionem Domini celebrare, vernae feriae in multis regionibus factae sunt; sicque christiana nota privantur. Forsan huius difficultatis remedium videretur celebrare sacrum Paschae festum die fixa, inito pacto inter Ecclesiam et diversarum regionum auctoritates supremas, licet antitraditionale sit Pascha celebrare die immutabili.

De paenitentiae modis

A maioribus traditi modi paenitentiae observandae ut in hodierno mundo custodiantur, emendandi sunt et accommodandi. *Lex* siquidem *abstinentiae* custoditu practice impossibilis nimis multis in casibus; in urbibus quidem incolarum pars insignis, dimidia circiter, quotidie cibum semel saltem extra domum sumit, in popina cuiusvis nominis; et tunc, etiam optanti sumendos cibos eligere liberum non est; praeterea maior in dies numerus hominum iam non possunt, adversante valetudine, cibis uti quibus canonistae et moralistae legem abstinentiae non abrumpi assentiunt, ut sunt ova et piscis et alia; patet aliunde discrimen inter licita et prohibita esculenta sat archaicis fundamentis niti, et lege tum abstinentiae tum ieiunii impositum praeceptum sensum amisisse quem ab origine induit: pauperibus scilicet opem ferre quibus in eleemosynam quod minus his magis modicis et simplicibus necnon paucioribus refectionibus expendebas, elargiebaris. *Lex* vero *ieiunii* afflictivam speciem iam non servavit nisi feria IV Cinerum et feria VI in Parasceve; forsan duabus istis diebus tantum hanc legem retinendam expediret, dato contemplativis sive virorum sive mulierum ordinibus et congregationibus munere ut Ecclesiae nomine, sub forma ieiunii et abstinentiae, perficiendae paenitentiae onere fungantur.

Profecto autem expediret Concilium, cum proniores simus ad illud obliviscendum, paenitentiae officium quod omnibus et singulis christianis, peccatores natura cum sint, incumbit, vehementer commonefaceret; itemque Tridentini Concilii documentis sess. 14 *De Paenitentia,* cap. 9, *De operibus satisfactionis* promulgatis innitens, patienter, fortiter, aequo animo vitae labores, in primis qui ut probe et recte status proprii officium absolvatur, necessarii, et adversae valetudinis incommoda, et dura quaeque alia tolerent, optimum esse medium peccata luendi moneret.

Denique, si lex abstinentiae quavis feria VI retineatur ut nunc est servanda, tollat Concilium gravitatem huius violationis, cum tam multae extent declinandi legem rationes; itemque solemniter declaret Concilium illam censeri abolitam iter facientibus, optandum; si vero tollatur lex, in voluntariam privationem mutetur, quam unusquisque sibi imponat quavis feria VI, lauti et exquisiti cibi aut potus aut etiam alcoholici liquoris, vel onerosae oblectationis, pauperibus quae in his procurandis expensa essent, reipsa accipientibus.

DE VITAE DEO CONSECRATAE MODIS

Quae Summus Pontifex Leo XIII aggressus est ut in unum pluria coadunaret Instituta religiosa ab eodem Fundatore quovis modo dimanantia, apte, ut videtur, resumenda essent, ut ad coagmentum et maiorem unitatem deveniretur Congregationum mulierum praesertim, quae iisdem apostolicis muneribus incumbunt, exempli gratia, puerorum institutioni, aut aegrotantium curae, cum eidem Ordini tanquam Tertiariorum regularium congregationes coniungantur, aut cum de facto eiusdem spiritualis scolae, ignatianae scilicet, aut franciscanae, principiis ducantur. Mira siquidem varietas, de qua Ecclesia sancta gloriatur, ad Instituta religiosa quod attinet, splendoris signum et vitalitatis; at nostris temporibus, quibus multae minoris momenti succumbunt Congregationes, cum iam non novos conscribant alumnos (et iam non conscribunt novos quia ad praesentia sese accommodandum non senserunt), generaliori modo faciendum videretur quod nuper hic aut illic actum est: coniunctae nempe sunt congregationes, licet satis amplae, ut maiores efficerentur Congregationes, quarum Superiores efficacius, iuxta fines Instituti, praesto essent necessitatibus quibus sublevandis conditae sunt.

Similia menti occurrunt considerantis mirum numerum *Saecularium Institutorum* magis magisque nascentium, quorum reipsa ratio praesentibus apostolatus necessitatibus apta consonat; cum vero inter se minime discrepent, ad maiorem unitatem ea reducere, maiori eorum ponderi et efficaciae prospiceret.

Quaecumque sint Deo consecratae vitae formae, perexcellens opus faceret Concilium si in mentem omnium qui se Deo dederunt animarum revocaret fulgentes Summi Pontificis Pii XII doctrinas de sanctitate quam evidenter requirit earum vocatio, in primis de profundissimae interioris vitae necessitate, et consequenter de necessitate cum valentis spiritualis et doctrinalis, tum ad humanas virtutes institutionis per noviatus tempus acquirendae; maxime quidem necessariae sunt apostolis

hae posteriores virtutes ut consuetudinem cum hominibus habeant, eisque sint accepti; at interiore tantum vita pendet efficacia operis in quo apostolus est instrumentum cum Deo coniunctum; denique sine vita interiore, nequit anima cum Deo uniri, quae intima unio finis primus vitae Deo consecratae.

DE LITURGICIS QUAESTIONIBUS

Liturgica instauratio a sancto Pio X incepta et a Summo Pontifice Pio XII perrecta, iam fausta produxit, in primis Maioris Hebdomadae restitutio; maximas ergo gratias Ecclesiae efferre decet, et simul exoptare ut haec instauratio quam citissime attingat totam amplitudinem cuius cupiens est Ecclesia.

Quaedam hic expetenda dicere legitimum sit:

— ut utriusque cleri in sacris constituti clerici qui ad pastorale munus, vel ad docendum aut ad scientificas investigationes addicti sunt, aut gradibus academicis assequendis incumbunt, breviori officio divino donentur, Scripturae Sacrae lectionibus, sermonibus et homiliis instructo quae magis enutriant pietatem, et sanctorum legendis quae historicae veritati sint magis conformes;

— ad missam celebrandam quod attinet, ut prius Sancta Sedes confusis et solutis propensionibus finem imponat, graviter commonefaciens non uniuscuiusque sacerdotis esse proprio marte inducere in modo celebrandi missam mutationes aut novitates quas ipse iudicaverit necessarias ut, sua sententia, evidentiori modo « actus communitatis » fiat missa, aut « populi christiani sit propior »; attamen textus et ritus recens introducti, ut sunt preces praeparatoriae et ultimum evangelium, Sanctae Sedis decreto detrahantur, optandum videtur; epistolam et evangelium in lingua vernacula tantum legendi facultatem, iuxta versionem prius ab Episcopo deinde a Sacra Rituum Congregatione adprobatam, etiam in missis lectis, cum adsit aliquis coetus plus minusve numerosus fidelium, forsan concedendam;

— ut allevetur Kalendarium festis sanctorum illorum quorum vere minimae curae universali est Ecclesiae, sed tantum proprio Instituto religioso vel dioecesi; e contra, officio ab universali Ecclesia persolvendo, honorentur sancti illi quorum res gestae in historiam Ecclesiae plurimum valuerunt, ut sunt Summi Pontifices et fundatores religiosorum Ordinum vel Congregationum maioris momenti;

— ut Doctoris titulo et honoribus donentur tantum sancti qui Ecclesiam doctrinis vere eminentibus illustrarunt.

Haec Universitas Catholica Andegavensis, quae semper de sua fide et obedientia erga Sedem Apostolicam gloriata est, impensam in Sanctam Sedem et in futurum Concilium voluntatem asseverat, et obsequium omnibus et singulis decretis ad maius Ecclesiae bonum statuendis se praestituram sancte profitetur.

* * *

QUOMODO, TEMPORIBUS CONCILII, ECCLESIA INTER RES HUMANAS SE HABEAT

1. NON IMPRIMIS AGITUR HAERESIS QUAEDAM AUT SCHISMA NOVUM

Affirmari licere videtur de proximo Concilio quod Th. Granderath de priore Concilio Vaticano scripserat,[1] illud non ob haeresim quamdam proprio nomine dictam cogendum esse. Attamen sicut prius Concilium Vaticanum occurrere de facto debuit multis erroribus qui fundamenta ipsa fidei necnon principium auctoritatis Ecclesiae subvertere nitebantur, ita alterum Concilium Vaticanum vix se tenere poterit quin opinionibus quibusdam falsis obsistat doctrinae catholicae contrariis. De quibus ultimi Summi Pontifices iam abunde scripsere.

Inter has opiniones sane eminet illa quae totum ordinem religiosum subvertit, nempe atheismus, magis magisque pervulgatus, quem vehit communismus etiam intra regiones usquedum ab erroribus immunes. Optandum est ut, ad pastoralem praecipue rationem quod attinet, detegantur viae quibus atheismus iste se insinuat, necnon formae quas induit, ac causae profundiores, cur, sanis neglectis disciplinis philosophicis, etiam lectissimorum coetus virorum pervadat.

Verum est aliunde, schismata quae ecclesiis quibusdam a commu-

---

[1] Cf. TH. GRANDERATH, *Geschichte des Vatikanischen Konzils,* Freiburg, 1903, t. 1, pp. 13-14 (ed. gal., t. 1, p. 15). Item S. E. Cardinalis Tardini Patri Wenger eum roganti pro gallica televisione: Concilium proximum « sera, comme on peut le croire aujourd'hui, un Concile, je dirais, d'ordre réel, pratique, plutôt qu'un Concile vraiment doctrinal. Mais ceci n'est pas exclu... » (*La Croix,* 26. 1. 1960). S. P. Ioannes XXIII ipse loquebatur de « reflorescente omnium christianarum virtutum vigore » (Litterae encyclicae *Grata Recordatio, A.A.S.* 1959, p. 678). Oportet praesentare « la Chiesa in tutto il suo fulgore, *sine macula et sine ruga* » (Allocutio ad praesides dioecesanos Actionis Catholicae Italianae, *L'Osservatore Romano,* 10-11. 8. 1959).

nismo oppressis impendent potius e politicis molitionibus procedere quam e theologicis problematibus. Attamen fieri nequit ut catholici in his ecclesiis degentes, graves conscientiae casus non experiantur, maxime vero si conditiones facti ad statum iuris devenire conentur. Ex quo fit ut Concilium, ad opus suum pastorale agendum, de pluribus quaestionibus ad haec schismata pertinentibus, pro suis viribus tractaturum sit.

Quibus positis, potius quasdam quaestiones exponendas suscepimus, quae videntur magni facere ad finem Concilii promovendum, nempe ostensionem Ecclesiae in suo Sponsae Christi splendore, ut ad eam omnes populi conveniant.

2. Homines sine Ecclesia mundum aedificant

Missio Ecclesiae hodie adimplenda est in eo mundo, de quo, quam celeriter mutetur, vanum sit commemorare; qui soli suae scientiae et arti fidet; qui in modos semper magis multiplices mutatur, qui unitatem suam sentit atque appetit, dum tamen populi et nationes magis magisque noscunt quid valeant, atque libertatem se regendi ardentius propugnant et requirunt. In his igitur Ecclesiae non tam, ne impugnetur, timendum est, quod tamen non excluditur, sed ne ab hoc mundo, qui construitur, absit, ne ab eo non audiatur, ne merum vestigium temporis praeteriti, cum aliquo certe honore sed sine ulla in posterum efficacia, ab eo videatur et existimetur.

3. Pars christianorum unitatem sine Ecclesia Romana quaerunt.

Quam unitatem Christiani separati ipsi conquirunt, sed eam paulatim extra Ecclesiam catholicam aedificant; atque ad eam unitatem stabiliendam, etsi adhuc non sit stricta nec solida, tamen spem firmam in « Consilio oecumenico Ecclesiarum » ponunt,[2] ita multi, et quidem dolenter, Ecclesiam catholicam tandem ut « sectam » quamdam clausam habeant, istum scilicet romanum ramum nec reformatum magnae, ut aiunt, Ecclesiae « oecumenicae ».

---

[2] Quod notat S. P. Ioannes XXIII in suis litteris encyclicis *Ad Petri Cathedram*: « Ac novimus etiam eos fere omnes, qui, etsi a Nobis et inter se disiuncti, christiano nomine decorantur, ad nectenda inter se vincula congressiones non semel habuisse, atque idcirco constituisse Consilia; quod quidem demonstrat eos vehementi permoveri desiderio ad quandam saltem deveniendi unitatem » (*A.A.S.*, 1959, p. 511).

4. Catholicitas Ecclesiae magis manifestanda

Quae cum ita sint, illud, cui Concilium imprimis operam dare debet, esse videtur, ut Catholicitas Ecclesiae Romanae manifestetur et ut conditiones efficiantur, quibus omnis homo reipsa ab ea excipi et salvari possit.[3] Quae nota catholica etsi nunquam ab ea denegata est, quippe qua ipsa inter omnes Christianos recte notetur, tamen ex schismate orientali necessario visa est Ecclesia Romana imprimis latina. Porro, cum Reformatio eam adduxisset, ut ea omnia, quae a novatoribus minoris momenti existimabantur aut etiam omnino negabantur, ardenter propugnaret, eo ipso in theologia ac pietate elementa alicuius tamen momenti neglecta sunt, quae in integra Traditione continentur.[4] Denique, cum his ultimis temporibus res humanae magna ex parte contra Ecclesiam aedificarentur, eo vires omnes intendere debuit, ut ea, quae perdenda non essent, defenderet. Cum ergo illis oppugnationibus obsisteret, suam existentiam et unitatem conservavit. Nunc autem optandum esse videtur, ut divitias unitatis explicet, quae eo magis apparebunt,

---

[3] « La Chiesa... la quale abbraccia e santifica tutto ciò che è veramente umano... » (Pius XII, *Allocutio,* die 20 mensis februarii a. 1946, *A.A.S.,* 1946, p. 142). « Qui quidem divini verbi praecones, innumeris pervestigationibus per temporum decursum summo labore summoque studio habitis, civilem enisi sunt variarum gentium cultum earumque instituta satius digniusque agnoscere, atque sua ipsarum animi ornamenta ac dotes ita colere ac provehere, ut faciliora inibi atque uberiora Iesu Christi evangelium incrementa caperet » (Pius XII, *Summi Pontificatus, A.A.S.,* 1939, p. 429).

« Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat, neque restinguat. Ecclesia siquidem cum populos ad altiorem humanitatem ad cultioremque vitam, christiana religione auspice, advocat, non illius morem gerit, qui luxuriantem silvam nulla habita ratione caedat, prosternat ac duriat, sed illius potius, qui bonum surculum rudibus arboribus inserat, ut suaviores dulcioresque fructus aliquando edant atque maturent... Catholici indigenae, etsi primo loco magnae Dei familiae eiusque Regni cives sunt, haud desinunt tamen esse terrenae etiam suae patriae cives » (*Evangelii praecones, A.A.S.,* 1951, pp. 521-524).

[4] Quod asserit etiam S. E. R. D. Lorenz Jaeger, Archiepiscopus Paderborn, delegatus a coetu Episcoporum Germaniae pro quaestionibus oecumenicis: « Diese Einheit hat die römisch-katholische Kirche trotz aller Abspaltungen und Trennungen bewahrt. Zwar wurde die Strahlungskraft dieser Einheit durch die Trennung der Ostkirche und durch die Reformation vor den Augen der Welt geschwächt, aber die Einheit der *Una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia* blieb erhalten » (cf. *Echo der Zeit,* 24.1.1960).

quo se magis « circumdata varietate » (*Ps.* XLIV, 10) ostendet, cum multiplicibus donis in ea per Spiritum Sanctum, qui est anima eius, diffusis. Summus vero Pontifex ex Concilio insignem fructum expectat, ut communio familiae catholicae roboretur et confirmetur; [5] quae communio eo robustior et firmior erit, quo omnis varietas, qua credentes distinguuntur, ab Ecclesia integre complectetur, ita ut in unitate effecta unusquisque fidere possit, se suam propriam vocationem quam maxime evolvere posse.[6] Ad ipsum finem consequendum multum conferre

---

[5] Sic allocutus est dioecesanos praesides Actionis Catholicae Italianae: « Con la grazia di Dio, noi faremo dunque il Concilio, e intendiamo prepararlo avendo di mira ciò che è più necessario rinsaldare e rinvigorire nella compagine della famiglia cattolica, in conformità al disegno di Nostro Signore. Poi, quando avremo attuato questo poderoso impegno, eliminandosi ciò che, da parte umana, poteva ostacolare un più spedito cammino, presenteremo la Chiesa in tutto il suo fulgore, *sine macula et sine ruga* e diremo a tutti gli altri che sono da noi separati: " ortodossi ", protestanti, ecc.: Vedete, fratelli, questa è la Chiesa di Cristo. Noi ci siamo sforzati di esserle fedeli, di domandare al Signore la grazia che essa resti sempre così come Egli l'ha voluta » (*L'Osservatore Romano,* 10-11.8.1959).

[6] Sic S. E. R. D. Lorenz Jaeger, Archiepiscopus Paderborn, delegatus a Coetu Episcoporum Germaniae pro oecumenicis quaestionibus, scribebat ad conclusionem hebdomadis precum pro Unitate Christianorum: « Jedesmal, wenn unser Hl. Vater von der Katholizität und Einheit der Kirche gehören für ihn zusammen. Gerade in diesem Zusammenhang betont der Papst, dass eine Einheit keine Uniformität bedeutet. Vielmehr lässt die Einheit im Kult den ganzen Reichtum der abend — und morgenländischen Liturgie zu; die Einheit in der Lehre ist vereinbar mit den verschiedenen Betrachtungsweisen östlicher und westlicher theologischer Schulen, und die Einheit in der Regierung der Kirche achter die Besonderheiten der einzelnen Bischofskirchen mit ihren ehrwürdigen Traditionen. Diese Mannigfaltigkeit in der Einheit hat Papst Johannes XXIII, in seinem Rundschreiben *Ad Petri Cathedram* ins Licht gestellt. Es ist seine Absicht, diese wahrhaft umfassende Einheit auf dem kommenden Konzil überzeugend zur Darstellung zu bringen... Die evangelischen Christen brauchen bei ihrem Heimkehr ins Vaterhaus nichts von dem Guten, von den Schätzen des Evangeliums und der Frömmigkeit aufzugeben, die sie besitzen, die Ihnen Gottes Gnade geschenkt hat, und derer Ursprung und Heimat, doch in der katholischen Kirche liegen... Die Kirche wird an diesem Wendepunkt ihrer Geschichte ihre innewohnende Katholizität stärker und überzeugender realisieren. Die Katholizität ist die Einigkeit im Notwendigen, die Freiheit in den berechtigten Eigenarten liturgischer, theologischer und kirchenrechtlicher Art, alles in Liebe untergeordnet dem Herrn und Haupt der Kirche, Jesus Christus, und seinem sichtbaren Repräsentanten, dem Papst. Es muss das Werk des Konzils sein, diese umfassende Katholizität kundzutun und die vielfältigen Aspekte des Heilsgeheimnisses unserer Erlösung in der Lehre und im Leben der Kirche darzulegen » (cf. *Echo der Zeit,* 24.1.1960, p. 4). Eamdem sententiam S. E. R. D. Jaeger postea aliquando sic evolvit: « Es ist seine (= des Hlg. Vaters) Lieblingsidee, auf die er immer wieder zurückkommt und die er als das eigentliche Programm des kommen-

videtur, si Ecclesia perfecte conscia fiat, se omnia posse « com-prehendere », ut omnia iudicet et, excluso peccato, omnia salvet, ita ut semper manifestius appareat coram omni creatura, se vere, ut se appellat, Ecclesiam esse Catholicam.[7]

DE CATHOLICO ECCLESIAE MUNERE

1. Evangelium omni creaturae annuntiandum

Hominibus, inter quos unusquisque magis quam unquam partem suam omnium bonorum indistincte et corporis et mentis requirunt, Ecclesia catholicitatem suam manifestare possit praesertim conatus apud omnes credentes cum ordine suscitando, ut Evangelium omni homini cuiusve et conditionis et civilisationis revera « usque ad ultimum terrae » (*Act.* I, 8) annuntietur, tum omnia faciendo, ut in fide integre educantur et post baptismum pueris et ante adultis, ita ut sacramentum, per quod Ecclesiam ingrediuntur, « sacramentum fidei » vere evadat, atque omnia membra familiae catholicae secundum votum Apostoli « in virum perfectum occurrant », non iam vero « parvuli fluctuantes » et « omni vento doctrinae circumlati » (*Ep.* IV, 13).

2. Nonobstante peccato creatio « bona » proclamanda

Hominibus huius temporis Catholicitatem suam Ecclesia etiam ostendere possit aperte agnoscendo omne bonum, quod esse potest, dum homines in materiam dominatum magis extendere [8] et societatem recte

---

den Konzils bezeichnet hat. Dieses *Leitmotiv* aller Konzilsvorbereitungen ist die Darstellung der einen heiligen katholischen und apostolischen Kirche in ihrer *Einheit* und *Katholizität.* Die beiden grossen Rundschreiben unseres Hl. Vaters *Ad Petri Cathedram* vom 29. Juni und *Princeps Pastorum* vom 28. November 1959 erlaütern sowohl die Einheit wie auch die Katholizität der Kirche, und beide Dokumente stellen grundlegende Vorbereiten für das geplante Konzil dar... Worum es dem Papst geht, das ist die *Entfaltung der vollen Katholizität der Kirche,* die für *alle* Völker und Rasse, für *alle* Kulturen und Zivilisationen, für alle echten ethischen und religiösen Werte offensteht » (cf. *Echo der Zeit,* 31.1.1960, p. 6).

[7] « Come il Figlio di Dio assunse una vera natura umana, così anche la Chiesa prende in sè pienezza di tutto ciò che è genuinamente umano e lo eleva a sorgente di forza soprannaturale, dovunque e comunque lo trova » (Pius XII, Sermo, die 25 mensis decembris a. 1945, in pervigilio nativitatis D. N. I. C.; *A.A.S.,* 1946, p. 20).

[8] « È innegabile che il progresso tecnico viene da Dio, dunque può e deve condurre a Dio » (Pius XII, 24 decembris 1953, *A.A.S.,* 1954, p. 20).

temperare conantur.[9] Simul hominibus atheismo infestis in memoriam revocare non obliviscetur, naturam humanam limitari et creaturam peccato corripi, cum ad Evangelium recipiendum hi limites et hoc opus peccati agnoscenda sunt. Ut tamen haec Evangelii praedicatio recte audiatur, agnitione « bonitatis » creationis (*Gen.* I, 31) hodie potissimum niti debet.

3. Populus christianus ut « principium vitale societatis humanae ».

Ad eumdem finem prosequendum optandum esse videtur, ut Ecclesia denuo Christianos exhortetur, ut aedificationi mundi pro sua quisque conditione operam det, non parvum mundum proprium aedificando iuxta illum qui reipsa aedificatur, nedum Christiani ordini inter cives repugnent, qui nunc laboriose et adhuc imperfecte instauratur. Admonere possit potius fideles, ut ex ipso suae fidei impulsu « societatis humanae », ut verbis Pii XII utamur, « principium vitale » evadant.[10] Quae omnia includunt potestatem fidelibus agnosci et etiam

---

[9] Sic S. P. Pius XII exhortabatur viros publicos, qui aedificationi Europae navant operam (*Nuntius Radiophonicus,* datus in pervigilio nativitatis D. N. I. C. a. 1953, *A.A.S.,* 1954, p. 14).

Sic etiam S. E. Cardinalis Griffin membra U.N.O. die 27 ian. 1946 (*Documentation Catholique,* 1946, p. 103), et nuper R. D. Roncalli, tunc Nuntius Apostolicus in Gallia membra U.N.E.S.C.O. (*ibid.,* 1951, pp. 845-848). Cf. etiam Nuntius Radiophonicus S. P. Pii XII quinquagesimo exeunte anno a litteris encyclicis *Rerum Novarum* a Leone Papa XIII 1-6-1941 (*A.A.S.,* 1941, pp. 205-216); et Nuntius Radiophonicus a Summo Pontifice die 24 mensis decembris a. 1942, in pervigilio Nativitatis D. N. I. C. (*A.A.S.,* 1943, pp. 9-24).

[10] Allocutio S. P. Pii XII, die 20 mensis februarii a. 1946: « Considerata da questo lato, la Chiesa può dirsi la società di coloro che, sotto l'influsso soprannaturale della grazia, nella perfezione della loro dignità personale di figli di Dio e nello sviluppo armonico di tutte le inclinazioni e le energie umane, edificano la potente armatura della convivenza umana » (Pius XII, *A.A.S.,* 1946, p. 149). « Quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo Christiani » (*Epist. ad Diogn.,* VI, L sq.).

Est magis laicorum proprium ut in structuris temporalibus civitatis (quae ad litteras, ad ordinem socialem, oeconomicum politicumque pertinent) agant, ut spiritu Christi animentur secundum firma praecepta Papae Pii XII in secundo congressu Apostolatus Laicorum et Papae Ioannis XXIII in suis litteris encyclicis *Princeps Pastorum.* A laicis enim re efficietur ubera relatio ordinis temporalis ad spiritualem. Qui, ut liberi in suis temporalibus iudiciis, stricte obligantur iudicare secundum legem naturalem et fidem christianam, manente episcopis potestate existimandi, sitne reapse haec conformitas. Ceterum, cum rectitudo fidei apud laicum valde adiuvatur « institutionibus christianis », relinquitur tamen eidem laico possibilitas cooperandi cum omnibus hominibus bonae voluntatis, qui eius fidem non

facultatem, onus suum secundum conditiones proprias ubi versantur sumendi, intra quidem limites, quae a lege naturali et evangelica definiuntur, cuius Ecclesia semper manebit custos et magistra.[11]

4. Ecclesia bono omnium hominum favet

Praeter autem hanc praesentiam rebus humanis, quam Ecclesia membris suis efficiet, multum iuvabit, ut eadem Ecclesia — quod praeclare per Pontificatus proximos effectum est — ostendat, se sollicitudine non solum fidelium sed omnium hominum affici. Non vult quidem acatholicis imponere veritates aut disciplinam, quae extra fidem catholicam vix intelligi possunt. Quinimo videri poterit, natura dogmatica veritatum, quas docet, et quae ad omnes homines ordinantur, iustam « tolerantiam » non excludi, quae e contrario requiritur, cum actum fidei liberum esse profiteatur.[12] Item ostendere poterit Ecclesia, se, dum legem naturalem

---

habent, dum tamen contra eam non directe agant nec contra ius naturale, dummodo etiam fides eius ipsa detrimentum ne patiatur, neve ex ea cooperatione scandalum debilibus fiat. Eisdem condicionibus cooperari potest ad finem definitum et ad tempus cum adversariis suae fidei, si finis est bonus in se aut indifferens saltem.

[11] In allocutione, quinquagesimo exeunte anno a Litteris Encyclicis *Rerum Novarum,* a Leone Papa XIII, S. P. Pius XII definit et munus Magisterii in rebus socialibus et naturam propriam eius interventuum, relicta magna ad solutiones practicas inveniendas libertate: « Poussé par la conviction profonde que l'Eglise a non seulement le droit, mais le devoir de prononcer une parole autorisée sur les questions sociales, Léon XIII adressa au monde son message. Non qu'il entendît fixer les règles sur le terrain purement pratique, technique peut-on dire, de l'organisation sociale; car il le savait bien et c'était évident, et notre prédécesseur S. S. Pie XI le déclarait de nouveau il y a dix ans dans son encyclique commémorative *Quadragesimo Anno,* l'Eglise ne s'attribue pas une telle mission... Incontestable en revanche est la compétence de l'Eglise dans cette part de l'Ordre social qui entre en contact avec la morale, pour juger si les bases d'une organisation sociale donnée sont conformes à l'ordre immutable des choses que Dieu a manifesté par le droit naturel et la Révélation » (*A.A.S.,* 1941, pp. 206-207).

[12] Cf. Pius XII, Allocutio ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: « Anzi vi è una tolleranza politica, civile e sociale verso i seguaci delle altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici un dovere morale. La Chiesa stessa nel can. 1351 del Codice di diritto canonico ha dato forza di legge alla massima: " Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " » (*A.A.S.,* 1946, p. 393).

Cf. Allocutio S.S. Pii XII iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali italico Unionis Iureconsultorum catholicorum, die 6 decembris a. 1953 (*A.A.S.,* 1953, pp. 794-802).

Cf. Card. Lercaro: « Il faut donc maintenir l'intolérance dogmatique mais cette intolérance dogmatique ne doit pas faire naître une attitude d'intolérance civile ou

firmiter et clare *ex Revelationis lumine* quae ei credita est profitetur, ad defensionem hominis contra ea quae in seipso et in mundo integritati eius periculum facescunt efficaciter conferre.[13] Recte igitur potest poteritque semper Ecclesia munus sibi vindicare ut Deo, sic homini, atque unicuique homini ministrandi.

QUIBUS CONDITIONIBUS INTERNIS CATHOLICITAS ECCLESIAE SEMPER CLARIUS FULGERE POTERIT

Haec rebus humanis praesentia et hoc erga homines beneficium ab Ecclesia non perfecte efficientur et percipi poterunt nisi in seipsa conditiones promoveantur, quibus illa Catholicitas, qua eius natura et munus definiuntur, clarius in dies eluceat. Qua de re quibusdam considerationibus Concilium operam dare fortasse poterit.

1. Compleatur doctrina primi Concilii Vaticani ampla expositione de « apostolicitate » Ecclesiae.

Deficiente tempore tantum doctrina de Ecclesia Christi a priore Concilio Vaticano exponi potuit, ea quidem quae sane magis urgebat, cum directe ad definitionem primatus et infallibilitatis Pontificis Romani pertineret. Schemata tamen praeparatoria et ipsum prooemium constitutionis « Pastor aeternus »[14] corroborant hoc argumento non

---

pratique... On peut dire..., dans un certain sens, que l'idée de la tolérance, telle qu'elle se trouve exposée dans la pensée catholique, est extrêmement simple. Elle se réduit en substance à ceci: nul ne doit être forcé contre sa volonté d'adopter la foi catholique. Le respect de la vérité exige la liberté du consentement: une vérité imposée est une vérité qui n'est pas acceptée comme telle... Mais nous sommes amenés par là à considérer ce plus grand bien qui justifie pour le catholique la tolérance religieuse: l'exigence que la vérité soit accueillie comme vérité » (*Documentation Catholique*, 1959, col. 341-342).

[13] Cf. S. P. Pius XII, in litteris encyclicis *Summi Pontificatus, A.A.S.*, 1939, pp. 423-424.

[14] Hoc prooemio primum alluduntur Apostoli: « Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (*Io.* XVII, 20 sq.). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre (*Io.* XX, 21): ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi (*Mt.* XXVIII, 20) esse voluit.

totam doctrinam revelatam de constitutione Ecclesiae Christi comprehendi.

In aedificanda enim et mittenda Ecclesia, munus quoddam essentiale idemque identicum diverso tamen modo exercendum datur a Christo duobus subiectis inadequate distinctis, nempe soli Petro, et Collegio apostolico cuius Petrus est perpetuum « unitatis principium ac visibile fundamentum ».[15] Nam Petrus est illa petra in qua Christus Ecclesiam suam aedificare voluit et adversus quam portae inferi non praevalebunt (*Mt.* XVI, 18). Ipse confirmaturus erat fratres suos (*Lc.* XXII, 32), cum in fide tum in missione adimplenda. Ipse pasturus erat « oves » simul et « agnos » (*Io.* XXI, 15-17), id est totam Ecclesiam.[16] Notandum tamen est iisdem verbis, quibus soli Petro, Duodecim quoque Christum gubernationem suae Ecclesiae commisisse dicentem: « Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo » (*Mt.* XVIII, 18; cf. XVI, 19). Iisdem Duodecim ministerium proprii Corporis commisit et omnem potestatem sanctificationis cum eo coniunctam (*Lc.* XXII, 15-20; *Mt.* XVI, 26-28; *Mc.* XIV, 22-25). Eosdem misit post Resurrectionem suam, dicens: « Data est mihi omnis potestas et in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* XXVIII, 18-19). Iidem Apostoli, quos Iesus vocavit cum praedicationem suam incepit, ut eos operi suo salvatori consociaret, principes simul sunt et iudices illius novi Israelis (cf. *Mt.* XIX, 28), cui adventus eius et sacrificium initium dederunt. Ex Novo igitur Testamento aperte apparet, cum divina institutio Ecclesiae consideratur, necessitas admittendi unicum munus, potestatem utique supremam in Ecclesiam, tum soli Petro, tum Collegio apostolico cum Petro, collatam. Qua muneris identitate, necnon Petri praeminentia,

---

Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, etc. ... ». Haec allusio ad episcopatum initio constitutionis de Ecclesia Christi praevio schemati iuncta est, ut « substantia » saltem servaretur cuiusdam emendationis a compluribus Patribus postulatae. Quae emendatio a Patribus admissa est, paucissimis contradicentibus » (cf. *Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum, Collectio Lacensis,* pp. 301-302, 304-305, 311). Sicut ergo, nulla re mutata, Concilium Chalcedonense complevit Concilium Ephesinum, sic opinari licet, secundum Concilium Vaticanum, quod ad doctrinam de Ecclesia pertinent, primum, nulla re mutata, complere posse.

[15] Conc. Vat., Constit. de Ecclesia Christi, Prooemium.

[16] Sic scribebat S. P. Ioannes XXIII in suis litteris encyclicis *Princeps Pastorum*: « Princeps Pastorum ex quo die Nobis agnos et oves, hoc est universum Dei gregem, ubique terrarum commorantem, pascendum regendumque concredere voluit... » (*A.A.S.,* 1959, p. 883).

excluditur a Collegio apostolico quaevis separatio aut oppositio, licet diverso modo munus illud unicum exerceatur, sive a Petro solo, sive a Collegio cuius Petrus est caput.

2. Pressius proinde definiatur natura et munus collegii episcopalis in communione cum Summo Pontifice.

Sicut Pontifex Romanus successor est Petri, ita episcopi « in Apostolorum locum successerunt..., positi (sicut Apostolus ait) a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei ».[17] Eo non obstante quod, iurisdictionis respectu, suae quisque peculiari tantum ecclesiae praeficitur (*C.I.C.* 329), tamen episcopi una cum Summo Pontifice efficiunt unum Collegium organicum sicut membra cum capite, ita ut membra sine capite et caput sine membris concipi nequeant. Qua ex communione salvum in unitate servatur regimen Ecclesiae. Haec autem unitas regiminis, etsi maxime effulgeat in concilio oecumenico, non desinit, collegio episcopali disperso, ita ut, munere apostolico congregata, Ecclesia Dei dici possit tam Corinthi quam Ephesi vel Colossis modo quodam mysterioso tota. Quanquam enim in suam quisque tantum dioecesim ordinaria et immediata potestate episcopus pollet et ibi non virtute totius Collegii agit, ut membrum tamen eiusdem Collegii genuina auctoritate praeditus est et verus Doctor et magister dici potest. Quae doctrina generalis de « Apostolicitate » Ecclesiae pressius definita multos fructus videtur forsan allatura ad reconciliationem Fratrum separatorum, « Orthodoxorum » praecipue, qui immerito verentur, ne Ecclesia catholica conceptum « totalitaristicum » Summi Pontificatus, quem numquam somniavit, sibi finxerit, cui omnino repugnare eis videtur, sicut et nobis, ille verus conceptus apostolicus et patristicus Ecclesiae, quem omnes unanimiter et fideliter servare debent. Omnibus vero hominibus clare apparebit, posse Ecclesiam multiplicitatem et varietatem condicionum, quarum testes veri sunt pastores peculiarium ecclesiarum, « com-prehendere », et proinde omnibus hominum necessitatibus quam opportunius obviam ire.

3. Augeatur cooperatio Summi Pontificatus et Episcopatus

Nobis itaque magni momenti videtur oculis Christianorum naturam collegialem Episcopatus clare apparere, per quam facilius unam Ecclesiam catholicam agnoscere et credere possunt. Nostrum vero non est exponere, quibus modis haec actuosae communionis professio quam maxime fulgere possit. Ad hunc finem attingendum, magistra semper

[17] Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 4.

Traditio esse debet, quae splendide demonstrat cooperationem Collegii episcopalis sub primatu Summi Pontificis ad regendam Ecclesiam Dei. In Actibus enim Apostolorum videmus partes egregias Petri in Collegio Apostolorum, simul etiam operam communem Petri et ceterorum Apostolorum ad ea maiora decernenda, quae ad Ecclesiam universalem pertinebant (*de diaconis instituendis, Act.* VI, 2; *de fidelibus a paganismo conversis, Act.* XV, 22-29). Item, per multa saecula plerumque ea, quae ad bonum omnium fidelium maximi momenti erant, acta sunt in conciliis, quorum decreta vim ex approbatione Summi Pontificis obtinebant. Ex diversis autem circumstantiis hic modus collegialiter et docendi et decernendi in Ecclesia rarius est adhibitus: [18] ex inanibus opinionibus theologicis de potestate Summi Pontificis limitanda; ex indebitis postulationibus principum saecularium (fortasse ex maiore diffusione opinionum « absolutismum » promoventium?). Hodie tamen, post firmas definitiones prioris Concilii Vaticani, periculum iam non datur, ne iura propria Pontificis Romani in dubium revocentur. Ex altera parte in multis regionibus, propter potestatem spiritualem a temporali clarius distinctam, principes saeculares minorem influxum, quod est saepe periculosum, in res ecclesiasticas exercent. Denique propter celeritatem hodiernam relationum inter homines semper facilior est collaboratio assidua. Et quidem notandum est, Papas Leonem XIII, Pium XI, Pium XII et Ioannem XXIII pluries asseruisse, missiones inter paganos episcopis omnibus incumbere.[19] Immo, convocatione proximi Con-

---

[18] Semper tamen retentus est. Nam ultimi Summi Pontifices non semel omnes episcopos consuluerunt, priusquam res magni momenti decernerent, v. g. dogmatis cuiusdam promulgationem. Ea consultatio tamen plerumque consequebatur elucubrationem documenti aut decreti. Actuosior vero concursus episcopatus cogitari potest.

[19] Sic scribebat S. P. Pius XII in suis litteris encyclicis *Fidei Donum*: « Arctissime igitur cum Christo coniuncti eiusque in terra Vicario, Vos, Venerabiles Fratres, flagrantis caritatis afflatu commoti, participare studete sollicitudinem illam omnium ecclesiarum, quae Nostros aggravat umeros. Vosmet, ... penitus adstringi Nobiscum gravissimo officio sentiatis, dilatandi scilicet Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae... Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae... In his (episcopis) namque, qui peculiari nomine " missi " appellantur, nempe Domini Apostoli, plenitudo apostolicae dignitatis residet, " quae est praecipua in Ecclesia ", uti S. Thomas Aquinas testatur... Praeterea, huiusmodi universarum Ecclesiae necessitatum prospicientia vera ratione viventis Ecclesiae catholicam naturam ostendit » (*A.A.S.,* 1957, pp. 236-237).

Sic etiam S. P. Ioannes XIII in litteris encyclicis *Ad Petri Cathedram*: « Vene-

cilii Oecumenici eminenter ostendit S.S. Ioannes XXIII, toti Collegio episcopali munus docendi et regendi universam Ecclesiam incumbere, quod habet etiam solus Pontifex Romanus. Magni autem momenti esse videtur, ut non solum tempore Concilii, sed etiam modo communiori manifestetur, quantum fieri potest, cooperatio actuosa Collegii episcopalis uniti sub Primatu Summi Pontificis ad unam Ecclesiam regendam, ne a fidelibus episcopi habeantur tantum ut praefecti, qui decreto Congregationum romanarum exequuntur, necessitatibus administrationis celantibus actuosam in opera pastorali communionem. Ad hanc communem operam pastoralem promovendam, utile fortasse esse poterit, vim novam reddere conciliis episcoporum secundum provincias, praecipue autem secundum nationes aut regiones, « petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad Concilium convocandum eique praesidendum » (*C.I.C.* 281). Multae enim et graviores quaestiones non iam pro unaquaque dioecesi ponuntur. Propter eamdem causam referre fortasse videbitur, ut potestas Primatum et Metropolitarum efficacius evadere queat. Quidquid de his rebus videbitur peritis et sapientibus opportunius decernendum, non immaturum nobis apparet votum, ut Concilium proximum dignetur doctrinam de Apostolicitate Ecclesiae magis enucleare, de auctoritate scilicet vera Collegii episcopalis cum Summo Pontifice uniti, non quidem divisa sicut inter diversa capita,[20] nec sicut inter ducem et consiliarios, sed vere *unica* inter membra organice ordinata, ita ut, cum doctrina tum in usu, quam maxime fulgeat *unitas* Episcopatus sub Primatu Romani Pontificis in Sancta et Catholica Ecclesia.

---

rabiles in Episcopatu Fratres, cum Orientis, tum Occidentis Ecclesiae; qui ut christiani populi moderatores, una Nobiscum, pondus diei toleratis et aestus » (*A.A.S.*, 1959, p. 518).

[20] Ideo, reiecta est Emendatio 35 super cap. III constit. de Ecclesia proposita, quia ex ea videbatur exsequi talis partitio. Sic enim sequebatur Emendatio 36 proposita: « Illa tamen divini Primatus potestas non est tota et absoluta potestas, quam Christus Ecclesiae suae tradidit. Si quidem huius totius potestatis participes sunt ipsimet Episcopi, Apostolorum successores, quos quoque Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » (*Col. Lac.*, p. 341). Quod R. P. D. Zinelli in sua relatione his verbis impugnabat: « At forsan Rev.mi Patres dicent: Nonne suprema et vere plena potestas est etiam in concilio oecumenico? Nonne Christus omnibus Apostolis promisit se futurum cum ipsis? Nonne Apostolis dixit: Quaecumque ligaveritis etc.? Nonne alia dixit quibus clare apparet, Ecclesiae suae supremam et plenam potestatem tribuere voluisse? Hoc libenter concedimus, ita tamen ut inconcussum maneat, quod saepe iam diximus, potestatem supremam et plenam Summi Pontificis nullo modo imminui, ex eo quod episcopi in concilio congregantur »

4. Indoles sacerdotii hierarchici in mentem revocetur

Medio Aevo propter historicas et sociologicas conditiones apparuit praestantia ordinis clericalis in Ecclesia; [21] contradicentibus vero Reformatoribus, eis propugnandus fuit et eo ipso firmiter inculcandus valor omnino servandus sacerdotii hierarchici; denique infesto impulsu « laicismi » ultimorum temporum vulgo depravata est notio cuiusdam « clericalismi » Ecclesiae catholicae, qua conscientia ipsa Christianorum est affecta. Quare opportunum videtur Concilium in mentes revocare, post ipsum S. S. Ioannem XXIII in litteris encyclicis *Princeps Pastorum,* structura organica Ecclesiae comprehendi non solum varios gradus hierarchiae sed etiam « ordinem laicorum », ita ut ex omnibus his elementis opus salutis exsequi debeat.[22] Ad quem finem obtinendum proferenda est in lucem, cum natura proprie ministerialis sacerdotii hierarchici, [23] tum

---

(*ibid.,* p. 357). Imprimis vero vitandum est, ne « dualismus qui confusionem parit, introducatur in Ecclesiam. Hoc postremum incommodum obtineret, si duae ab invicem distinctae et separatae vere plenae et supremae potestates admitterentur; at separare caput a membris est proprium illorum, qui subiiciunt Papam episcopis collective sumptis, aut repraesentatis a concilio generali... Si contra Summus Pontifex una cum episcopis, vel dispersis, vel congregatis, vere plenam et supremam potestatem in solidum exercet, nulla possibilis collisio » (*ibid.,* p. 358).

[21] Fatendum est quod principes saeculares magnas partes aliquoties tunc habebant etiam in gubernatione Ecclesiae. Vita ecclesiastica tamen ipsa ad ordinem clericorum potissimum ordinabatur, qui etiam in multis partibus vitae civium dominabantur. Aliquo modo videre licet in rebus particularibus sed magni momenti has structuras « clericales » vitae ecclesiasticae in Medio Aevo paginis legendis, quas J. A. Jungmann huic aetati in libro « Missarum Solemnia » impendet.

[22] Cf. S. P. Ioannes XXIII in litteris encyclicis *Princeps Pastorum*: « Quocumque Ecclesia sua pacifica agmina inducit, ibi necesse est ut integra constitutio sua habeatur, quae non modo variis Hierarchiae gradibus constat, verum etiam laicorum ordine; pariterque necesse est ut per eos omnes salutariter operetur » (*A.A.S.,* 1959, p. 849). Cf. *Mystici Corporis* (*A.A.S.,* 1943, pp. 200-201). Cf. *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.,* 1926, p. 78).

[23] S. Augustinus, *Contra litteras Petiliani,* III, 54, 66: « Quomodo verum est " Neque qui plantat est aliquid, neque est qui rigat, sed qui incrementum dat Deus ", nisi quia ad aliud aliquid est, ad aliud non est aliquid? Ad ministrandum et dispensandum Verbum ac Sacramentum aliquid est: ad mundandum autem et iustificandum non est aliquid » (*PL.,* 43, 384).

Enar. in psalm. 125, 3: « Ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant, et tamquam custodiant populum... Quomodo ergo custodimus? Quomodo homines; quantum possumus, quantum accepimus. Et quia nos sicut homines custodimus, et perfecte custodire non possumus, ideo sine custode remanebitis? Absit... Custodimus enim vos ex officio dispensationis; sed custodiri volumus vobiscum.

sacramento ordinis sacerdotes instrumenta effici Summi Sacerdotis, qui « dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph.* V, 25-26), et sic omnium eorum potestatem ad populum credentium constituendum ordinari, ut aedificetur sicut « domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum » (*I Petr.* II, 5).[24]

5. Ostendatur dignitas et munus totius populi christiani

Huius vero « sacerdotii sancti », quod Petrus baptizatis attribuit, notio ipsa magis enucleata fidelium intersit multum. Non agitur sane, ut S.S. Pius XII in litteris encyclicis *Mediator Dei* notavit, de potestate sacerdotali, quae in multitudine Christianorum radicaliter contenta sacerdotibus ordinis hierarchici nisi ut delegatis ab ea multitudine communicaretur.[25] Sed, hoc errore ablato, nec auctoritate nullo modo minuta, quam propriam habet sacerdotium hierarchicum ex eo quod personam ipsam Iesu Christi tenet,[26] Concilium profecto ad fidem Christianorum stimulandam et augendam conferre poterit, si clare exposita sit indoles illius dignitatis a Patribus Ecclesiae saepe evocatae[27] et a Principe

---

Tamquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tamquam vobis ex hoc loco doctores sumus: sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus » (*PL.*, 37, 1669).

[24] Cf. S. Thomas, *S. Theol.*, 2-2, 99, I, 2 m: « Populus christianus per fidem et sacramenta Christi sanctificatus est, secundum illud *I ad Cor.* VI: Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Et ideo *I Petri,* II, dicitur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et ideo id quod fit in iniuriam populi christiani... pertinet ad irreverentiam sacrae rei ».

[25] Cf. *A.A.S.,* 1947, p. 553 et *Doc. Cath.,* 1948, col. 219.

[26] Cf. *ibid.*

[27] Cf. S. Leo Magnus, *Serm.* 4, 1: « Omnes enim in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes: ut... universi spiritales et rationabiles christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? » (*PL.* 54, 148-149).

S. Ioannes Chrysostomus, *Hom. 18, in ep. II ad Cor.,* 3: « Interdum nihil inter sacerdotem interest, et eos quibus praeest, velut cum tremenda mysteria percipienda sunt: aeque enim omnes ad ea admittuntur: non sicut in Veteri Testamento alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc autem secus res se habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur. In precationibus quoque populum videris multum conferre. Et enim pro energumenis, et pro iis qui in paenitentia sunt, communes et a sacerdote et ab ipsis preces fiunt... Ad haec cum pax danda vicissimque accipienda est, omnes mu-

Apostolorum agnitae, cum dicit: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*I Petr.* II, 9). Simul ostendi poterit, quae officia Christianis huic dignitati respondeat: se cum Christo immolato offerendi; [28] sollicitudinem habendi de commodis Ecclesiae; [29] ad opera apostolica Ecclesiae pro sua parte conferendi.[30] Sensu « sacerdotii » fidelium sic in memoriam revocato,

---

tuo nos exosculamur. Iam in tremendis quoque mysteriis, ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro sacerdote vota facit: haec enim verba, Et cum spiritu tuo, nihil aliud quam hoc significant. Rursus ea oratio, qua Deo gratiae aguntur, utriusque communis est: neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id digne ac iuste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Quid autem miraris, si cum sacerdote plebs loquatur interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim ac supernis Virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in caelum mittat? » (*PG.*, 61, 526) *Doc. Cath.*, 1928, col. 1288.

[28] Cf. PIUS XI, *Miserentissimus Redemptor,* A.A.S., 1928, p. 171. PIUS XII, *Mediator Dei, A.A.S.,* 1947, p. 552, 557 et *Doc. Cath.,* 1948, col. 218. 222.

[29] Cf. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *loc. cit.*: « Haec porro cuncta eo a me dicuntur, ut unusquisque advigilet; illudque intelligamus, nos omnes unum corpus esse, tantumque dumtaxat inter nos differre, quantum membra a membris differunt: ac proinde ne omnia ad sacerdotes reiiciamus; quin potius nos Ecclesiae totius, perinde ac communis corporis, cura afficiamur. Hoc enim et maiorem securitatem affert, et maioris virtutis incrementum nobis comparat. Audi quippe quomodo apostolorum tempore ipsis persaepe eos, quibus praeerant, consilii socios adhibebant. Nam cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt; et cum Petrus Matthiam, de ea re cum omnibus qui tum aderant, tam viris quam mulieribus, agitavit. Neque enim hic qui praesunt fastum prae se ferre debent, nec qui subsunt, servi habendi sunt, verum spirituale imperium est, hoc praesertim nomine superiores partes obtinens, quod pro vestrae salutis cura plures labores suscipiat, non autem quod plures honores requirat: Etenim omnes, ut domum unam, sic Ecclesiam habitare; ut unum corpus, ita affectos esse convenit: quemadmodum et baptisma unum est, et mensa una, et fons unus, et creatio una, sic et Pater unus ».

[30] Cf. PIUS XI, *Ubi Arcano*: « Illud porro in Christi fidelium mentes revocate, quod cum ii, vobis cleroque vestro auctoribus, in provehenda Christi cognitione et amore publice privatim inculcando navant operam, tum demum maxime digni sunt qui salutentur genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*A.A.S.,* 1922, p. 695 et *Doc. Cath.,* 1923, col. 83).

Litterae *Cum ex epistula, A.A.S.,* 1928, p. 296: « Habeant sibi persuasum, singulari prorsus Dei gratia se ad eiusmodi munus vocari ac deligi, quod a sacerdotali munere haud longius abest, cum Actio catholica nihil demum sit aliud, nisi christifidelium apostolatus, qui, ducibus Episcopis, adiutricem Ecclesiae operam praestat et pastorale eius ministerium quodammodo complet » (*A.A.S.,* 1928, p. 296).

CLEMENS ALEXANDRINUS, *Fragm. in I Petr.*: « Vos autem genus electum,

revocari etiam utiliter poterit varietas charismatum, quae Spiritus Sanctus inter membra Ecclesiae, ut vult, distribuit (cf. *I Cor.* XII, 11), eaque secundum Apostolum omnia ad aedificationem Corporis Christi conferre. Nimis enim hodie indistincte in sacerdotio ministeriali coadunata et in unum quasi coalita atque cum eo apud multorum mentes confusa, non satis ostendunt, quam multiplicibus viis Dominus in Ecclesia sua operatur et quomodo unusquisque talentis suis quam uberrime uti possit. Utile denique erit, si distincte simul et synthetice definiatur conditio in sinu Ecclesiae illius « ordinis laicorum », cuius S. S. Ioannes XXIII mentionem in suis litteris encyclicis fecit et de quo S. S. P. P. Pius XI et Pius XII pretiosa documenta iam dederunt.[31]

* * *

Haec sunt praecipua, quae nobis videntur iudicio proximi Concilii permitti posse et quibus operam dando parare possit illam novam Pentecosten, quam dixit S. S. Ioannes XXIII se ex eo expectare.

---

regale sacerdotium... Sacerdotium autem propter oblationem, quae fit orationibus et doctrinis quibus adquiruntur animae quae offeruntur Deo » (*C.G.S.*, III, 204, 21-25).

[31] Pius XII, *Allocutio novellis Cardinalibus*, diei 20 februarii 1946: « I fedeli, e più precisamente i laici, si trovano nella linea più avanzata della vita della Chiesa; per loro la Chiesa è il principio vitale della società umana. Perciò essi, specialmente essi, debbono avere una sempre più chiara consapevolezza, non soltanto di appartenere alla Chiesa, ma di essere la Chiesa, vale a dire la comunità dei fedeli sulla terra sotto la condotta del Capo comune, il Papa, e dei Vescovi in comunione con lui. Essi sono la Chiesa, e perciò... » (*A.A.S.* 1946, p. 149 et *Doc. Cath.*, 1946, col. 176).

UNIVERSITAS BERYTENSIS
SANCTI IOSEPH

UNIVERSITAS BERYTENSIS
SANCTI IOSEPH

Ad respondendum invitationi Commissionis Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici, Universitas Sancti Ioseph Berytensis sequentia humiliter proponenda censuit.

I. DE EPISCOPIS

Optandum videtur ut dogmatica expositio fiat « de Ecclesia ». Huius expositionis fundamentum positum est in Concilii Vaticani Constitutione de Ecclesia, in qua Romani Pontificis primatus statuitur. Manet opus perficiendum, determinando quae sint partes episcopatus et quae eius relationes cum Sede Romana in corpore Ecclesiae.

Episcopi, una cum Romano Pontifice, eo ipso quod sunt collegii Apostolorum continuatio, triplex munus doctrinale, iuridicum, sacerdotale, in Ecclesia exercent. Ulterius inquirendum esset annon docendi et leges ferendi munus non sit ipsius sacerdotii exercitium.

Quod munus docendi exercetur ab episcopo eo ipso quod sedem aliqualem teneat.

In Concilio Oecumenico collegium episcopale Ecclesiae infallibilitatem participat; neque contradicit huius collegii partibus in definiendo personalis infallibilitas episcopi romani, nec eas minuit, sed potius continuat et perficit. Est enim Romanus Pontifex definiens simul et doctor fidelium et vox Ecclesiae credentis, fidem exprimens quam Revelatione accepit et in Sacra Scriptura et Traditione integram inviolatam possidet et servat.

Est autem communis episcoporum doctrina huius Traditionis elementum essentiale, cum ad ipsos pertineat ius et officium fidei depositum docendo transmittere.

Quoad iurisdictionem, oporteret exactius exponere quomodo se habeant inter se iurisdictio Romani Pontificis in Ecclesiam universalem et iurisdictio episcopi in suam dioecesim; quae duae iurisdictiones, nedum inter se opponuntur vel se coarctant, unitatem Ecclesiae exprimunt.

II. DE OBICIBUS AD ORIENTALIUM REDITUM MITIGANDIS

Orientales quasi lapis vel externum quid in corpore Ecclesiae a multis haberi videntur, quorum scilicet diversi ritus propter antiquitatem tolerantur sed sedulo limitantur.

Etsi e contra unitas disciplinae in regionibus orientalium exoptanda est, nullo modo debet offendere rituum diversitatem, quae earumdem regionum quasi divitiae et splendor existunt. Quae varietas, si efficacius agnosceretur, facilior evaderet reditus ecclesiarum separatarum ad unitatem.

Optandum videtur ut in vitam Ecclesiae universalis profundius inserantur patriarchae orientales, v. g. iure suffragii in eligendo Summo Pontifice.

Tandem oporteret:

— exacte et presse inquirere quid significetur cum dicitur de fratribus separatis, — immo de eorum ipsis ecclesiis —, eos (vel eas) aliquo tamen modo ad Ecclesiam Christi pertinere;

— inter schisma et haeresim melius distinguere;

— valorem aliquatenus ecclesiasticum sacramentorum a christianis separatis collatorum studiosius inquirere;

— quae sit relatio ad Ecclesiam hominum non-baptizatorum bonae fidei.

III. DE UNITATE IURISDICTIONIS

In Concilio Vaticano, tum in postulatis, tum in orationibus in ipso concilio habitis, patres plures enixe rogarunt ut munus et auctoritas episcoporum plenius exponerentur. Istis optatis iam, quoad disciplinam, canones Iuris Canonici responderunt. Nova tamen problemata exorta ex aucta Ecclesiae vita et multiplicatis catholicae actionis operibus requirunt ut complete partes episcopi in Ecclesia et in sua dioecesi exponantur. Quod opus maximi est momenti et ponderis pro Ecclesia in Proximo Oriente, ubi ex illo magna ex parte pendent vitae Ecclesiae progressus et fulgor qui ad Matrem dissidentes alliciant.

Iam in Concilio Vaticano Patres orientales suis postulationibus et orationibus petebant ut auctoritas hierarchiae restitueretur. In actis commissionis orientalis, quae eamdem curam probant (*Mansi, TT.* 49 et 50), declaratur quantae difficultates oriantur ex multiplicitate hierarcharum et clerorum ac diversitate legum, ex quibus sequuntur oppositiones in regimine fidelium et apostolatus, responsa diversa similibus problematibus data. Quare ipsa commissio proponebat ut aliqua unitas disciplinae vere

orientalis instauraretur. Sed nonaginta anni elapsi probaverunt medium propositum ad optatam unitatem procurandam non satis esse.

Etenim, in civitatibus ubi fideles ad diversos pertinent ritus, multiplicitas operum efficit ut plures et graviores oriantur quaestiones, cum in eodem territorio plures diversi ritus paroeciae et cleri a diversis episcopis pendeant. Ad grave impedimentum Ecclesiae apostolatus et actionis praecavendum, in Motu Proprio « Cleri sanctitati » statuit canon 4: « Locorum Hierarchae in eodem territorio iurisdictionem obtinentes, collatis consiliis, unitatem actionis inter diversi ritus clericos foveant et, viribus unitis, communia adiuvent opera ad bonum religionis expeditius promovendum et cleri disciplinam efficacius tuendam ». Et canon 3: « Caveant sacri ministri ne ritus diversitas obstet quominus unitatem servent spiritus in vinculo pacis ».

Etenim ad illam unitatem procurandam, ut experientia patet, non sufficit unitas disciplinae: multa problemata quae quotidie nascunt in vita fidelium in territoriis ubi diversae habentur religiones (conversationes cum acatholicis, matrimonia mixta, communicatio in sacris...) diversimode solvuntur a diversis episcopis aut a clericis secundum normas ab episcopis probatas. Porro fideles et etiam dissidentes, imo ipsi mahumedani exculti qui iurisdictionem obtinent regiminis aut iudicii mirantur et scandalizantur, cum animadvertunt decreta diversa statuta de similibus quaestionibus a diversis hierarchis. Ad rationem dandam istius diversitatis, quam ipsa Commissio Orientalis Concilii Vaticani improbabat, poterat nuper afferri disciplinae diversitas. Quod iam allegari nequit post promulgatam, in pluribus materiis, novam communem disciplinam. Atqui praescripta novi iuris et responsa Sedis Apostolicae diverso modo interpretantur et applicantur a diversis sedibus. Fideles opponunt acta contraria in negotiis magni momenti, ut sunt praescripta Ecclesiae de matrimoniis mixtis, de benedictione matrimonii a sacerdote dissidente vel de sacramentis acatholicis ministrandis. Nonne hierarchae in eodem loco iurisdictionem obtinentes nondum, post decem annos, venerunt ad pactionem quam Codex de Processibus (can. 436, 3) postulat ut « eadem regula taxarum de expensis iudicialibus pro omnibus statuatur »?

Sic constat unitatem disciplinae non posse stabilire veram unitatem optatam, quamdiu non unico eidemque Antistiti commissum fuerit erga omnes et omnia « ius et officium gubernandi eparchiam tum in spiritualibus tum in temporalibus » (MP. « Cleri sanctitati » can. 399; *C.I.C.* 335).

Propterea optandum videtur ut in singulis territoriis unica iurisdictio constituatur in omnes fideles ab uno hierarcha, cui subsint singuli syncelli ceterorum rituum et omnes ecclesiae et oratoria. Sic extenderetur norma

can. 5 MP. « Cleri sanctitati » qua statuitur: « cleri et religiosi, exempti quoque, in locis ubi ritus a proprio diversus unicus est vel praevalens,... a loci Hierarcha huius ritus in iis quae sacrum ministerium pendent eique plene subiiciuntur ».

Imo nemo non videt quantum optabile sit ut plenus vigor tribuatur praescriptioni can. 216, 2, 1°, de Patriarchis, ita ut Patriarcha obtineat exclusivam « iurisdictionem in omnes Episcopos, non exceptis Metropolitis, clerum et populum alicuius territorii... » et non tantum proprii ritus. Ita constitueretur in regione ubi numero fidelium ritus praevalet vel antiquis temporibus observatur, unicus pater et caput. Verbi gratia, in Libano, Patriarcha Maronitarum; in Aegypto, Patriarcha Coptorum; etc.

Qua disciplina reditus fieret ad ea quae a Concilio Lateranensi IV, can. 9: « Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide diversos ritus et mores, districte praecipimus ut pontifices huiusmodi civitatum sive dioecesium provideant viros idoneos qui secundum diversitatem rituum et linguarum divina officia illis celebrent et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo. Prohibemus omnino ne una eademque civitas sive dioecesis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita quasi monstrum. Sed si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, Pontifex loci catholicum praesulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus. Unde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum, et nec si resipuerit, ab omni ministerio deponatur, adhibito si necesse fuerit brachio saeculari ad tantam insolentiam compescendam ».

Quae disciplina congruit cum canonibus antiquarum synodorum pluralitatem episcoporum in eodem loco reprobantium, et cum consuetudine quae apparet ex dictis Balsamon in responsis ad Marcum Alexandrinum qui, dum utebatur liturgia sancti Chrysostomi, regebat etiam clericos qui utebantur liturgia sancti Marci vel sancti Iacobi (Resp. 1 ad Marcum Alex. et Comment. in can. 32 in Trullo; *PG.* 138, 953, et 137, 622).

Inter bona ex hac unitate iurisdictionis promanantia, haec notari possunt:

1. Auctoritas et dignitas Episcopi orientalis firmarentur et augerentur ac ex aucto numero propriorum fidelium crescerent, quod iam erat in votis in Concilio Vaticano, ne hierarchia orientalis inferior latina habeatur. Iam antiquae synodi prohibuerant hac de causa multiplicitatem episcoporum in pagis et parvis civitatibus (can. 6 Sardic.; can. 57 Laodic.).

2. Hierarcha iam regere posset efficaciter totam actionem Ecclesiae in eparchia.

3. Cum omnes clerici sub eius auctoritate essent, posset Episcopus illos opportune distribuere et applicare ad varia opera et loca; advigilare ne abusus in disciplinam irrepant ex parte clericorum qui extra propriam eparchiam munus suscipiunt in operibus et collegiis alius ritus.

4. Unio foveretur inter cleros diversorum rituum qui possent, ut in usu fuit, in seminariis inter-ritualibus institui. Ita facilior evaderet unio inter illos et notitia liturgiae necnon consuetudinum diversarum communitatum apud quas operam suam navare debent.

5. Tollerentur inter diversos ritus contentiones et querelae de praecedentia quae multum detrimentum Ecclesiae inferunt.

6. In maiore existimatione erunt Episcopi catholici apud dissidentes, quibus patebit Ecclesiam Romanam singulari honore prosequi Episcopos orientales et diversitatem rituum unitati Ecclesiae non obstare.

7. Multae tollentur preces ad mutationem ritus obtinendam, quae suscitantur desiderio se eximendi episcopo vel ritus nativi vel ritus qui respondet ritui nativo acatholico; et ita ritus stabilietur.

8. Evanescunt difficultates quae nascuntur e locis subiectis alii iurisdictioni, sive agatur de benedictione matrimonii, sive de concessione dispensationum vel iurisdictionis quae in proprio territorio limitatur. Qua mutatione supprimuntur limitationes auctoritatis Hierarchae in propria eparchia.

9. Talis disciplina respondet optatis plurium fidelium qui pluries ultimis annis postulaverunt instaurari unitatem iurisdictionis vel paroecias inter-rituales.

10. Tantum abest ut illa disciplina minuat iura patriarcharum, ut e contra permittat antiquum splendorem sedium patriarchalium restitui. Etenim si auctoritas Patriarchae in minore territorio exerceretur, in illo unica esset et erga communitates proprii ritus extra patriarchatum commorantes Patriarcha exercere valeret iura quae illi agnoscuntur cann. 261 et 262 MP. « Cleri sanctitati ».

11. Synodi oecumenicae antiquae pluries circumscriptiones et iura Sedium Patriarchalium mutaverunt. Ex can. 217 MP. « Cleri sanctitati », Romanus Pontifex et Synodus Oecumenica eorum titulos mutare possunt. Quantopere referret ad praestantiam sedium restaurandam, unumquemque titulum unicae sedi tribui.

12. Ad illam dignitatem firmandam, secundum vota fidelium orientalium, optandum denique videtur ut Patriarchae, capita ritus et territorii, in senatu Ecclesiae Romanae admittantur, sive ipso iure inter patres cardinales vocentur, sive illis plene aequiparentur.

IV. DE ORIENTALIBUS RITE COLENDIS

In Concilio Vaticano parabantur normae de clericis qui ministerium sacrum inter Orientales destinebantur in Proximo Oriente. Iam amplior fit quaestio ex aucto numero communitatum orientalium in Occidente commorantium.

Unde:

1. Scientia disciplinae orientalis clericis Ecclesiae occidentalis iam videtur necessaria. Etenim, experientia constat, plures fideles orientales, qui ex occidentalibus regionibus in patriarchatum redeunt, difficultatibus premi, quae ignorantiae iuris orientalis apud clerum latinum tribuendae sunt. Quare explicatio disciplinae orientalis saltem summaria in facultatibus et seminariis latinis optanda est. Sic iurisperiti latini iam vitarent periculum solvendi quaestiones in quibus orientales partem habent, recurrendo unice ad normas iuris latini.

2. Orientales in occidente degentes ubi iam a pluribus generationibus eorum parentes migrarunt cives sunt novae patriae cuius lingua utuntur. Orientis linguam ignorant, a fortiori linguam liturgicam sui ritus. Data experientia sacerdotum orientalium qui istarum parvarum communitatum curam agunt, quaeri potest utrum opportunum sit conservare tales « minoritates », illas attrahendo extra communem vitam populi christiani dioeceseos in qua degunt, quin possint nutriri divitiis proprii ritus cui iam extranei sunt et lingua et consuetudine.

ALBANUS DE JERPHANION, S. I.
Rector

PONTIFICIA UNIVERSITAS XAVERIANA

PONTIFICIA UNIVERSIDAD CATOLICA JAVERIANA

RECTORADO

BOGOTÁ

2 C/59-16 Die 20 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Cum ab Eminentia vestra Reverendissima litterae, die 18 iulii 1959 in Civitate Vaticana datae, serius ad me pervenissent, Theologicae Facultatis huius Pontificiae Universitatis Xaverianae magistros quam primum convocavi, ut et ipsos de desideriis Suae Sanctitatis certiores facerem et ab eis quaererem quae ipsi Patribus in Concilio congregatis proponenda censerent.

Sententiis igitur Theologicae Facultatis magistrorum collatis ac, quantum temporis angustiae ferebant, sedulo perspectis, haec nomine huius Universitatis reverenter audeo consideranda proponere:

De re dogmatica

1. Ut Dogmatica Expositio fiat de doctrina Primo Concilio Oecumenico Vaticano proposita in schemate de Ecclesia Christi, habita praesertim ratione axiomatis « Extra Ecclesiam nulla salus ».
2. Ut Doctrinae Catholicae expositio praebeatur circa Evolutionismum, Polygenismum et interpretationem priorum capitum Geneseos.

De re morali

1. Ut religiosorum, quippe qui Summi Pontificis clerus sunt, exemptio conservetur; et ut eiusdem exemptionis rationabiles et convenientes limites determinentur.
2. Ut libros prohibitos legendi facultatem ii, qui tali lectione propter finem scientificum indigent, facilius obtinere possint.
3. Ut habenti iurisdictionem ad confessiones audiendas a proprio Ordinario acceptam, simul sit:
   a) iurisdictio in tota sua natione;
   b) iurisdictio universalis ad audiendas sacerdotum confessiones.

4. Ut actio in causis matrimonialibus expeditior fiat.
5. Ut Studiorum Ecclesiasticorum ordinatio recognoscatur et aptetur.
6. Ut « segregatio stirpium », quae dicitur, damnetur.
7. Ut ritus ac lingua in Sanctissimo Eucharistiae Sacrificio hodiernorum hominum indoli et captui aptiora fiant.

Ut vero futuri Universalis Concilii et Pontificiae nunc Commissionis cui digne Eminentia vestra Reverendissima praeest laboribus copiosa divinitus gratia comitetur, votis precibusque Dominum flagito atque obsecro.

Eminentiae vestrae Reverendissimae
Obsequentissimus

CAROLUS ORTIZ R., S. I.
Rector

PONTIFICIA UNIVERSITAS
COMILLENSIS

PONTIFICIA UNIVERSITAS COMILLENSIS
COMILLAS (SANTANDER-ESPAÑA)

Prot. N. 2 C/59-19 1 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Ut attente respondeam humanissimis Eminentiae Vestrae litteris, quibus Universitatum sententias expostulat circa materias proponendas Oecumenico Concilio, quod Sanctissimus Papa Noster, Ioannes XXIII, annuntiavit, censeo in genere potissimum standum esse iudicio Sanctae Sedis, cui compertae plane sunt Ecclesiae multiplices necessitates et ingruentia pericula. Hoc autem Sanctae Sedis iudicium patefaciunt tum *schemata,* iussu Apostolicae Sedis a viris peritissimis concinnata pro Concilio Vaticano, quod tamen propter temporum iniurias suspendi debuit, tum *Encyclicae Litterae* aliaque plura monumenta, quibus Romani Pontifices, inde praesertim a Leone XIII, f. m., indesinenter vitam genuine christianam ordinaverunt, divinum cultum et sacramentorum administrationem promoverunt atque doctrinam a Deo revelatam fidelissime tutati sunt.

Haec summatim (cp. 1-2) colligam, deinde vero (cp. 3) ea in specie attingam, quae *de doctrina theologica* et *de vita ad unionem* praecipua esse videntur, tandem (cp. 4-5) ea comprehendam, quae *de Iure Canonico* et *de Philosophia* proponenda occurrunt.

Eminentiae Vestrae humillimus et obedientissimus
in Christo servus

IOSEPHUS ESCUDERO, S. I.
Rector

CAPUT I

SCHEMATA CONCILII VATICANI

Ad schemata, quod attinet, pro Concilio Vaticano diligenter praeparata, ea seligi, compleri et ad recentissimas Ecclesiae necessitates adaptari poterant, quae maxime utilia etiam nunc censerentur. Ex schemate *Constitutionis dogmaticae de fide catholica* solum octo priora capita definiri potuerunt; ex reliquis vero decem capitibus resumi poterant ea praesertim, quae agunt de Creatione, Redemptione, origine hominis ab Adamo eiusque animae spiritualitate et ad ordinem supernaturalem elevatione, de peccatis originali et personalibus hominum atque de eorum aeterna sanctione, quae quidem capita, etsi non plene, quadamtenus tamen discussioni Patrum in Concilio Vaticano subiecta sunt: *Msi* 50, 60-340; 51, 31-450.

Ex amplissimo schemate *Constitutionis dogmaticae de Ecclesia* definitum tantum est caput XI, de potestatibus supremi visibilis Ecclesiae Capitis et de eius infallibilitate. Alia quindecim capita summe utilia contra multiplices nostrorum temporum errores censentur, ea praecipue quae agunt de Corpore Christi Mystico, de necessitate Ecclesiae ad salutem, de Ecclesia ut societate visibili et perfecta, de eius unitate et indefectibilitate, de potestatibus magisterii, sacerdotii et regiminis Ecclesiae, de concordia inter Ecclesiam et Statum necnon de specialibus Ecclesiae iuribus relate ad Civitatem, quorum plura iam in Vaticano discussa sunt: *Msi* 51, 539-1.070; 52, 1-1.350.

Non minoris hodie utilitatis forent schemata *De Matrimonio, de libris Veteris et Novi Testamenti, De Missionibus et De Rebus Orientalium,* quorum solum schema De Missionibus discussum est: *Msi* 53, 45-156, 715-722, 893-914.

Praeter haec, nota sunt viginti et sex alia schemata *De Disciplina,* inter quae mentione digna sunt quae agunt De Episcopis, De Capitulis Canonicorum, De Parochis, De vita et honestate clericorum, De Seminariis et gradibus academicis, De praedicatione et administratione Sacramentorum, De impedimentis Matrimonii: *Msi* 53, 721-784; aliquorum discussio: *Msi* 50, 359-944; 51, 449-535; 53, 1-46.

Accedunt denique decem et octo schemata *De Regularibus,* necnon quindecim alia *De rebus politico-ecclesiasticis,* quae discussioni proponi

non potuerunt; sed in eis consideratione valde digna sunt ea praesertim, quae directe respiciunt relationes inter Ecclesiam et Statum: *Msi* 53, 783-894.

CAPUT II

SUMMORUM PONTIFICUM LITTERAE ENCYCLICAE

Ad Summorum Pontificum monumenta post Concilium Vaticanum exarata censeo accurrendum esse, ad complendum rerum conspectum novo Concilio proponendarum. Ex illis depromi possent ea quae de doctrina, de disciplina, de divino cultu et Sacramentorum administratione, maioris hodie utilitatis sunt.

Cum iuxta Pii XII edictum probe constet, « sacrum Magisterium in rebus fidei et morum cuilibet theologo proximam et universalem veritatis normam esse debere » *A.A.S.* 42 (1950) 567, oporteret sane ut a Concilio definirentur *principia et potiora capita* doctrinae Ecclesiae de iis, ex quibus graviores ac plures errores profluunt.

a) De Modernismo, iuxta Pii X Encycl. *Pascendi* et Decretum *Lamentabili*: *A.A.S.* 40 (1907) 470 ss., 593 ss.

b) De sic dicta *Nova Theologia*, iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.

c) De Ecclesiae unitate et unicitate, iuxta Encycl. Leonis XIII *Satis cognitum* et Pii XI *Mortalium animos*: *A.S.S.* 28 (1896) 708 ss.; *A.A.S.* 20 (1928) 5 ss.

d) De potestatibus Ecclesiae ac maxime de Magisterio, iuxta Pii XII Encycl. *Humani generis* et *Ad Sinarum gentem,* atque eiusdem Allocutiones *Si diligis, Magnificate* et *Di gran cuore*: *A.A.S.* 42 (1950) 561 ss.; 46 (1954) 313 ss.; 666 ss.; 47 (1955) 9 ss.; 48 (1956) 704 ss.

e) De Corpore Christi Mystico eiusque veris membris, iuxta Pii XII Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.* 35 (1943) 193 ss.

f) De Sacerdotio catholico, iuxta Encycl. Pii XI *Ad Catholici Sacerdotii* et Adhortationes Pii X *Haerent animo* et Pii XII *Menti Nostrae*: *Acta* Pii X, 4, 237 ss.; *A.A.S.* 28 (1936) 5 ss.; 42 (1950) 675 ss.

g) De divino cultu et sacra Liturgia, iuxta Pii XII Encycl. *Mediator Dei* et *Musicae sacrae*: *A.A.S.* 39 (1947) 521 ss.; 48 (1956) 5 ss.

h) De Sacra Scriptura, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Providentissimus*, Benedicti XV *Spiritus Paraclitus* et Pii XII *Divino afflante Spiritu*: *A.S.S.* 26 (1893) 278 ss.; *A.A.S.* 12 (1920) 393 ss.; 35 (1943) 297 ss.

i) De Mariologia, iuxta Pii XII Bullam *Munificentissimus* et Ency-

clicas *Fulgens corona* et *Ad caeli Reginam*: *A.A.S.* 42 (1950) 735 ss.; 45 (1953) 577 ss.; 46 (1954) 625 ss.

j) De Matrimonio, iuxta Pii XI Encycl. *Casti Connubii*: *A.A.S.* 22 (1930) 539 ss.

k) De ordine sociali seu de sociali Ecclesiae doctrina, iuxta Encyclicas Leonis XIII *Rerum Novarum* et Pii XI *Quadragesimo Anno* et *Divini Redemptoris*: *A.S.S.* 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 23 (1931) 177 ss.; 29 (1937) 65 ss.

l) De apostolicis Missionibus, iuxta Epist. Benedicti XV *Maximum illud* et Encyclicas Pii XI *Rerum Ecclesiae* et Pii XII *Evangelii praecones* et *Fidei donum*: *A.A.S.* 11 (1919) 440 ss.; 18 (1926) 65 ss.; 43 (1951) 497 ss.; 49 (1957) 225 ss.

m) De Orientalium Ecclesiis, iuxta Encycl. Pii XI *Ecclesiam Dei, Rerum Orientalium, Lex veritatis,* et Pii XII *Orientalis Ecclesiae, Orientales omnes, Orientales Ecclesias*: *A.A.S.* 15 (1923) 573 ss.; 20 (1928) 277 ss.; 23 (1931) 493 ss.; 36 (1944) 129 ss.; 38 (1946) 33 ss.; 45 (1953) 5 ss.

n) De relationibus Ecclesiam inter et Statum, iuxta *Syllabum* Pii IX et Encyclicas Leonis XIII *Diuturnum illud, Immortale Dei, Libertas, Sapientiae christianae, Rerum Novarum,* collata Pii XII allocutione *Vous avez voulu*: Denzinger nn. 1.719-1.755; *A.S.S.* 14 (1881) 1 ss.; 18 (1885) 161 ss.; 20 (1888) 593 ss.; 22 (1890) 385 ss.; 23 (1891) 641 ss.; *A.A.S.* 47 (1955) 677 ss.

o) De christiana iuventutis educatione, iuxta Pii XI Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930) 49 ss.

p) De dogmatico fundamento cultus Ss.mi Cordis, iuxta Pii XI et Pii XII Encycl. *Miserentissimus Redemptor* et *Haurietis aquas*: *A.A.S.* 20 (1928) 165 ss.; 48 (1956) 309 ss.

CAPUT III

EX DOCTRINA DOGMATICA

Ut aliqua in specie attingam, quae nostro sane iudicio, Concilii deliberationibus proponi deberent, praecipua haec sunt, quae sequuntur.

A) Relate ad doctrinam theologicam ab omnibus omnino tenendam.

a) *De fontibus revelationis.* Consemus opportunum esse renovare ac complere Decreta Conciliorum Tridentini et Vaticani, ita ut plenius definiatur divinae inspirationis natura et extensio intra diversa litteraria

sacrorum librorum genera, adeo ut tuto discerni possint ea, quorum Deus verus est auctor, ab illis, quae forte auctori humano tribui possint. De relatione inter sacram Scripturam et divinam Traditionem, iudicio Concilii submittenda forte esset sententia recentiorum irenistarum, integrum revelationis obiectivae depositum in sacris Scripturis contineri, adeo ut divinae Traditioni functio tribuatur mere transmittendi, proponendi et explicandi depositum fidei, in sola Scriptura plene contentum. De interpretatione vero sacrae Scripturae, contra relativismum exegeticum, ad quem ducere potest abusus sic dictorum « generum litterariorum », urgendum esset criterium a Conciliis Tridentino et Vaticano statutum, videlicet sacram Scripturam intelligendam esse iuxta viventem in Ecclesia divinam Traditionem, in consensu Sanctorum Patrum manifestatam, et secundum iudicium authenticum Magisterii Ecclesiae.

b) *De methodo theologica,* quae perperam adhibita « Novae Theologiae » errores induxit. Accuratius determinandae essent partes quae in theologica investigatione fontibus revelationis, Magisterio Ecclesiae, scriptis Sanctorum Patrum et Theologorum et humanae rationi competunt. Stabilire oporteret doctrinam de capacitate humanae rationis ad theologicas veritates intelligendas et de valore perenni Theologiae speculativae et positivae, quae ex principiis et fontibus omnino certis sub lumine fidei ductuque Magisterii comparetur, atque statuere « Ecclesiae Magisterium in rebus fidei et morum cuilibet theologo proximam et universalem veritatis normam esse debere » (*A.A.S.* 42 [1950] 567).

c) *De potestatibus ecclesiasticis.* Valde conveniens esset definire earum naturam essentialiter ministerialem, sub principali Christi Ecclesiae Capitis influxu, iuxta illud Sancti Pauli effatum: « sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*I Cor.* 4, 1); atque secundum hoc principium, ad Ecclesiae munera designandi et in illis retinendi tantum essent illi ministri, qui revera apti sint ad talia munera efficaciter exercenda. In iisdem potestatibus accuratius distinguenda essent ea, quae Episcoporum sunt propria *ex iure divino,* ab illis quae accedunt *ex iure ecclesiastico;* atque determinanda magis esset facultas, quae Apostolorum successoribus competit, suas potestates delegandi fidelibus, sive clericis sive etiam laicis. In specie de Magisterio Ecclesiae definienda esset eius auctoritas vere doctrinalis, atque diversi eiusdem potestatis gradus, quibus exerceri potest, necnon correlata subditorum obligatio eiusque diversi gradus et motiva, quibus fideles tenentur praestandi mentis assensum, non solum definitionibus infallibilibus, sed etiam declarationibus doctrinalibus vere authenticis. De obiecto vero Magisterii, praeter veritates depositi divinae revelationis, quas directe Magisterium attingit, determinandum esset criterium, iuxta quod

tuto discerni valeat extensio auctoritatis Magisterii ad alias veritates, de quarum formali revelatione minime constat.

d) *De necessitate Ecclesiae ad salutem et de eius membris.* Accurate statuta dogmatica notione Ecclesiae Christi, clare definienda esset ratio membri Ecclesiae, quae requiritur ac sufficit ad salutem obtinendam, atque decidendum, utrum baptizati, qui externe quidem sed bona fide, ad sectam haereticam vel schismaticam materialiter pertinent et internae gratiae donis ornati, haberi debeant ut membra ab Ecclesia avulsa an ut vera eiusdem Ecclesiae membra licet occulta. Pro illis autem, « qui circa christianam religionem invincibili ignorantia laborant, quique totam legem naturalem sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt », declarare oportet, quodnam fidei genus sit eis necessarium ad salutem consequendam. (Cf. Pium IX « Quanto conficiamur » *Denz.* n. 1.677). Determinare etiam oporteret adspectus praecipuos quibus omnia Ecclesiae membra, etiam si ad laicalem statum pertineant, active participare valeant, sub Episcoporum potestate, de exercitio facultatum docendi, sanctificandi et regendi, ad quod exercitium tandem reduci potest sic dictus « Laicorum apostolatus ».

e) *De creatione, elevatione et lapsu hominis.* Imprimis, necesse est statuere dogmaticum conceptum dignitatis personae humanae adversus errores doctrinae socialis atheistarum et statolatrarum. Renovare ac complere oporteret Concilii Tridentini doctrinam de origine hominis ab Adamo, de generis humani supernaturali elevatione et lapsu in protoparente, ac de plena gratuitate ordinis supernaturalis. Iudicium etiam ferendum esset de evolutionismo anthropologico et de polygenismo. Oporteret decidere quaestionem circa possibilitatem salutis supernaturalis infantium, qui sine Baptismo moriuntur, prae oculis habita multiplicitate opinionum theologorum de hac re, ad conciliandam voluntatem salvificam universalem Dei cum necessitate medii Baptismi et ad salvandam efficaciam meritorum Christi orationisque Ecclesiae pro omnium hominum salute. Definienda quoque esset vera ratio offensae Dei, quam induunt personalia hominum peccata, nec non natura satisfactionis, quae Deo est pro ipsis debita.

f) *De Eucharistia et Sacerdotio.* Definitorie forsan respondendum esset quaestionibus recenter agitatis de reali Christi praesentia in Eucharistia et de natura transubstantiationis; de iure, in quo fundatur discrimen ordinum Presbyteratus et Episcopatus; de indole activae participationis fidelium baptizatorum de christiano Sacerdotio; de ambitu potestatis Ecclesiae circa materiam et formam sacramentorum; nec non de quaestionibus, utrum suprema Ecclesiae auctoritas annullare possit actum potestatis ordinis positum ab aliquo qui vere sit Episcopus, aut mero

Presbytero concedere facultatem valide ac licite conferendi ordines Diaconatus et Presbyteratus. De iis statuere oporteret fundamentalia doctrinae Ecclesiae capita. Determinandus etiam esset gradus obligationis, qua Episcopi, ut Apostolorum successores, teneantur exsequi illud Christi mandatum: « Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19), Apostolis praescriptum eorumque successoribus « usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20), prout iam Pius XII innuit in Encycl. *Fidei donum*: *A.A.S.* 49 (1957) 225 ss.

g) Statuere oporteret Christum Dominum non errasse in annuntiando secundo suo adventu, atque vere proprieque Deo pro peccatis hominum sua morte satisfactionem praestitisse. Stabilienda quoque essent dogmatica fundamenta cultus et devotionis erga Sacratissimum Cor Iesu. Optandum valde esset ut probe definirentur principia dogmatica, ex quibus secure deducerentur et intra quae continerentur verae theologorum doctrinae asserentium, Beatam Mariam Virginem esse generis humani Matrem spiritualem, Corredemptricem omnium gratiarum.

h) *De relationibus Ecclesiam inter et Statum.* Post institutam divinitus Ecclesiam, ut perfectam societatem, ab Statu independentem, ad totalem curam de religione habendam, statuenda esset vera ratio, ob quam Status sit obligatus ad liberum et facile ubique reddendum verae religionis exercitium. Ad explicandas vero relationes quae intersunt inter utramque societatem perfectam decidendum esset utrum necesse sit admittere sic dictam « potestatem indirectam » Ecclesiae supra Statum an, ut recentioribus quibusdam perplacet, agnoscere sufficiat obligationem, quae erga ipsum Deum tam Ecclesia quam Status tenentur ad observandum ordinem divinitus statutum.

i) *De rebus moralibus.* Decidere forsan conveniret quaestiones circa malitiam et prohibitionem onanismi coniugalis nec non inseminationis artificialis. Iuvaret etiam declarare sensum definitivum Canonis septimi Concilii Tridentini de Matrimonio, ut clarius pateat, an videlicet Ecclesia in nullo casu facultatem habeat dissolvendi vinculum Matrimonii baptizatorum rati et consummati, non obstantibus textibus (*Mt.* 5, 32; 19, 9). Statuere etiam oporteret principia iuxta quae determinari possit ambitus liceitatis transplantationis organorum humanorum, sterilizationis et periodicae continentiae. Iudicium denique ferendum esset de sic dicta « moral de situación ».

j) *De forma proponendi definitiones dogmaticas,* forte oporteret abstinere a damnationibus *sub anathemate,* quae hominibus nostrorum temporum duriores videntur. Tamen definitiones dogmaticae, quae necessariae viderentur, fieri possunt sine forma anathematis, prout factum est in Oecumenicis Conciliis Chalcedonensi, Lateranensi IV capite

« Firmiter », Lugdunensi II et Florentino decreto pro graecis: *Denz.* nn. 148, 428 ss.; 460-466, 691-694. Forsitan tamen utilitati fidelium iuvaret edere syllabum propositionum ex theologia dogmatica et morali, quas Concilium declaret erroneas aut falsas.

B) Relate ad ea quae viam sternere possent ad unionem dissidentium.

Quamvis censeamus necessariam praeparationem investigationum historicarum, iuridicarum et dogmaticarum longe distare ab illa maturitate, quae requiritur ad hoc negotium cum spe fructus aggrediendum, et quamvis nobis constet, ex quamplurimis scriptis eorum, qui circa sic dictam « Motionem Oecumenicam » laborant, animorum dispositionem nondum illum benevolentiae ac comprehensionis gradum attigisse, sine quibus stabilis unio obtineri non posse videtur; tamen aliqua proponere exstimamus, quae forte utilia erunt ad faciliorem reddendam optatissimam omnium Christianorum unionem.

a) Perplacet ante omnia adducere verba, quibus Sanctissimus Pater, ad Concilium ab Se annuntiatum in Encyclicis Litteris *Ad Petri Cathedram* alludens, ait: « Concilium mirabile praebebit veritatis, unitatis, caritatisque spectaculum; spectaculum dicimus, quod ii etiam cernentes, qui ab Apostolica hac Sede seiuncti sunt, suave, ut confidimus, invitamentum accipient ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a Caelesti Patre flagrantibus rogavit precibus » *A.A.S.* 51 (1959) 511.

b) Ad hunc nobilissimum scopum obtinendum, iuvare forte poterit, ut a Concilio promulgetur *amplissima professionis fidei formula,* in qua enuntiata contineantur omnia fidei dogmata, quae omnes Catholicae Ecclesiae Antistites ac fideles unanimi consensu profitentur ac praedicant. Hoc enim mirabile erit vel maxime « protestantibus », qui in amplissimis Oecumenicis conventibus, sexto quoque anno celebratis, magna cum difficultate convenire tandem solum potuerunt in agnitione « Christi ut Domini et Salvatoris hominum », relicta tamen liberae interpretationi singularum christianarum Confessionum ulteriore intelligentia et explicatione verborum « Domini » et « Salvatoris ».

c) Addere etiam oporteret ingenuam quamdam et apertam declarationem, in qua accurate discernerentur ea, quae in institutionibus, iuribus, consuetudinibus et ritibus Christianae religionis certo censentur esse de *iure divino,* atque adeo omnino immutabilia, ab aliis omnibus de iure mere ecclesiastico, quae iuxta diversorum temporum exigentias utilitatesque, a legitima auctoritate adiuncta sunt. Hoc autem discrimine clare statuto, iuravet ut Concilium sua auctoritate ediceret, Catho-

licam Ecclesiam pronam esse ad ea consideranda, quae pro bono unionis exitu concedi possent, ex iis quae *de iure ecclesiastico* esse constat, iuxta Pii XII doctrinam in Encyclica *Mediator Dei* traditam: « Sacra Liturgia ut humanis, ita divinis constat elementis; haec autem, ut patet, cum a divino Redemptore constituta fuerint, nullo modo ab hominibus mutari possunt; illa vero, prout temporum, rerum, animorumque necessitates postulant, varias commutationes habere possunt, quas Ecclesiastica Hierarchia, Sancti Spiritus auxilio innixa, comprobaverit »: *A.A.S.* 39 (1947) 541.

d) Ut autem plena luce patefiat sincera Ecclesiae Catholicae voluntas complanandi viam ad unionem, solemnis a Concilio decerni poterat renuntiatio eorum, quae, iuxta accuratas investigationes historicas demonstrentur esse humanae pompae praeteritarum aetatum vestigia, aut dominii mere terreni et temporalis reliquiae, aut personalium privilegiorum ab Imperatoribus vel Regibus obtentorum indicia, aut usus vel emolumenta quae, magis quam ex supernaturalibus Ecclesiae exigentiis, ex humanis potius commodis ortum habuerint et hodie minus ad christiani populi aedificationem conferant. Diligenti examini subiici in Concilio possent ea quae, in his materiis, Catholicae Ecclesiae ab Orientalibus praesertim Dissidentibus obiiciuntur, ad ea saltem corrigenda, quae forte possent « occasionem dare adversario maledicti gratia » (*I Tim.* 5, 14) et « ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis » (*Tit.* 2, 8). Igitur, salvis omnino iis, quae ad cultus splendorem et Ecclesiae bonum vere conveniant, conandum esset ut tam in regimine quam in apostolatu et in divino cultu apparerent in primis pietas, simplicitas et efficacitas, quae adeo consentaneae sunt genuino Evangelii spiritui, atque nostris temporibus, omnium christianarum confessionum hominibus vel maxime placent.

e) Ad eundem scopum multum etiam iuvaret expeditiores methodos adinvenire, iuxta magnos nostrae aetatis progressus, quibus omnia Ecclesiae negotia atque potestatum docendi, sanctificandi et regendi exercitium ibique celerius, efficacius, magisque accommodate ad diversarum gentium indolem perficerentur. Atque in primis, iuxta principia de Ecclesiae universalitate, a Pio XII, s. m., exposita in pervigilio Nativitatis Domini anni 1945 et in allocutionibus ad Cardinales mensis februarii anni 1946 (*A.A.S.* vol. 38, pp. 15 ss.; 101 ss.; 141 ss.), opportunum esse videtur ut Concilium deliberare valeat circa convenientiam instruendi centrum ipsum Catholicitatis organis seu dicasteriis quae plenius in Romana Curia notam universalitatis exhiberent, optatis fidelium universi orbis magis satisfacerent, et faciliorem redderent Curiae adaptationem ad intelligendas solvendasque quaestiones undequaque provenien-

tes, iuxta praeclarum illud S. Bernardi Eugenio III dictum: « An non eligendi de toto orbe orbem iudicaturi? » (*ML.* 182, 778). Hac enim ratione Romana Curia, ut verbis eiusdem Pii XII utamur, « illud in nova luce poneret, quod peculiaris est Catholicae Ecclesiae Nota: eam nempe non ad aliquam tantummodo stirpem, gentem, nationemve pertinere, sed ad singulos universos humanae familiae populos » (*A.A.S.* 38, 1946, 102).

Haec ut putamus, quadantenus conferre possent ad id quod Sanctissimus Pater Ioannes XXIII patefecit intendere, dum aiebat: « Intendiamo preparare il Concilio avendo di mira ciò che è più necessario rinsaldare e rinvigorire nella compagine della famiglia cattolica, in conformità al disegno di Nostro Signore. Poi, quando avremo attuato questo poderoso impegno, eliminandosi ciò che, da parte umana, poteva ostacolare un più spedito cammino, presenteremo la Chiesa in tutto il suo fulgore, " sine macula et sine ruga ", e diremo a tutti gli altri che sono da noi separati: Vedete fratelli, questa è la Chiesa di Cristo » (*Osserv. Rom.* 11-8-59).

CAPUT IV

EX IURE CANONICO

Cum Summus Pontifex Ioannes XXIII propositum annuntiaverit accommodandi hodierni temporis conditioni Codicem Iuris Canonici Ecclesiae Latinae, huiusmodi propositiones suggere liceat.

I. Propositiones generales

1. Inserantur suis in locis responsa authentica Commissionis Interpretum, mutata quatenus opus fuerit; supressis iis quae nostris temporibus non congruant. Item ius in Constitutionibus Apostolicis ac decretis Curiae Romanae statutum. Quaedam lacunae apte compleantur. Addantur eae innovationes et statuta pro Codice Ecclesiae Orientalis elaboratae, quae Codici Ecclesiae Latinae aptae videantur; praesertim adiiciatur in libro primo titulus *de Verborum significatione.*

2. Principia a S. Romana Rota statuta examini subiiciantur, et quatenus comprobanda iudicentur, in Codicem inserantur. Item quae ex exhortationibus Summorum Pontificum ad auditores eiusdem Rotae depromi oporteat.

3. Resolvantur multa dubia praecipui momenti, quae etiam post Codicem promulgatum discutiuntur inter auctores.

4. Recenseantur, ascitis peritis in theologia dogmatica, quidam aspectus circa Ecclesiam in Codice minus clare ac plene exhibiti.

5. Abrogentur vel mutentur omnes normae iuris mere ecclesiastici, etiam instituta quae, olim utilia, hodie suam utilitatem amiserunt.

6. Minuantur leges irritantes et inhabilitantes, ne tot actus evadant nulli, cum gravibus sequelis et incommodis.

7. Adinveniantur normae ac methodi iuxta magnum nostrae aetatis progressum, quibus Ecclesiae universalis negotia in Romanis Dicasteriis atque potestatum ecclesiasticarum exercitium ubique celerius, efficacius magisque accommodate ad diversarum gentium indolem perficiantur.

Ad hoc iuvare censetur quod Ordinariorum facultates augeantur, ne his necesse sit ad S. Sedem recurrere pro rebus non magni momenti; salvo semper iure subditorum recurrendi ad superiorem auctoritatem, et servatis semper subsidiis ordinatione canonica eiusdem semper concessis.

8. Ad hanc maiorem efficaciam gubernationis conferret quod in canonica ordinatione agnoscatur quaedam superior organizatio seu auctoritas, quae ambitum dioecesanum praetergrediens, ad communia negotia ambitum nationalem attingeret; velut commissio Episcoporum, cuius decisiones in quibusdam rebus obligatoriae esse possent.

II. Propositiones speciales

Can. 2. *De iure liturgico.* 1) Desideratur Codex liturgicus systematice confectus, instar Codicis Iuris Canonici.

2. Formularia omnia liturgica ad trutinam theologicam et historicam subiiciantur, atque accuratius ad instructionem ac profectum spiritualem fidelium accommodentur.

3) Commune desiderium est ut praenuntiata reformatio Breviarii ac Missalis quam citius fiat, in breviorem reformam redacta et solitariae recitationi accommodata.

4) Optandum quoque ut in *feria V hebdomadae sanctae, qua institutio sacrificii eucharistici commemoratur, omnibus sacerdotibus liceat illud celebrare.* Hodie praesertim valde grave eis fit a celebrando illa die abstinere, cum omnes quotidie celebrare soleant.

Ima, gratissimum sacerdotibus omnibus fieret, si etiam sabbato sancto eis celebrare permitteretur. Utrumque, ut nobis relatum est, iam a pluribus annis iusta de causa in urbe Parisiensi permissum fuit.

5) Desiderandum etiam ut eadem feria V hebdomadae maioris fideles *communionem recipere possint quibusvis horis* matutinis ac vespertinis, tum intra tum extra missas. Innumeri enim sunt, saltem in Hispania,

qui illa die ad sacram mensam accedunt, ita ut in quibusdam ecclesiis per integrum mane communio continuo distribueretur.

6) *De usu linguae vulgaris in actionibus liturgicis.* Deliberare velit S. Synodus quatenus expediat usum linguae vulgaris in actionibus liturgicis permittere.

Can. 132. *De clericorum castitate.* Ad maiorem reverentiam erga castitatem clericalem et maius robur in eius observantia, fortasse opportunum sit ut Concilium expresse definiat in susceptione ordinationis presbyteralis implicitum esse votum solemne castitatis; decernat quoque ut ante hanc ordinationem hoc votum explicite emittatur. Idem votum implicitum est in ordinatione diaconali et subdiaconali, iuxta doctrinam communem et documenta ecclesiastica; sed quoniam hodie subdiaconi ac diaconi maiori facilitate quam antea reducuntur ad statum laicalem sine onere caelibatus, sine voto castitatis; dum e contra presbyteri nunquam, ideo forte expediat declarare in susceptione presbyteratus contineri votum, non autem in susceptione subdiaconatus et diaconatus; sic plus firmatur obligatio castitatis in presbytero (can. 132).

Porro videat Concilium an iuvet instituere, praeter diaconos qui nunc sunt, aliam diaconorum classem perpetuorum, quibus matrimonium permittatur; quod sat multi ecclesiastici proponunt.

Ad castitatis custodiam, ne sacerdotes cogantur vitam solitariam peragere in minusculis paroeciis a maioribus hominum nucleis valde dissitis, conveniret quod cura animarum in illis exerceretur a pluribus sacerdotibus vitam communem peragentibus.

Can. 142. *De negotiatione clericis vetita.* Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere, sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

Expediret ut conceptus iuridicus negotiationis et mercaturae a iure stabiliatur, et quidem non adeo rigidus. Nam inter doctores controvertitur. Generatim *exercitium* negotiationis aut mercaturae consistere dicunt non in uno alterove actu, etsi magnae quantitatis, sed in modo habituali operandi. Sed cum venitur ad definiendum habitum, sententiae dividuntur.

Adde quod ipse actus negotiandi in praxi multis dubiis subest; et clerici et religiosi ac religiosae, honestissimi ac bonae conscientiae, sine scrupulo tales gestiones exserunt, quae a canonistis plerumque negotiatio vetita habetur; ut cum pro alumnis sibi commissis res magna quantitate emunt, imminuto pretio, ut eas eisdem vendant absque pretii deminutione, retento sibi lucro; aut cum auctore vel editore libri conveniunt de eo assignando discipulis tamquam textu, concesso professori magno quaestu, qui ipsis discipulis nihil de pretio statuto detrahit. Com-

munitates regularium saepe veras industrias exercent, emptis materiis primis, eisque mutatis per operarios conductos, sub ducto paucorum religiosorum. Sunt etiam laboratoria a clericis vel religiosis directa, in quibus res artisticae conficiuntur, ex materiis pretiosis quoque emptis, cum magno lucro. Parochi et moderatores piarum associationum saepissime cinematographa statuunt honesta pro fidelibus, modica taxa requisita, sed quae non solum sumptus compenset, at etiam lucrum aliquod pro paroecia, associatione, etc., gignat. Et sic porro.

Haec, inquam, sine scrupulo fiunt; immo clerici qui actioni sociali incumbunt non raro gestiones similes edunt in favorem societatis.

Tituli quoque, actiones, obligationes, etc., venduntur, commutantur cum lucro; fit monetae cambium; nec facile discerni potest num de prudenti bonorum administratione agatur, an de vetita negotiatione. Hinc saepe scrupuli, animi anxietas. Quod longa experientia constat.

Conveniret ergo quae ad negotiationem vetitam spectant iure magis definire quantum fieri possit; et quidem criterio haud severo, prout temporum nostrorum conditio suadet.

Porro, S. C. Concilii 22 mart. 1950, *A.A.S.* 42, 230, de mandato Pii XII, gravissimas poenas clericis et religiosis negotiatoribus eorumque cooperatoribus imposuit, praecipue excommunicationem latae sententiae specialiter reservatam S. Sedi.

Quae cum sit latae sententiae, et aliunde difficile sit discernere quandonam delictum reapse sit commissum, viderit S. Synodus num expediat poenas has latae sententiae abolere, statutis poenis *ferendae sententiae;* monitis Ordinariis ne in eis imponendis sint negligentes. Sic bonorum tranquillitati prospicietur.

Imo forsan oporteret ut iisdem Ordinariis concederetur aliqua potestas permittendi gravi de causa aliquas huiusmodi gestiones.

Can. 391. *Capitula canonicorum.* De his supprimendis iam egerunt Codicis redactores; quod si hoc in Codice tunc non fuit factum, ideo tandem conservata fuerunt, quia quidam notarunt difficultates quae possent opponi a quibusdam Guberniis cum quibus S. Sedes concordatum habebat. Nunc vero nonne tempus advenit illa supprimendi?

Capitula haec iam a fine suo deciderunt, nec hodie finalitatem, ut dicitur, habent. Finis Capitulorum omnium est cultus solemnis cathedralium, praeterea ut sit senatus Episcopi, et sedem vacantem interim regat. Sincere loquamur:

1) Ex communi dicto ac sensu cultus male exercetur; fideles officiis divinis in capitulo factis vix assistunt, quia nullam devotionem experiuntur, imo non raro contrarios sensus; antiquitus utique in his functionibus cum fructu spirituali populus participabat; hodie (a quibusdam

Episcopis audivimus) ecclesias cathedrales vix frequentat, et ut quidam ex his addit, saepe cathedrales sunt minime omnium frequentatae. Ergo primus finis capitulorum, cultus solemnis, defecit.

Adde quod hodie multa capitula dispensationem a choro vespertino obtinuerunt; et in quibusdam extra Hispaniam chorus non habetur nisi in aliquibus festis solemnioribus. Praeterea hodie graviores necessitates in Ecclesia ortae sunt, quibus explendis Episcopi egent adiutorio capitularium, nec tamen his libere uti possunt propter chorum.

2) Quod sit senatus Episcopi. Hi non raro conqueruntur de difficultatibus quas experiuntur, quando consensum aut consilium Capituli requirere debent; dissensiones inter canonicos, partialitates, murmura, secreti violationes, etc.; quae obstacula in gubernatione creant.

3) Quod dioecesim vacantem interim regat. Ex iure eligere debet Vicarium: in qua electione quot dissensiones in Capitulo oriantur notum est. Ideo forte S. Sedes, praesertim ubi agitur de sedis vacatione per translationem, solet nominare Episcopum translatum Administratorem dioecesis *a qua*.

Cum ergo Institutum Capitulorum sit antiquatum, optanda est eius suppressio, seu substitutio, ita:

1°. Supprimitur Capitulum ipsum tamquam persona moralis.

2°. Supprimitur chorus.

3°. Ecclesia Cathedralis sit paroecia praecipua totius dioecesis cum parocho et convenienti numero vicariorum cooperatorum, aliorumque clericorum et officialium, ad optimam animarum curam, et ad cultus praestantiam.

4°. Ecclesiae Cathedrali adscribantur unus vel plures paenitentiarii cum officio et facultatibus quae canonico paenitentiario tribuuntur, concionator, magister caeremoniarum, moderator musicae ac cantus, et alii officiales qui opportuni censeantur; ut custos thesauri ecclesiae, etc. Possent aliquae Dignitates retineri aut creari.

5°. In commune totius dioecesis commodum constitui potest doctoralis, qui de quaestionibus iuridicis Ordinarium informare possit, moderator Actionis catholicae, Actionis socialis, Catechesis, etc.

Hi omnes collegium non constituent.

6°. In Ecclesia cathedrali chorus solemniter haberi potest, saltem partialiter, in quibusdam festis solemnioribus; cui assistant clerici ipsi ecclesiae addicti, non impediti.

7°. Officium Capituli cathedralis, quod sit senatus Episcopi, et quod sede vacante eius vices suppleat in dioecesis regimine, optime supplebitur per *consultores dioecesanos,* de quibus Codex lib. 2 tit. 8 cap. 6, can. 423-28. Innumerae sunt hodie dioeceses, quae Capitulum cathe-

drale non habent. Ne autem nimium arbitrium in his consultoribus nominandis Episcopo relinquatur, satius esset quod ab eo nominati confirmentur a S. Sede.

8°. Quoad Capitula collegialia similia statui possent. Cessent qua personae morales. Ecclesia collegiata sit paroecia praecipua post cathedralem; dotata convenienti clericorum numero ad optimam animarum curam et splendentem cultum.

Ut puto, etiam in nationibus quae concordatum cum S. Sede habent, capitulorum suppressio sine magna difficultate obtineri potest. Gubernia hodie facile acquiescent, dummodo non augeatur pensio a Statu solvenda.

Planum est, capitularibus et beneficiariis hodiernis iura quaesita conservarentur, aut fieret congrua compensatio.

Can. 451. *De parochis. Suppressio beneficii paroecialis.* Conservato omnino paroeciarum instituto, nonnulli insinuant opportunitatem tollendi indolem beneficialem, quae ad instar beneficii militaris circa saeculum VI ortum habuit. Huius suppressionis rationes hae afferuntur: *a*) Quaedam quasi impossibilitas opportunae iubilationis parochi, ad quem, si sit beneficiarius, pertinent omnes fructus beneficii, nihil autem si a beneficio vacat. *b*) Reditus cumulantur pinguibus beneficiis pro beneficiario, in praeiudicium novarum ecclesiarum, paroeciarum in suburbiis, etc. *c*) Oppositio facta divisioni magnarum paroeciarum et parochorum translationi, oppositio nempe innixa saepe cupiditate retinendi pingue beneficium. *d*) Difficultas amovendi parochos inamovibiles, cum id bonum dioecesis postularet. *e*) De facto in quibusdam nationibus parochi beneficiarii non sunt. In multis dioecesibus hispanis, praesertim ob difficultates concursus, paroeciarum provisio per plurimos annos differtur, ita ut parochi in titulum fere nulli maneant; imo in dioecesi Victoriensi, anno 1865 erecta, ex tunc nunquam facta fuit paroeciarum provisio, nisi unius alteriusve, quae est patronatus; et tamen dioecesis bene administratur.

Fatendum quidem est illas rationes desumptas ex paroeciarum opulentia hodie vix urgeri posse, ut in Hispania, ubi beneficia paroecialia minime pinguia sunt, quin potius exigua.

Certe desiderandum ut constituatur acervus bonorum ex quo et pensio iubilationum sumatur, et aliarum ecclesiarum indigentiis subveniatur. Hoc autem quomodo fieri possit difficile definietur in tanta conditionum varietate.

Parochi omnes stabiles in paroecia esse debent (can. 454); quae stabilitas his praesertim rationibus commendatur: *a*) Quia maiori studio curae animarum incumbent in illa paroecia tamquam sua, novaque opera utilia aggredi audebunt, tamquam ab iisdem prosequenda; *b*) quia usu

et experientia aptiores evadent ad eam regendam; *e*) ad vitandum nimium Ordinariorum arbitrium in eis removendis. At aliunde conceptus officii ecclesiastici tamquam beneficii, praesertim si de paroeciis agitur, hoc incommodum habet, quod supra indicatum manet, nempe quod valde difficile est parochos beneficiarios amovere, cum generale dioecesis commodum amotionem suaderet. Ideo non pauci desiderarent ut clerus dioecesanus statuto regeretur quasi functionariorum dioecesis.

Suppressio beneficiorum in genere, ita ut omnia reducantur ad mera officia ecclesiastica amovibilia, negotium foret difficile, ac summi momenti, quod totum Codicem Iuris Canonici transcenderet. Quare S. Synodus deliberare velit utrum institutum beneficiale tam venerandae antiquitatis conservare an supprimere oporteat.

Can. 476 § 6. *De potestate vicarii cooperatoris.* Valde opportunum censeretur quod vicarius cooperator agnoscatur *a iure* tamquam vicarius *substitutus* absente parocho; secus, experientia teste, gravia incommoda exsurgunt, praesertim quoad matrimoniorum celebrationem. *a*) Id ipso can. 476 § 6 suadetur: nisi aliud expresse caveatur, ipse debet *ratione officii parochi vicem supplere... in universo paroeciali ministerio.* Quae verba sunt aequivalentia illis quibus can. 474 explicat officium et potestatem vicarii substituti pro absentiis parochi. *b*) Ex can. 472 n. 2, vicarius cooperator constituitur a iure vicarius oeconomus, vacante paroecia, donec alius designetur ab Ordinario. Iam vero, plus est oeconomus quam substitutus.

Si in Codice reformato vicarius cooperator agnoscatur tamquam vicarius *substitutus* parochi absentis; et tamquam vicarius *adiutor* parochi inhabilis (can. 475); quando plures sunt vicarii cooperatores, munus substituti aut adiutoris geret primus: si omnes sunt aequales, munere antiquior (can. 472, 2°), nisi aliud a loci Ordinario vel parocho statutum fuerit.

Can. 520-527. *Religiosarum confessiones.* Desiderandum ut aboleatur can. 876, qui ad validitatem absolutionum exigit in confessario iurisdictionem specialem. Hic enim canon in nihilum practice redactus est per can. 522-23 cum interpretationibus a Commissione Interpretum et a canonistis datis; ita ut hodie vix casus sit in quo religiosa non possit absolvi a quovis confessario pro mulieribus approbato. Aliunde idem can. 876 magnam gignit inquietudinem et confessariis et religiosis. Quare abrogandus videtur.

Maneat utique statutum de confessario ordinario et extraordinario, sed cum libertate religiosarum confitendi cuivis sacerdoti pro mulieribus approbato, quoties velint. Itaque hoc sensu disciplina de religiosarum confessariis (can. 520-27) emollienda videtur; ne memorentur

nisi confessarius ordinarius et extraordinarius communitatis, idque ita ut salva sit religiosarum libertas quemvis alium confessarium adeundi pro mulieribus approbatum.

De fidelium associationibus. Profundiori reformatione indigere videntur canones de piis associationibus: 1°. Notabilis invenitur inconstantia in usu ac significatione verborum *erectionis* et *approbationis. Erectio* quandoque generice sumitur pro creatione seu recognitione cuiusvis associationis tamquam *ecclesiasticae;* et sic significat sive creationem in personam moralem, sive meram approbationem seu beneplacitum superioris ut exsistat sine morali personalitate (can. 684, 707 § 1, 708, 712 § 3, etc.). Alias *erectio* et *approbatio* distinguuntur; ita ut *erectio* significet constitutionem in personam moralem (can. 686 § 1, 2; 698, 708, 711); secus *approbatio* (can. 687, 691, 697, 708). Cum autem erectio iuridicos effectus habeat, quos non habet approbatio, congruum videretur, ut verbum *erectio, erigere* reservetur constitutioni in personam moralem; pro associationibus in personam moralem non constitutis adhibeantur verba *approbatio, approbare.*

2°. Quaedam vacillantia est in usu verborum *confraternitatis, piae unionis, sodalitii, congregationis.* Can. 700 distinguit tres associationum species: *tertios ordines, confraternitates, pias uniones.* Et tamen in can. 707 ponitur tamquam genus *pia unio,* sub qua est species *sodalitium,* et sub hoc *confraternitas.*

3°. Maior est difficultas definiendi quid sit *constitutio ad modum corporis organici* (can. 686 § 3, 693 § 3, 707), cui tanti effectus iuridici tribuuntur.

4°. Indicatur in can. 708 pias uniones non esse personas morales; ideoque incapaces erunt acquirendi et possidendi bona temporalia; et tamen in can. 717 § 2 memoratur *patrimonium* confraternitatis et *piae unionis.* Hinc disputatio: quodnam est subiectum bonorum piae unionis? Ea exstincta cuius erunt haec bona?

5°. De cessatione associationis, quae non sit persona moralis, quaeritur utrum cesset per mutuum sociorum consensum sine superioris interventu; utrum si de facto omnes socii desierint, ita ut nullus maneat.

Ex dictis apparet quot dubiis patet hodierna disciplina de fidelium associationibus. Ut ergo magis clara, praecisa et uniformis reddatur, liceat sequentes normas proponere:

1) Distinguantur tres tantum associationum species, idque *ratione finis: tertii ordines saeculares, confraternitates, piae uniones,* ad has ultimas referantur quae vocantur *sodalitia, sodalitates, congregationes,* etc. (can. 700). *Tertii ordines* finem sibi proponunt perfectiorem vitam christianam inter socios in saeculo promovendam; *confraternitates,* incremen-

tum publici cultus; *piae uniones,* aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda (can. 685). Sic supprimatur illa alia divisio in can. 707 contenta, in *pias uniones, sodalitia* et *confraternitates, ex fine simul et ex constitutione iuridica;* quae divisio nec logica est neque cohaeret primae divisioni in can. 700 factae.

2) Omnes assocationes *ecclesiasticae* personalitate donentur *a iure.* Nam hodie quoad bona vix discrimen exsistit inter pias uniones, congregationes, sodalitates et confraternitates; omnes suum patrimonium habent, et practice eodem fere modo adquiritur, possidetur, administratur et alienatur. Praeterea, si omnes personalitate ecclesiastica donentur, facilius etiam civilem obtinere possunt.

3) Statuta hac uniformitate iuridica, omittenda est divisio seu distinctio quae saepe in Codice fit inter associationes *erectas* et *mere approbatas;* quae in praxi dubiis ansam praebent; nam Episcopi, cum aliquam associationem instituunt, plerumque eodem vocabulo utuntur: *erigimus,* sive de confraternitate sive de pia unione, congregatione seu sodalitio agatur; quo dubium oriri potest num in personam moralem constituatur necne. Sic verba *erectio, erigere, erecta,* quae in canonibus ambiguo sensu adhibentur, pro associationibus quae sunt personae morales et pro illis quae tales non sunt, in posterum univocum sensum habebunt, cum omnes associationes sint personae morales.

4) Vacabit etiam clausula *ad modum corporis organici,* cuius significatio nullibi definitur, et canonistarum disputationi subest. Omnes nempe associationes ad modum corporis organici erunt constitutae, eo quod omnes personae morales collegiales sint.

5) Cessabunt quaestiones de natura et subiecto *patrimonii* piarum unionum; erit namque patrimonium *ecclesiasticum,* seu bona ecclesiastica, in dominium pertinentia ad ipsam associationem, quae persona moralis est; et patrimonium regi debet normis de bonis Ecclesiae temporalibus. Hoc utique libertatem disponendi de associationis bonis quadantenus coarctabit, sed non multum; et aliunde securior erit illorum administratio et usus.

6) Stabilior erit vita piarum unionum, quae non cessabunt per omnimodam sociorum cessationem, nisi haec per centum annos duraverit.

7) Iuxta reformationem hanc corrigendi erunt canones de fidelium associationibus, et si qui alii per totum Codicem reformatione indigeant.

8) Ne vero proposita reformatio, simplicitatem, claritatem et uniformitatem quaerens, nimis rigida evadat, praescripta canonum in quibus est clausula *ad modum corporis organici,* intelligantur tantum de tertiis ordinibus et de confraternitatibus, ut nunc; et sic pro illa clausula haec ponatur: « quae non sit tertius ordo aut confraternitas » (can. 686 § 3).

Absentes ne adscribantur « tertio ordini aut confraternitati » (can. 693 § 3). Alia forte canonum statuta, quae solos tertios ordines et confraternitates afficiant, ne de piis unionibus urgeantur.

Actio catholica. Huic aliquod caput vel quid simile in Codice assignari oportet, ubi determinetur: nomen, natura, constitutio, officium, facultates, personalitas, relatio ad hierarchiam et ad alias pias associationes, praecedentia, et alia circa quae non paucae disputationes sunt, et errores, et abusus.

Nomen « *Actio catholica* » huic instituto attributum, non adeo proprium videtur, cum aliae sint fidelium associationes quae vere sunt actio catholica, ut de Congregationibus marianis declaravit Pius XII; Congregationes marianas pleno iure vocari *Actionem Catholicam sub Beatissimae Virginis tutela.* (Const. *Bis saeculari* 27 sept. 1948; *A.A.S.* 40, 393). Quaeratur ergo aliud nomen magis proprium.

Notio eiusdem tradatur quae erroribus et exaggerationibus occasionem praecidat. Haec forte dari potest: tamquam *opus* est generalis et organizata collaboratio laicorum in apostolatu hierarchico Ecclesiae. Tamquam *ens* seu *institutum est* coetus laicorum organizatus, qui sub moderatione hierarchiae ecclesiasticae collaborant in universo apostolatu hierarchico Ecclesiae (PIUS XII, *Allocutio* ad Delegatos Actionis Catholicae Italiae Romae coadunatos 3 apr. 1951; *A.A.S.* 43, 375-79).

Quovis modo constituatur, censeremus eam comprehendi sub titulo XVIII lib. II Codicis, *De fidelium associationibus in genere;* et quidem sub titulo XIX, cap. II, *De piis unionibus.* Nam est coetus fidelium ab Ecclesia institutus ad opus apostolatus exercendum; quod tandem ad opera pietatis et caritatis reducitur. Quae notio est piae unionis in can. 707 data.

Personalitas iuridica. Si inter pias uniones recensenda sit, eo ipso quod sit a competenti auctoritate ecclesiastica legitime constituta, a iure personam iuridicam sortietur; iuxta id quod supra propositum est de persona piarum unionum. Ceterum multi Episcopi personalitatem Actioni Catholicae concesserunt.

Necessitas et convenientia. Caveatur omnino ne verbum fiat de Actionis Catholicae necessitate, quasi sit quid essentialiter novum, mutationem in structura ipsa Ecclesiae inducens; novus laicorum apostolatus iuxtapositus apostolatui sacerdotum et huic non subordinatus; qui errores sunt a Pio XII denuntiati in memorata allocutione ad Delegatos A. C. Italicae. Caveatur ne A. C. *necessaria* hodie dicatur.

At certe tamquam convenientissima in Codice commendetur, sicut eam ultimi Pontifices Summi toties commendarunt.

Obligatorietas. Plures auctores eam fidelibus obligatoriam proclama-

runt. *In Commentario « Acta Apostolicae Sedis »* nullibi apparet promulgata lex talem obligationem imponens. Quae exorbitans esset; nam tamquam lex generalis obligaret omnes, bonos et malos, ut Actioni Catholicae nomen darent. Tandem in art. 112 Statutorum A. C. Italicae a Pio XII approbatorum haec quasi notio Actionis Catholicae traditur: « Militia *voluntaria* pro immediato servitio ecclesiasticae hierarchiae ».

Ergo in Codice reformato enixe commendetur fidelibus A. C., vitato quovis verbo quod obligationem sapere possit.

Relationes iuridicae ad alias associationes. a) Inter A. C. ceterasque associationes sit *cohaesio* (PIUS XII, *Bis saeculari*). Non *adhaesio,* quasi una sit alteri accessoria. Omnes mutuam collaborationem procurent. Multo minus sit *absortio* omnium ab A. C. facta, *destructio* vel *subordinatio. b*) Desideranda est aggregatio aliarum associationum *Actioni Catholicae;* ita tamen ut sufficiat *collectiva* adscriptio, neque *individualis* sociorum requiratur (*Bis saeculari*).

Praecedentia. Si quidem A. C. inter associationes fidelium, et quidem inter pias uniones recensenda sit, eius praecedentia regetur normis can. 701 statutis. Actio Catholica, ait Pius XII, ne natura quidem sua missionem habet ut sit ad caput aliarum associationum, et ut supra eas exerceat officium quasi auctoritativi patronatus (Ad Delegatos A. C. Italicae, 3 aprile 1951; *A.A.S.* 43, 375).

Can. 782 § 2. *Minister extraordinarius confirmationis.* Oportet tolli quasdam anomalias quae in decreto S. C. Sacramentorum 14 september 1946 notantur. Quare possit confirmare in mortis periculo vicarius oeconomus paroeciae, et non possint ceteri vicarii plena potestate paroeciali praediti? Saepe parochus a residentia dispensatus, etiam per annos a paroecia abest, relicto legitimo vicario substituto. Iam vero, si hic substitutus non habeat potestatem confirmandi, moribundi omnes illius paroeciae etiam per annos plures privabuntur solatio et adiumento sacrae confirmationis; in dioecesibus enim magnis Episcopus facile vocari nequit. Anomalia non videtur congruere menti ac voluntati Summi Pontificis.

Ergo desideratur statuendum vel declarandum quod in mortis periculo propter infirmitatem, *parochi et omnes vicarii plena potestate paroeciali praediti* (can. 471-75) possint confirmationem administrare. Ceterum ex solida plurium canonistarum sententia illi vicarii hanc potestatem habent ex ipso decreto n. 1 *c*), quae sententia forte in praxim deducitur. Oportet autem ut id expresse statuatur vel declaretur, ad maiorem securitatem.

Immo, expediret ut eadem potestas vicariis cooperatoribus agnosce-

retur; vel saltem hi possint a loci Ordinario vel parocho delegari ad confirmationem administrandam.

Eadem agnoscatur Vicario Generali ac Capitulari; et vicariis et cappellanis castrensibus, et illis cappellanis piarum domorum, ut hospitalium, carcerum et similium, qui plena potestate paroeciali in iisdem gaudent, et superioribus domorum religionis clericalis quoad omnes qui diu noctuque in domo religiosa commorantur. Neque exorbitans videretur quod, deficientibus his omnibus, idem possit quivis sacerdos; ampliori enim potestate gaudent omnes presbyteri orientales, et non pauci latini in regionibus quibusdam.

Nec absonum censeretur quod hi omnes confirmare possent in mortis periculo *quavis de causa orto,* ut praelio, naufragio, poena capitis.

Hae enim ampliationes benignitati Ecclesiae congruunt, nec speciale periculum abusus creare videntur.

Can. 806. *De facultate plures missas celebrandi diebus feriatis.* Cum hodie frequenter occurrat maxima convenientia quod idem sacerdos binas missas celebrare possit, etiam diebus feriatis; et S. Sedes maiori in dies facilitate hanc facultatem concedat; optandum est ut locorum Ordinariis *a iure* potestas concedatur binationem iis quoque diebus permittendi, quoties prudenti eorum iudicio ad spirituale commodum notabilis partis populi hoc conferat. Idem proponitur in favorem quarumdam communitatum religiosarum, praesertim laicalium; et hospitalium, collegiorum, carcerum, ac similium institutorum. Ob eamdem rationem boni populi largitus est Pius XII locorum Ordinariis amplam facultatem permittendi missas vespertinas, non solum diebus de praecepto, sed aliis quoque diebus.

Can. 821. *Missa vespertina.* Post ultimam disciplinam frequentissima in dies facta est, et quidem cum magno animarum fructu. Quare nonne oporteret ut *iure communi* permitteretur omnibus sacerdotibus missae celebratio horis pomeridianis; ita tamen ut missa matutina per se praeferatur?

Can. 867 § 4. *Communio vespertina.* Potiori ratione oportet forte permittere fidelibus communionem horis pomeridianis, etsi missa vespertina non celebretur. Frequentissime enim accidit ut multi, v. gr., operarii, scholastici, etc., mane communionem recipere non possint, et desiderarent horis pomeridianis communicare, cum missa vespertina non celebretur.

Iam ipse can. 867 § 4 permittit ut *si rationabilis causa id suadeat,* communio distribui possit etiam horis vespertinis: « sacra communio iis tantum horis distribuatur quibus missae sacrificium offerri potest, *nisi aliud rationabilis causa suadeat* ». Cum haec rationabilis causa

hodie frequentissime occurrat, ad vitandas anxietates, et fideles tranquille ac devote communionem vespere recipiant, nonne oporteret ut memorata § 4 ita redigeretur: « Sacra communio praeferenter horis matutinis recipiatur, at etiam horis pomeridianis recipi potest? ».

Can. 821 § 3. *Quoad missas in nocte Natalis Domini,* viderit S. Synodus num oporteat eas permittere ultra quam concedit can. 821 § 3; eas nempe permittere quibusvis sacerdotibus, devotionis causa id optantibus. Praesertim cum hodie adeo facile missae vespertinae sine horae limitatione permittantur; cum specialis devotio huius noctis ad hoc desiderandum invitet; nec iam adeo timendi sint abusus illi antiqui, qui ex tenebris oriri poterant: hodie enim nox sicut dies illuminatur.

Quod si S. Synodus hoc concedendum iudicet, cohaerenter eadem § 3 mutanda est.

Can. 874. *De iurisdictione ad audiendas confessiones.* Propter frequentissima itinera quae hodie etiam extra limites propriae dioecesis fiunt, forsan non censeretur incongruum quod *a iure* haec norma statuatur, quae iam in usu est ex Episcoporum conventione in nonnullis regionibus: Sacerdos qui ab aliquo loci Ordinario facultatem habeat confessiones audiendi in dioecesi illius Ordinarii, eo ipso censeatur approbatus pro qualibet dioecesi, nisi Ordinarius talis dioecesis pro aliquo determinato sacerdote aliud decreverit.

Can. 893-900. *De peccatorum reservatione.* Disciplina de peccatorum reservatione hodie inefficax evasit. Porro mens Ecclesiae circa eam apparet ex ipso tenore can. 893-900. *a*) Praescribitur parcitas in reservando, ut summum quatuor peccata reservari possunt; idque non nisi ex necessitate aut comprobata utilitate (can. 895, 897). *b*) Praescribitur brevis duratio reservationis factae (can. 897). *c*) Haec reservatio a iure cessat multis in casibus (can. 900).

Cum ergo disciplina reservationis hodie inefficax evaserit ut experientia docet, quia ab ipso iure multae viae patent ut quivis confessarius, etiam ad reservata non approbatus, ab eis absolvere possit; ideoque iam multi Episcopi ac Synodi reservationes suppresserint; opportunius videretur totum caput II *de reservatione peccatorum* penitus reformari hac fere ratione: 1.° Ordinarii peccata ne sibi reservent, nisi forte unum alterumve in casu vere extraordinario et ad breve tempus. 2.° Facultas absolvendi ab hoc reservato ne facile concedatur. 3.° Reservatio autem vi caret: *a*) cum confessionem peragunt aegroti qui domo egredi non valent, et sponsi matrimonii ineundi causa; *b*) extra territorium reservantis. 4.° Ipso iure a reservatis absolvere possunt canonicus paenitentiarius, parochi aliique qui parochorum nomine in iure veniunt, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili; et missionarii ac

sacerdotes qui exercitia spiritualia tradunt, quamdiu missio aut exercitia durant.

Can. 979. *De titulo canonico sacrae ordinationis.* Can. 979 pro clericis saecularibus titulos diversos hoc ordine recenset: 1.° Titulus beneficii. 2.° Patrimonii aut pensionis. 3.° Servitii dioecesis aut missionis (can. 981).

Hodie universalis est et fere unicus *titulus servitii dioecesis aut missionis,* qui tamquam mere suppletorius admittitur in can. 981. Ergo hic primo loco recenseri deberet. Imo forsan exclusivus, ob allatas rationes; et quia plus alligat clericum Ordinario loci. Quamvis enim oboedientia canonica aeque tenet ordinatum titulo beneficii, patrimonii aut pensionis ac ordinatum titulo servitii dioecesis aut missionis, cum can. 127, 128 inter alios et alios non distinguant, tamen de facto ordinatus titulo patrimonii vel pensionis quasi se sentit minus adstrictum Ordinario suo, et ipsemet Ordinarius non tanta libertate de eo disponit.

Quare canones de titulo ordinationis forsan reformari expediret ita ut nonnisi titulus servitii dioecesis aut missionis pro clericis saecularibus consignetur.

Pro regularibus titulus est *paupertatis;* pro religiosis votorum simplicium perpetuorum, titulus *mensae communis, congregationis* vel similis; idem oporteret forsan pro aliis religiosis, ob difficultates alius tituli.

Can. 983-91. *De irregularitatibus.* Expedire videtur ut concedatur Ordinariis *a iure* potestas dispensandi super irregularitate ex defectu legitimorum natalium, dummodo ne agatur de filiis adulterinis aut sacrilegis (can. 984, 1°); cum haec irregularitas satis frequens sit, et aliunde valde facile dispensetur a S. Sede. Consequenter eadem potestas *a iure* Ordinariis sit ad admittendos in Seminarium tales filios illegitimos (can. 1363 § 1).

Videat S. Sedes num oporteat abolere irregularitates:

a) *Ex bigamia successiva* (can. 984, 4).

b) *Ex defectu lenitatis,* ut antiquitus vocabatur, nempe ob datam a iudice iustam mortis sententiam, et ob acceptatum carnificis munus (n. 6, 7). Haec enim hodie potius ad historiam pertinent. Ipse Codex suppressit irregularitatem ex defectu lenitatis provenientem ex participatione in bello. Iudex autem qui sontibus iustam mortis sententiam fert, honorabilis in societate habetur.

c) *Ex delicto recepti baptismatis de manu acatholicorum* (can 985, 2°). Quod proprie nequit vocari delictum, cum committatur ab eo qui nondum est baptizatus.

d) *Ex vetito clericis exercitio medicinae ac chirurgiae,* si exinde mors sequatur. Hodie enim hoc exercitium passim permittitur praesertim in missionibus; et praeterea non facile est discernere num mors ex illo exercitio secuta fuerit; clericus enim ille potest esse optimus medicus aut chirurgus.

e) *Ex usurpatione ordinis sacri.* Haec irregularitas melius restringeretur ad actus qui iure divino reservantur Episcopis et presbyteris, positos ab eo qui Episcopus aut presbyter non sit; nempe ad collationem ordinum qui sint sacramenta, ad administrationem confirmationis, paenitentiae et extremae unctionis, et ad missae celebrationem. De reliquis enim functionibus saepe dubia oriuntur num gravia peccata constituant; et etiam tunc requirunt auctores ut clericus ordinis usurpator utatur insignibus propriis ordinis usurpati, ut stola aut manipulo; quae res non adeo gravis videtur, ut ex illo usu vel non usu tantus effectus dependeat quae est irregularitas; et saepe non tanta advertentia est ad actus malitiam. ...

f) *Irregularitas ex violatione poenae,* nempe ex exercitio ordinis sacri vetito in poenam delicti, melius forsan supprimeretur. Frequenter enim evenit ut sacerdos reus illius delicti, saepe occulti, nequeat facile ab ordinis exercitio abstinere; aut anxius haereat; et postea dubium suboriatur num irregularitatem contraxerit. Ergo ad vitandas animi anxietates tollatur irregularitas ex violatione poenae.

Quoad observantiam irregularitatis in genere, bonum videretur si consignaretur excusatio similis ei quae de poenis statuitur in can. 2232 § 1: « Ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit ».

Can. 1017. *De sponsalibus.* Iam dum Codex Iuris Canonici elaborabatur, actum est de sponsalibus supprimendis, utpote antiquata disciplina; sed ob venerandam huius instituti antiquitatem, et quia apud aliquos populos orientales adhuc in usu erant, tandem unus can. 1017 eis reservatus fuit.

Nunc, tempus ea omnino abolendi forte advenit; quia saltem in Hispania rariora in dies evaserunt; de eorum effectu iuridico proprio, nempe de obligatione iustitiae ad matrimonii celebrationem, valde inter canonistas disputatur; ipse can. 1017 § 3 eisdem detraxit antiquam actionem ad exigendum matrimonium; tandem Commissio Interpretum 2-3 iunii 1918, *A.A.S.* 10, 345 declaravit non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium; ideoque non esse suspendendum matrimonium cum alio, si quis reclamet ius suum ex sponsalibus validis, contra partem inituram matrimonium cum tertio.

Can. 1042. *De impedimentis matrimonialibus gradus minoris.* Ex-

perientia teste, multa matrimonia contrahuntur nulla ob haec impedimenta, quia frequenter ignorantur. Aliunde facillime dispensantur, etiam sine causa vera (can. 1054).

In schemate Codicis, anni 1916, supprimebantur impedimentum consanguinitatis in tertio gradu, et publicae honestatis in secundo. Impedimentum affinitatis in secundo gradu etiam a parochis saepe ignoratur aut non advertitur.

Adde quod vinculum familiaritatis, quae est horum impedimentorum ratio, hodie adeo relaxatum est, ut quoad effectus civiles nihil iam attendatur.

Impedimentum autem criminis ex adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii, plerumque est occultum et ignoratum. Generatim occurrit inter concubinarios, quia unus ex his, relicto coniuge legitimo, alteri adhaesit, cum promissione matrimonii pro tempore quo coniux legitimus mortuus fuerit. Iam vero, hoc primum procurat Ecclesia: ut concubinatus ille disiciatur, ad quod medium ordinarium est matrimonium inter ipsos concubinarios. Quare ergo eisdem impedimentum criminis imponatur? Nonne contradictorium quid in eo cernitur?

Quare fortasse oporteret ut impedimenta haec supprimantur, aut saltem Ordinariis locorum concedatur *a iure* facultas super eis dispensandi.

Can. 1087 § 1. *De metu matrimonium dirimente.* Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Vexata quaestio est his postremis annis, utrum metus qui matrimonium dirimit sit tantum metus *consultus* seu *directus* ad extorquendum consensum; an etiam *inconsultus* seu *indirectus,* qui nempe ad alium finem incutitur, ad quod malum avertendum quis matrimonium eligat.

Tandem Pius XII in Motu proprio 12 febr. 1949 de disciplina matrimoniali apud orientales, cap. 5 can. 78 rem definire videtur: et quidem traditionali sensu; ait enim: « Metus matrimonium dirimit, qui sit gravis, extrinsecus et iniuste incussus *ad extorquendum consensum* » (*A.A.S.* 41, 89).

Et nota Summum Pontificem intendisse uniformem reddere disciplinam orientalem et latinam, ut ipse initio sui Motu proprio admonet; eo praesertim quod matrimonia inter latinos et orientales saepe contrahantur.

Quare haec nova redactio can. 1087 § 1 proponeretur: « Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum *ad extorquendum consensum* ».

Can. 1094. *De forma celebrationis matrimonii.* Ad huius valorem requiritur ut contrahatur coram parocho, aut loci Ordinario, aut sacerdote ab alterutro delegato, et duobus testibus (can. 1094). Necessitas iurisdictionis ordinariae vel delegatae ad matrimonii valorem multa matrimonia nulla aut saltem dubia gignit. Quare considerare velit Synodus num oporteat statuere ut iurisdictio ordinaria vel delegata requiratur *non ad validam* sed *solum ad licitam assistentiam matrimonio,* ita ut hoc *ad valorem* contrahi debeat coram sacerdote quovis et duobus testibus; sed *ad liceitatem* hic sacerdos sit Ordinarius vel parochus loci ubi contrahitur vel sacerdos ab alterutro delegatus. Quod si nemo ex contrahentibus habeat in illo loco domicilium aut quasidomicilium aut menstruam commorationem, requiratur *ad licitam assistentiam* licentia parochi vel Ordinarii domicilii, quasidomicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis.

Hoc: quod ad valorem matrimonii sufficiat ut contrahatur coram quovis sacerdote, etsi non delegato, et duobus testibus, grave utique periculum creat quod sacerdotes audaces, qui non desunt, matrimonio assistant sine licentia et sine praevio contrahentium scrutinio. At imponatur gravis poena sacerdoti qui sine potestate matrimonio assistat.

Aliunde Commissio Interpretum ad dubium: « An praescriptum can. 209 (de supplentia iurisdictionis in errore communi) applicandum sit in casu sacerdotis, qui delegatione carens matrimonio assistit », respondit: *Affirmative* (21 mar. 1952; *A.A.S.* 44, 497). Post hoc responsum aliqui canonistae contendunt Ecclesiam supplere iurisdictionem ad assistendum matrimonio *in omni casu,* etiam *solitario;* et sic practice non requireretur iam potestas ordinaria vel delegata, quam requirit can. 1094 ad matrimonii valorem. Et quamvis hoc communiter reiicitur, non deerunt tamen qui illa sententia nixi valida habeant quaevis matrimonia contracta absque delegatione.

Ergo ad tam grave problema solvendum, si S. Synodus non censeat opportunum supprimere necessitatem iurisdictionis ordinariae vel delegatae ad validam assistentiam sacerdotis matrimonio, perpendere velit num expediat declarare quousque in errore communi suppleat Ecclesia potestatem matrimonio assistendi; utrum nempe admitti possit tamquam tuta, an potius reiicienda sit sententia eorum qui opinantur Ecclesiam supplere in quovis matrimonio, etiam unico, cui assistat absque potestate quilibet sacerdos; et utrum tenenda omnino sit tantum communis sententia, iuxta quam, ut suppleat Ecclesia in errore communi, necesse est ut agatur de sacerdote, qui modo quodam habituali matrimoniis assistit.

Tandem non immerito forsan proponeretur ut licentia assistendi ma-

trimoniis concederetur *a iure* omnibus vicariis cooperatoribus parochorum; praeterea ut possit dari *generalis* cuivis sacerdoti, etiam non determinato, et ad matrimonium non determinatum; et declaretur licentiam effectum obtinere a momento concessionis, etsi a delegato non petitam, nec notam nec acceptatam (can. 37, 38). Sic saltem minuetur numerus matrimoniorum nullorum ex defectu formae.

Can. 1131 § 1. *Processus in causis separationis coniugalis.* (Adde): Separatio ob causas de quibus in hoc canone decernenda est forma *administrativa,* nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partis; et in secundo gradu eadem servanda est forma ac in primo (Comm. Interp. 25 iun. 1932; *A.A.S.* 24, 284).

Porro, cum causae huiusmodi non parvi momenti sint, praesertim quoad effectus civiles, ne nimis arbitrio relinquantur Ordinarii loci, opportuna existimeretur ordinatio alicuius processus administrativi, qui Codici inseratur.

Can. 1377. *De studiis ecclesiasticis universitariis.* Optandum est ut studio subiiciatur possibilis reformatio ordinationis studiorum in Universitatibus ecclesiasticis, ut haec maiorem efficaciam obtineant.

Can. 534 § 1 n. 2, 1532. *De alienatione bonorum ecclesiasticorum.* Can. 534 § 1 n. 2 et 1532 exigunt licentiam S. Sedis ad alienanda bona, tantum si horum valor superet 30.000 francorum vel libellarum. Et iamdiu ex communi sententia approbata a S. Sede et in motu proprio Pii XII, 6 ian. 1950 can. 18 § 1 n. 1 et can. 46 § 1 *g*) *A.A.S.* 42, 16, pro orientalibus illa summa computanda est *moneta aurea.* Porro, S. C. Consistorialis 13 iul. 1951, *A.A.S.* 43, 602, statuit ut, perdurantibus adiunctis praesentibus, recurratur ad S. Sedem quoties agatur de pecunia quae 10.000 francorum seu libellarum aurearum excedat. Id est quantitatem in Codice consignatam reduxit ad tertiam partem. Deinde S. C. Consistorialis aequivalentiam in moneta currenti pro singulis nationibus determinavit.

Iam vero, cum pretium rerum omnium admodum excreverit, dum valor monetae valde decrevit, norma illa interinalis a S. C. Consistoriali data, quae adhuc perseverat, valde onerosa evasit; nam imponit necessitatem recurrendi ad S. Sedem pro alienandis rebus etiam non magni valoris; et in dies magis onerosa, quia monetae valor in dies decrescit. Quare optandum est ut ad normam can. 534 § 1 et 1532 redeatur, ita ut recursus ad S. Sedem necessarius sit tantum ubi valor rei alienandae summam excedat *30.000 francorum seu libellarum aurearum.*

Can. 1552. *De processu iudiciali in simpliciorem formam reducendo.* In multorum votis est ut systema iudiciale multum simplificetur. Et in re quidem vera hodie processus iudicialis vix unquam observatur nisi in

causis matrimonialibus. At etiam in his desideratur brevior ac simplicior processus. Quare rem utillimam egerit Commissio ad Codicis reformationem constituta, si huic operi manus admoveret.

De processu administrativo. Hodie etiam in iure civili ampliorem locum habet, utpote brevior et expeditior nec minus aequus et efficax plerumque. Poenae ecclesiasticae vix unquam per processum iudiciarium applicantur, etiam gravissimae. Sic SS. Congregationes Romanae etiam poenam maximam degradationis per processum administrativum applicant. Aliunde ex plurium canonistarum sententia, quaecumque poenae processu administrativo possunt imponi. Immo ad quasdam poenas applicandas, processus quidam administrativus praescribitur in Codice l. 4 tit. 30-33.

Abbrevietur igitur sed minime supprimatur processus iudicialis; excogitetur pro administrativo forma iuridica in qua reo servetur ius defensionis.

Can. 2037. *De processu beatificationis et canonizationis. Omnino simplificandus videtur,* rescissis non paucis tramitibus et solemnitatibus; et maiori celeritate perficiendus, ne pereant probationes, praesertim testificales; et ut sumptus minuantur, et ne postulatores ipsi, qui causam susceperunt, moriantur aut prae senio causam agere nequeant, antequam processus fiat. Hoc in votis est omnium postulatorum.

Can. 2186-94. *Processus suspensionis ex informata conscientia.* Tit. 30 lib. 4 abrogandus videretur, utpote hodie inusitatus, odiosus, et non paucis incommodis obnoxius. Videat S. Synodus utrum supprimendus sit an conservandus.

Can. 2195... *De iure poenali simplificando. Ius poenale* reformari et simplificari oporteret, ita ut *a*) effectus a se intentos reapse obtineat; *b*) a fidelibus, saltem eruditioribus, intelligi queat; *c*) a sacerdotibus, maxime a confessariis, retineri possint saltem ea quae actu sciri deberent.

In concreto haec insinuanda occurrunt. 1) Supprimatur poena interdicti, utpote iam fere inusitata, saepe inefficax, quandoque etiam nociva. 2) Supprimantur aliquae poenae latae sententiae, conservatis tantum iis quae frequentioris usus sunt et quibusdam aliis quae ob delicta gravissima, etsi rariora, imponuntur. 3) Ne delinquentes possint in posterum ab his poenis excusari ob ignorantiam, moneantur confessarii ut poenitentibus ignorantibus notas faciant sanctiones in quas incurrent, si iterum delinquant.

CAPUT V

EX PHILOSOPHIA

In praesenti statu culturae philosophicae, progressivo simul, chaotico et saepius a veritate longe dissito, triplex Concilio Oecumenico proxime celebrando munus incumbere videtur: sanam pholosophiam contra serpentes passim et ubique errores tutari; confusionem idearum in doctrinis fundamentalibus dissolvere; et quidquid legitimus scientiarum progressus invenerit, id velut aliquid sibi proprium et probatum agnoscere.

Iam vero, salvo meliori iudicio, satis huic triplici officio Concilium facere existimamus, si puncta praecipua philosophica, quae in Litteris Encyclicis *Humani generis* continentur, fusius ac plenius retractaret. Haec autem argumenta hoc forsitan ordine disponi possent:

I. Pro perenni philosophia tutanda

1. Rationem humanam, debito modo excultam et usurpatam: *a*) non solas concretas et experimentales, verum etiam abstractas veritates posse cum certitudine attingere; *b*) neque solum relativa et fluentia, sed etiam absoluta et immutabilia obiecta captare ac demonstrare posse.

2. Inter quae primum locum tenet exsistentia Dei personalis, ex nihilo materiam cosmi vere creantis et providi. Ideoque tum monismum quemvis stricte dictum cuiusvis generis, tum universalem evolutionismum, ut opinationes habendos esse, a veritate plane aberrantes.

3. Traditionales vero probationes, quibus humana ratio Dei personalis realitatem obiectivam per saecula demonstrare consuevit; nullatenus vim persuasivam, ut ait existentialismus, atque efficaciam apologeticam iam nunc amisisse: neque generatim pro hominibus popularibus excultis, neque pro ipsis scientificis viris, si tamen falsis principiis philosophicis praeoccupati non fuerint.

4. Secundo loco, *Psychologiae sine anima* sic dictae, sive multigenis theoriis modernis: sensisticis, materialisticis, actualisticis, vitalisticis, historicististis... opponenda est realitas obiectiva animae humanae rationalis, invictis argumentis suffulta; quae sit principium primum vitae rationalis, substantiale, permanens, spirituale et immortale.

5. Tertio, vindicanda hominis genuina libertas arbitrii cum vera plurimorum actuum, humanorum nempe, sive internorum sive etiam externorum, responsabilitate morali, contra errores ab ea quam « psycholo-

giam profundam » vocant exortos, et a pluribus catholicis, etiam ecclesiasticis, nimia indulgentia spectatos.

6. Quarto, contra idealismum, sive universalem sive acosmisticum, probanda est exsistentia vere obiectiva mundi externi: tum a meris hominis eventibus consciis, tum ab spiritu plane distincti.

7. Idcirco, illud etiam est omnino tenendum: « philosophiam in Ecclesia agnitam, quae velut patrimonium iam dudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum »; etiam culturae hodiernae necessitatibus respondere.

8. In qua philosophia « sicut plura... in quibus res fidei vel morum, directe neque indirecte attinguntur... Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; ita quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, eadem libertas iure non vigeat necesse est » (*Humani generis, A.A.S.* 42, 572).

9. In campo catholico persistendo, oporteret ad trutinam reducere novas opiniones, quae, iuxta easdem Litteras Encyclicas, p. 565, « a quibusdam caute ac tecte docentur: num, verbi causa, materia ab spiritu essentialiter differat... ».

10. Novae huiusmodi opiniones, tum audaciori novitatum studio tum falso « irenismo », saltem partialiter, attribuendae videntur. Unde hisce duabus tendentiis humanis, quantum fieri possit, iustos limites definire oporteret.

11. Quaestionem socialem maximi momenti esse modernis temporibus indubium est, tum ex ratione interna, tum ex marxistis theoriis fere ubique serpentibus, tum denique ex multiplici documentorum de hac re ab ultimis Summis Pontificibus datorum numerositate. Ideo, posita inter catholicos auctores et theoricos in hac re diversitate et non raro ambiguitate, opportuna aliqua definitio conciliaris desideratur, quae hanc rem gravissimam universaliori et definitivo modo (quantum fieri possit) definiret; simulque quae in aliqua synthetica principia tot miranda documenta reduceret.

12. Cum re sociali coniuncta est quaestio politica. Hinc iuxta Sanctae Matris Ecclesiae iudicium, oporteretne expliciter tractare de potestate Ecclesiae in re politica? huiusque potestatis limites definire? Opportunitas huius definitionis clara videtur propter opinionum diversitatem inter militantes catholicos in re tanti momenti, in extrema fluctuantes. Opportunum esset in mentem revocare « principium non interventus » a Pio IX damnatum (prop. 62 *Syll.*). Quae tunc, occasione Statuum Pontificiorum a Pontifice dicta fuerunt, nunc maxima actualitate gaudent occasione aggressionum Communismi russici: « Agitur enim de immani violatione, quae contra universale gentium ius nequiter est patrata,

quaeque nisi omnino coërceatur, nulla deinceps legitimi cuiusque iuris firmitas ac securitas poterit consistere » (Pii IX Pont. Maximi *Acta,* vol. 3 [1858-1864], 187).

II. Pro sana libertate in philosophia perenni

1. Posito quod saepe Summi Pontifices sanam et iustam in Philosophia libertatem proclamaverint, ut inferius exponemus; positoque quod ex huius sanae libertatis defectu nonnullae ambiguitates conscientiaeque anxietates (crisis), etiam inter catholicos, non raro exortae fuerint, ut ex modernae culturae historia patet; proclamatio conciliaris huius sanae libertatis (revelatione divina ut norma negativa semper attenta), et ad mentium stabilitatem, et ad Philosophiae Perennis progressum, multum quidem iuvaret.

2. In vigilantia exercenda circa doctrinas philosophicas, ad quam sine dubio magisterium Ecclesiae ius habet, oporteret sane ea omnia vitare ob quae acatholici, non sine quadam apparenti ratione, sicuti accidit annis 1915 et seqq. occasione *XXIV thesium,* Sanctam Ecclesiam etiam in rebus stricte philosophicis dogmatice procedere arbitrantur et auctoritative philosophiam sibi convenientem imponere, necessaria phisophandi libertate reiecta, ita ut Ecclesiae iniuriam inferant et Philosophiam Christianam catholicorumque culturam parvi pendant.

3. Integra manente Encyclica *Humani generis,* ipsius partem positivam complere forsitan opportunum esset; non ex interna huius mirandi pontificii documenti deficientia, sed ut occasio exaggerandi ipsius partem negativam tollatur (ut alicubi evenit), cum periculo sanum et constructivum progressum in Philosophia Perenni impediendi.

4. Ut acatholicorum philosophorum obiectionibus occurramus, iuxta quos Philosopia Perennis seu Scholastica in sterili quodam dogmatismo dormitat; utque ipsa culturae modernae fundamenta attingamus, in cuius crisi tot dantur contradictorii fluctus; verum sensum et extensionem realem Religionis seu Revelationis ut *norma negativa in Philosophia* declarare opportunum et convenientissimum esset. Quod quidem ad solvendam diu agitatam quaestionem circa realitatem et naturam Philosophiae Christianae multum iuvaret.

III. De libertate inter scholas catholicas iuxta Romanos Pontifices.

1. Quanti Romani Pontifices hanc libertatem aestimarint, disserte Pius XII testatus est, anno 1953, cum de ea mentionem faceret ut de « magni aestimanda libertate, quae doctrinarum pervestigationi debetur,

a Decessoribus Nostris, Leone scilicet XIII et iis qui in Petri Cathedra eum subsecuti sunt, semper in tuto collocata » *A.A.S.* 45 (1953) 686.

2. Eam Benedictus XV propugnat cum, primis suis Litt. Encyclicis, vetat ne ullus privatus « se in Ecclesia pro magistro gerat », his ibidem adiectis: « In rebus autem, de quibus, salva fide ac disciplina — cum Apostolicae Sedis iudicium non intercesserit — in utramque partem disputari potest, dicere quid sentiat idque defendere, sane nemini non licet ». *Ad beatissimi, A.A.S.* 6 (1914) 676. Cf. Pius XII in hunc locum, *A.A.S.* 31 (1939) 246-247.

Qualis autem haec libertas esse debeat, ulterius Pius XI patefecit in Litt. Encyclicis *Studiorum Ducem,* ad Doctoris Angelici sanctitatem et sapientiam commendandam datis, cum sensum exponeret canonicae legis (can. 1366 § 2) de Sancti Doctoris doctrina in scholis catholicis tenenda: « At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in his rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisque prohibendum est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur ». Quae recta libertas minime prohibet quominus philosophiae rationalis ac theologiae alumni et professores « ita se gerant ut eum (Angelicum Doctorem) ipsi suum vere possint appellare magistrum ». *A.A.S.* 15 (1923) 324. Cf. etiam Pius XII in hunc locum, *A.A.S.* 45 (1953) 686.

At vero Pius XII, vix ad Summum Pontificatum evectus, Decessorum suorum monita « quibus legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt », ipsis eorumdem verbis adhibitis, sua fecit. Cf. *Sermo* ad alumnos... (...) utriusque cleri atque ex omni gente. *A.A.S.* 31 (1939) 246-247.

Deinde vero, anno 1946, mentem suam de hisce doctrinae rebus denuo aperiens, ita ad Deputatos Capituli Generalis Ordinis Praedicatorum, iuxta praecepta memorati canonis 1366, 2, adloquebatur: « Hac autem in re nunc minoris videntur esse momenti quaestiones, in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus et disceptationibus ducendae sunt. Eoque minus nunc sermo est de illis doctrinarum ad physica seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant. *A.A.S.* 38 (1946) 387

In Litt. autem Encyclicis *Humani generis,* prout tractationis natura postulabat, id etiam egregius Pontifex memoravit. Cum enim ageret de « philosophia in Ecclesia agnita ac recepta », haec de sana libertate subiunxit: « In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe neque indirecte attinguntur, quaeque propterea Ec-

clesia peritorum disceptationibus permittit: at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget » *A.A.S.* 42 (1950) 52.

3. Nimia fere videri posset haec earumdem affirmationum iteratio. Eam tamen insufficientem pro quibusdam fuisse, ipse Pius XII sequenti anno, 1951, maerens testatus est verbis in hunc modum prolatis: « Haud sine maesti animi admiratione percepimus aliquos huiusmodi documentum (Litt. Encycl. *Humani generis*) satis graviter tulisse, quasi Nos voluissemus indagationes, quas doctrinarum profectus poscit, coërcere et peculiares opinationes, quae in philosophicis et theologicis scholis adhuc sine fidei periculo libera fuerunt in disceptatione, prohibere. Isti falluntur aut fallunt » *A.A.S.* 43 (1951) 738.

Haec sunt quae coram Deo censuimus obedienti animo proponenda esse.

APPENDIX

DE REVISENDO CODICE IURIS CANONICI

Em.me ac Rev.me Domine,

Infrascriptus Eduardus F. Regatillo, S. I. Decanus Facultatis Iuris Canonici, apud Pontificiam Universitatem Comillensem in Hispania, Eminentiae Vestrae Reverendissimae haec exponere opportunum iudicavit:

Iam Romam pervenerunt propositiones trium Facultatum huius Universitatis, ut nobis nuntiatum est. Quod Facultatem Iuris Canonici spectat, Decanus multa proposuerat circa Codicem reformandum, quorum maxima pars expuncta fuerunt, ne nimis excresceret Facultatis votum; at simul insinuarunt plures professores opportunum fore quod votum integrum, prout a Decano confectum fuerat, ad S. Sedem mitteretur, non nomine Universitatis aut Facultatis, sed proprio auctoris nomine, quod non parvo adiutorio esse poterit Commissioni pro Codice reformando.

Accedunt speciales auctoris conditiones, quas de alieno consilio indicare liceat. Scilicet ille munere Decani per annos 22 fungitur, magisterium autem Iuris Canonici per annos 40 exercet, quibus totum Codicem pluries in scholis explanavit, et de universa materia canonica multa opera edidit.

Porro Universitas Comillensis, praeter alia periodica, ab annis 43 periodicum menstruum *Sal Terrae* edit, pro clero saeculari ac religioso totius Hispaniae ac Americae olim hispanae, per alias quoque nationes propagatum; in quo habetur una sectio canonica, altera Consultationum, indolis praesertim canonicae. Habet etiam Facultas Iuris Canonici consultorium, quo confluunt undique casus resolvendi de re praecipue canonica, ex personis cuiusvis classis: Nuntiis Apostolicis, Episcopis, Superioribus religiosis, canonicis, parochis ceterisque clericis et populo; et tanto numero ut ad triginta millia iam accedant, e quibus circiter quinque millia in periodico Sal Terrae editi sunt, ceteri privatim expediti, fere omnes ab huius voti auctore.

Qui praeterea multa alia negotia sibi commissa expedivit: in confectione plurium Conventionum Hispaniae cum S. Sede et tandem in Concordato anni 1953 partem habuit.

Edoctus igitur tam longi magisterio tamque diuturna experientiae et usu doctrinae canonicae comperire potuit necessitates ac utilitates tot

nationum; et didicit quae in Codice Iuris Canonici reformanda videntur, ut hic nostris temporibus accommodetur.

Liceat ergo propositiones sequentes S. Sedi facere, non nomine Universitatis aut Facultatis, sed proprio tantum auctoris nomine.

PROPOSITIONES GENERALES

1. Inserantur suis in locis responsa authentica Commissionis Interpretum, mutata quatenus opus fuerit; suppressis iis quae nostris temporibus non congruant. Item ius in Constitutionibus Apostolicis ac decretis Curiae Romanae statutum. Quaedam lacunae apte compleantur. Addantur eae innovationes et statuta pro Codice Ecclesiae Orientalis elaboratae, quae Codicis Ecclesiae Latinae aptae videantur; praesertim adiiciatur in libro primo titulus *de Verborum significatione*.

2. Principia a S. Romana Rota statuta examini subiiciantur, et quatenus comprobanda iudicentur, in Codicem inserantur. Item quae ex exortationibus Summorum Pontificum ad auditores eiusdem Rotae depromi oporteat.

3. Resolvantur multa dubia praecipui momenti, quae etiam post Codicem promulgatum discutiuntur inter auctores.

4. Recenseantur, ascitis peritis in theologia dogmatica, quidam aspectus circa Ecclesiam in Codice minus clare ac plene exhibiti.

5. Abrogentur vel mutentur omnes normae iuris mere ecclesiastici etiam instituta quae, olim utilia, hodie suam utilitatem amiserunt.

6. Minuantur leges irritantes et inhabilitantes, ne tot actus evadant nulli, cum gravibus sequelis et incommodis.

7. Adinveniantur normae ac methodi iuxta magnum nostrae aetatis progressum, quibus Ecclesiae universalis negotia in Romanis Dicasteriis atque potestatum ecclesiasticorum exercitium ubique celerius, efficacius magisque accommodate ad diversarum gentium indolem perficiantur.

Ad hoc iuvare censetur quod Ordinariorum facultates augeantur, ne his necesse sit ad S. Sedem recurrere pro rebus non magni momenti; salvo semper iure subditorum recurrendi ad superiorem auctoritatem, et servatis semper subsidiis ordinatione canonica eisdem semper concessis.

8. Ad hanc maiorem efficaciam gubernationis conferret quod in canonica ordinatione agnoscatur quaedam superior organizatio seu auctoritas, quae ambitum dioecesanum praetergrediens, ad communia negotia ambitum nationalem attingeret; velut commissio Episcoporum, cuius decisiones in quibusdam rebus obligatoriae esse possent.

PROPOSITIONES SPECIALES

LIBER PRIMUS

Can. 1. *De iure Ecclesiae Orientalis.* Quoniam huius Ecclesiae Codex prius, ut creditur, totus promulgabitur quam Codex Ecclesiae Latinae reformatus, procuretur, quatenus oporteat, utriusque Codicis conformitas; maxime in rebus ad fideles unius et alterius Ecclesiae spectantibus; ne v. gr. statuatur vel habeatur in Latina matrimonium nullum ex capite metus indirecti, quod in Orientali statuitur nullum ex capite metus directi tantum.

Opportunus forte censeretur in libro primo titulus *de verborum significatione*, qualis invenitur in Codice Orientali: quamvis in Latino etiam non paucorum verborum significatio proditur. Tamen hae definitiones cum cautela magna adhibendae sunt; nam, ut ait iurisconsultus Iavolenus « omnis definitio in iure civili periculosa est » (*Digesto*, lib. 50, tit. 17 leg. 202).

Can. 2. *De iure liturgico.* 1) Desideraretur *Codex liturgicus* systematice confectus, instar Codicis Iuris Canonici, simplex, suppressis minutiis multis, abrogatis legibus obsoletis et quae nostro tempori non congruunt, ceteris concordatis: et eo spiritu praeditus ut prae omnibus animarum bonum foveatur, nec leges liturgicae seu rubricae praevaleant fidelium saluti, sed e contra huic fini pastorali suppeditentur.

2) Commune desiderium est ut praenuntiata *reformatio Breviarii ac Missalis* quam citius fiat: in breviorem formam redacta et solitariae recitationi magis congruentem: quo maiori devotione recitetur, exclusis iis quae historiae verae non congruant. Expediret ut ceteri libri liturgici concorditer reformarentur, historiae et novae temporum conditioni accommodati.

3) Cum in quibusdam nationibus *triduum sacrum hebdomadae sanctae* magna solemnitate ac praecipua populi devotione celebretur ac animarum fructu, ut in Hispania, ubi feria V et VI festum civile de praecepto imponitur; optandum est ut ubi expediat, ne urgeatur adeo observantia communis liturgiae circa horas, ut tantus fructus impediatur; quod ab Episcopis et parochis deploratur, ob statutum novum ordinem Hebdomadae Sanctae.

4) Optandum quoque ut in *feria V hebdomadae sanctae, qua institutio sacrificii eucharistici commemoratur, omnibus sacerdotibus liceat illud celebrare.* Hodie praesertim valde grave eis fit a celebrando illo die abstinere, cum omnes quotidie celebrare soleant.

Prohibitio celebrandi missam in feria V hebdomadae Sanctae ideo statuta est, ut etiam sacerdotes sacram communionem recipiant de manus rectoris ecclesiae vel superioris communitatis, sicut apostoli ea die de manu Domini illam susceperunt. Sed simul commemoratur institutio sacrificii et sacerdotii novae legis, eodem die facta qua Christus illud obtulit et qua apostoli a Christo ordinati fuerunt sacerdotes. Et sicut hodie qui ordinantur sacerdotes in ipsa missa ordinationis cum Episcopo ordinante vere sacrificium eucharisticum offerunt, nonne congruentia haec suaderet ut in feria V in coena Domini omnibus sacerdotibus liceret missam celebrare?

Imo, gratissimum sacerdotibus omnibus fieret, si etiam sabbato sancto eis celebrare permitteretur. Utrumque, ut nobis relatum est, iam a pluribus annis iusta de causa in urbe Parisiensi permissum fuit.

5) Optandum quoque ut eadem feria V hebdomadae maioris fideles communionem recipere possint quibusvis horis matutinis ac vespertinis, tum intra tum extra missas. Innumeri enim sunt, saltem in Hispania, qui illa die ad sacram mensam accedunt, ita ut in quibusdam ecclesiis per integrum mane communio continuo distribueretur.

6) *De usu linguae vulgaris in actionibus liturgicis*. Deliberare velit S. Synodus quatenus expediat usum linguae vulgaris in actionibus liturgicis permittere, speciatim in Sancto Missae Sacrificio, quod non pauci optarent.

Can. 3. *De Concordatis*. Haud inopportunum forsan foret quod in can. 3 quaedam consignarentur de natura et vi concordatorum, cum a guberniis saepe violentur falsorum principiorum praetextu, aut falsis interpretationibus et arbitrariis applicationibus subiiciantur; immo et catholici de illis quandoque non recte sentiant. Iam in Concilio Vaticano decretum *de concordatis* propositum fuit, quod tandem ob Concilii suspensionem non fuit editum (MANSI, *Collectio Conciliorum,* tom. 53, col. 862-64). Haec itaque consignanda proponuntur: *a*) Concordata per canones non tanguntur, etsi illorum decreta a sacris canonibus dissentiant; *b*) Saltem tamquam vera pacta internationalia *inter S. Sedem et Nationem* habenda et servanda sunt, nec licet sola unius partis voluntate illa abrogare. Servanda iure gentium (Pius X, Encycl. *Vehementer,* 11 febr. 1906); *c*) Si quod occurrat dubium circa alicuius articuli interpretationem, aut gravis difficultas in applicatione exsurgat, mutua Partium consensione res definietur, nisi alia decidendi ratio in eodem concordato statuatur; *d*) Concordatum pactum, et lex concordata, unum idemque sunt. Vim suam habent et exserunt a momento quo fit intermutatio documentorum ratificationis eiusdem inter Partes; quae intermutatio locum tenet promulgationis, nisi aliud in concordato ipso conventum fuerit; *e*) Quare,

cessante concordato, cessat totum, et pactum et lex tamquam concordata; ex parte autem Ecclesiae ad ius commune redeundum est, nisi S. Sedes aliud decernat.

Can. 33. § 1. *De temporis supputatione* (Adde). etiam quod dicitur *zonarium,* dummodo hoc tempus sit legale (Commis. Interp. 16 nov. 1925; *A.A.S.* 17, 182).

Electo uno supputationis modo, hic mutari potest in actionibus formaliter diversis. Non sunt actiones formaliter diversae tres missae celebratae nocte Natalis Domini (Comm. Interp. 29 maii 1947: *A.A.S.* 39, 375).

Can. 34. Regulas in can. 34 statutas simplificari oporteret, ita ut in omni casu, sive terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur, sive non: sive coincidat cum initio diei sive secus, nisi aliud statuatur dies *a quo* semper supputetur quasi integer esset, ideoque menses et anni censeantur completi incipiente ultimo die eiusdem numeri. Nam non raro accidit, ut ex errore supputationis prima dies supputetur quasi completa, et tempus expletum incipiente die eiusdem numeri, cum tamen non ita esse debet iuxta normam a Codice datam; et sic actus iuridicus invalide ponatur v. gr. professio religiosa post annum novitiatus.

Quod si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, v. gr. *triennium ad professionem perpetuam post temporalem,* praecedens actus suam vim iuridicam conservet donec renovetur, per totum illum diem eiusdem numeri quo renovandus est: ne v. gr. professus votorum temporalium, per aliquot horas maneat absque votis.

Can. 81. *Facultas dispensandi in legibus communibus* canone 81 Ordinariis concessa forsan expediret ne restringatur quoad vota privata S. Sedi reservata: ideoque bonum foret quod abrogetur resolutio Commissionis Interpretum Codicis Iuris Canonici, 26 ianuarii 1949: *Acta Apost. Sedis* 41, 158, quae declaravit ab illis votis non posse Ordinarios dispensare vi can. 81. Re vera: *a*) gravissimi doctores antiqui [1] hanc potestatem agnoscebant Episcopis ex coniectata mente R. Pontificis, qui non videtur velle hanc reservationem cum tanto rigore sustineri; *b*) ideo regularibus plerisque privilegium concessum est ab iis votis dispensandi, etiam extra casus urgentiores; *c*) restrictio in magnas angustias coniiceret voventes: si neque in casu illo urgente posset Ordinarius dispensare.

Immo fortasse non esset incongruum quod distinctio illa can. 1308 inter vota *reservata* et *non reservata* supprimatur: ita ut super omnibus

---

[1] SUAREZ, *De Religione,* tract. 6, lib. 6, cap. 26 n. 9; SANCHEZ, *De Matrimonio,* lib. 8, disp. 9, n. 22, 23.

votis privatis dispensare possint ii de quibus can. 1313, qua potestate gaudent ex privilegio regulares.

(Adde): Clausula « nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem » non obtinet quando Ordinarii facile recurrere possunt ad Legatum R. Pontificis in regione, qui cum eadem S. Sede communicat (Comm. Interp. 26 iunii 1947; *A.A.S.* 39, 336).

LIBER SECUNDUS

Can. 93. *Domicilium uxoris.* « Uxor a viro legitime non separata necessario retinet domicilium viri sui » (Adde): item a marito deserta nequit obtinere proprium ac distinctum domicilium, nisi ab Ordinario vel iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam, aut ad tempus indefinitum... (Comm. Interp. 14 iul. 1922: *A.A.S.* 14, 526).

Can. 98 § 1. *Ritus baptizatorum* (Adde): Qui ad preces parentum, contra praescriptum can. 756 a ministro ritus alieni baptizati sunt, non pertinent ad ritum in quo sunt baptizati, sed ad eum in quo iuxta eumdem canonem baptizari debuerunt (Comm. Interp. 16 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 478).

Can. 130. *Examen neosacerdotum* (Adde): Hoc examine non tenentur parochi vel vicarii curati religiosi, si subierint coram superiore religioso eiusve delegatis examen de quo in can. 590 (Comm. Interp. 14 iul. 1922: *A.A.S.* 13, 526).

Can. 131 § 3. *Conferentiae de re morali* (Adde): Inter curam animarum habentes non recensentur catechistae; utique religiosi vicarii cooperatores vel capellani, si ad normam can. 467 § 6 vicem parochi suppleant, eumque adiuvent in universo paroeciali ministerio (Comm. Interp. 12 feb. 1935: *A.A.S.* 27, 92).

Can. 132. *De clericorum caelibatu*: Quamvis, ut credimus, S. Sedes et Concilium non permittet ut hac de re ne verbum quidem fiat, tamen apud nonnullos viros ecclsiasticos in desiderio sit ut aboleatur aut mitigetur, votum nostrum esset ut caelibatus clericalis minime tangatur; non obstantibus rationibus in contrarium adductis (*Civiltà Cattolica,* 1959, vol. 4, p. 113).

Immo ad maiorem reverentiam erga castitatem clericalem et maius robur in eius observantia fortasse opportunum sit ut Concilium expresse definiat in susceptione ordinationis presbiteralis implicitum esse votum solemne castitatis, immo decernat ut ante hanc ordinationem hoc votum explicite emittatur. Idem votum implicitum est in ordinatione diaconali et subdiaconali, iuxta doctrinam communem et documenta ecclesiastica; sed quoniam hodie subdiaconi ac diaconi maiori facilitate quam antea reducuntur ad statum laicalem sine onere caelibatus, sine voto castitatis:

dum e contra presbyteri nunquam, ideo forte expediat declarare in susceptione presbyteratus contineri votum, non autem in susceptione subdiaconatus et diaconatus: sic plus firmatur obligatio castitatis in presbytero (can. 132).

Porro videat Concilium an iuvet instituere praeter diaconos, qui nunc sunt, aliam diaconorum classem perpetuorum, quibus matrimonium permittatur; qui ad sacerdotium non destinentur, nec hodiernorum diaconorum obligationibus subiiciantur, et tamen quasdam functiones ecclesiasticas iure exercere valeant. Quod sat multi ecclesiastici proponunt.

Item an conveniat in favorem unionis ministros sectarum christianarum, qui tales revera fuerint, iuxta disciplinam sectae suae, matrimonio ligatos et ad Ecclesiam conversos, sacerdotio augeri, vel illo forsan iam recepto fungi, quin ipsis usus matrimonii iam contracti interdicatur; dummodo ante conversionem ne per baptismum quidem in Ecclesia catholica receptum, ad eam pertinuerint; omnibus ad sacerdotium requisitis polleant; matrimonium eorum validum fuerit; ipsi conversionem omnis prolis impubis procuraverint; uxoresque item conversae ordinationi sponte consenserint. Talis concessionis exempla quaedam ultimis temporibus produntur.

Ad castitatis custodiam, ne sacerdotes cogantur vitam solitariam peragere in minusculis paroeciis a maioribus hominum nucleis valde dissitis, conveniret quod cura animarum in illis exerceretur a pluribus sacerdotibus vitam communem peragentibus.

Can. 136. *De habitu ecclesiastico et tonsura.* Cum multi clerici, etiam sacerdotes, forte ad liberiorem vitam agendam, quandoque praetextu laicos ad se attrahendi, contendant habitum ecclesiasticum dimittere; rogatur Concilium ut praescripta Codicis Iuris Canonici de habitu clericorum urgeri velit; ac praesertim ubi habitus talaris vigeat, magis inculcetur. Idem de clericali tonsura dicatur.

Can. 139 § 4. *Clerici senatores ac deputati...* ubi pontificia prohibitio intercesserit (Adde): etsi agatur de Cardinalibus et Episcopis... (in fine): Ordinarii locorum in concedenda licentia potius difficiles se praebeant (Comm. Interp. 25 apr. 1922: *A.A.S.* 14, 313).

Can. 142. *De negotiatione clericis vetita.* Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere, sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

Expediret ut conceptus iuridicus negotiationis et mercaturae a iure stabiliatur, et quidem non adeo rigidus. Nam inter doctores controvertitur. Generatim *exercitium* negotiationis aut mercaturae consistere dicunt non in uno alterove actu, etsi magnae quantitatis, sed in modo ha-

bituali operandi. Sed cum venitur ad definiendum habitum, sententiae dividuntur.

Adde quod ipse actus negotiandi in praxi multis dubiis subest; et clerici et religiosi ac religiosae, honestissimi ac bonae conscientiae, sine scrupolo tales gestiones exserunt, quae a canonistis plerumque negotiatio vetita habetur: ut cum pro alumnis sibi commissis res magna quantitate emunt, imminuto pretio, ut eas eisdem vendant absque pretii deminutione, retento sibi lucro; aut cum auctores vel editores libri conveniunt de eo assignando discipulis tamquam textu, concesso professori magno quaestu, quin ipsis discipulis nihil de pretio statuto detrahit. Communitates regularium saepe veras industrias exercent, emptis materiis primis, eisque mutatis per operarios conductos, sub ductu paucorum religiosorum. Sunt etiam laboratoria a clericis vel religiosis directa, in quibus res artisticae conficiuntur, ex materiis pretiosis quoque emptis, cum magno lucro. Parochi et moderatores piarum associationum saepissime cinematographa statuunt honesta pro fidelibus modica taxa requisita, sed quae non solum sumptus compenset, at etiam lucrum aliquod pro paroecia, associatione etc. gignat. Et sic porro.

Haec, inquam, sine scrupulo fiunt; immo clerici qui actioni sociali incumbunt non raro gestiones similes edunt in favorem societatis.

Tituli quoque, actiones, obligationes etc. venduntur, commutantur; cum lucro fit monetae cambium; nec facile discerni potest num de prudenti bonorum administratione agatur, an de vetita negotiatione. Hinc saepe scrupuli, animi anxietas. Quod longa experientia constat.

Conveniret ergo quae ad negotiationem vetitam spectant iure magis definire quantum fieri possit; et quidem criterio haud severo, prout temporum nostrorum conditio suadet.

Porro, S. C. Concilii 22 mart. 1950, *A.A.S.* 32, 230, de mandato Pii XII, gravissimas poenas clericis et religiosis negotiatoribus eorumque cooperatoribus imposuit, praecipue excommunicationem latae sententiae specialiter reservatam S. Sedi.

Quae cum sit latae sententiae, et aliunde difficile sit discernere quandonam delictum reapse sit commissum; viderit S. Synodus num expediat poenas has latae sententiae abolere; statutis poenis *ferendae sententiae;* monitis Ordinariis ne in eis imponendis sint negligentes. Sic bonorum tranquillitati prospicietur.

Immo forsan oporteret ut iisdem Ordinariis concederetur aliqua potestas permittendi gravi de causa aliquas huiusmodi gestiones.

Can. 145. *De officiis ecclesiasticis.* In notione officii stricto sensu, can. 145 data, bonum esset si adderentur verba « aut aliam publicam potestatem », quemadmodum factum est quoad disciplinam Ecclesiae

Orientalis a Pio XII, Motu proprio 9 feb. 1952; *A.A.S.* 44, 126 *De verborum significatione.*

At simul definiri oporteret conceptus *potestatis publicae,* ac praesertim *iurisdictionis, dominativae, administrativae,* ac *magisterii;* quatenus haec ad iurisdictionis potestatem reducatur necne. Nam huiusmodi termini passim occurrunt in Codice nostro ac in aliis multis documentis ecclesiasticis; et ex eorum definitione plurima eaque gravia profluunt consectaria. Sic v. gr. utrum munera Vicariorum paroecialium aliorumque officia stricta censeri debeant; quaenam sit indoles ministerii quod in apostolatu exercent laici, quinam character potestatis paroecialis; an officium parochi possit dici plene iurisdictionale, ut aliqui contendunt.

Can. 180 § 1. *Suffragia in postulatione* (Adde). Concurrente postulatione cum electione, si in primo, altero et tertio scrutinio suffragia dividantur inter postulatum et electum, atque nec postulatus duas tertias suffragiorum partes obtinuerit, nec eligibilis maioritatem absolutam, sed relativam tantum; hic valide electus est. Si plures sint eligibiles, inter eligendos valide eligitur qui obtinuit maioritatem relativam, excluso postulato (Comm. Interp. 1 iul. 1922: *A.A.S.* 14, 406).

Can. 188, 3°. *Vacatio beneficii* per promotionem beneficiarii a S. Sede factam. Beneficium sic vacans manet S. Sedi reesrvatum (can. 1435 § 1 n. 4); et in rescripto promotionis ad aliud beneficium dicitur per solam collationem secundi vacare primum, ita ut ex tunc de illo S. Sedes disponere possit. Iam vero non raro accidit, ut antequam promotus possessionem secundi ceperit, poenitens velit primum conservare, nec secundum possidere. Nonne oporteret ut servaretur norma communis can. 177 n. 3, quod primum non vacet nisi post secundi possessionem? Declarari oportet quoque quae iura et onera competant promoto antequam possessionem secundi beneficii capiat; an videlicet vacatio primi sit *semiplena* et interea conservet promotus in beneficio *a quo* omnia iura et onera quae habebat, sicut statuit can. 430 § 3 de Episcopo ad aliam Sedem promoto, a notitia translationis.

Can. 189 § 2. *Tempus acceptandi renuntiationem.* (Adde): Potest tamen Ordinarius renuntiationem valide acceptare, elapso iam integro mense a renuntiatione facta, quin nova intercesserit renuntiatio; nisi resignatarius renuntiationem Ordinario exhibitam revocaverit et revocationem Ordinario significaverit.

Can. 191 § 2. (Adde): Resignans resignationem revocare valet, ante acceptationem (Comm. Interp. 14 iul. 1922; *A.A.S.* 15, 526).

Can. 197-209. *De potestate dominativa.* Praescripta can. 197, 199, 206-209 de potestate iurisdictionis applicanda sunt quoque potestati dominativae, quam habent superiores et capitula in religionibus, in so-

cietatibus vitae communis sine votis publicis (Adde): et *in institutis saecularibus*: nisi natura rei aut textus contextusve legis obstet (Comm. Interp. 26 mar. 1952; *A.A.S.* 44, 497).

Idem declarari opportet de potestate *administrativa,* aut simili, parochorum etc.

Can. 209. *De errore communi.* Cum plurima de errore communi scripta sint, eiusdemque notiones variae dentur, soleat etiam distingui error *communis de facto* et *communis de iure;* et discutiatur quousque potestatem iurisdictionis, administrativam ac dominativam suppleat Ecclesia in casu erroris communis; et aliunde res sit magni momenti praesertim quoad matrimonii valorem, considerandum proponitur utrum velit Concilium quaestiones has definire, an eas canonistarum disputationi relinquere.

Can. 209. *De supplentia iurisdictionis* (Adde): Praescriptum huius canonis applicatur etiam ad potestatem assistendi matrimonii (Comm. Interp. 26 mar. 1952; *A.A.S.* 44, 497).

Can. 212 § 1. *De readmissione clerici minoris ad statum laicalem redacti.* Forte addi oporteret: Si Episcopus licentiam dans non designet dioecesim incardinationis, censetur clericum suae dioecesi incardinare; si autem praevia conventione cum alio Episcopo dioecesim huius designat, rehabilitatus huic eo ipso incardinatus manet.

Can. 214. *De reductione clerici maioris, per vim vel metum ordinati, ad statum laicalem.* Hic canon exigit et *probationem metus* et *probationem defectus ratihabitationis ordinis suscepti.* At ex Instructione S. Congr. Sacramentorum 9 iul. 1931; *A.A.S.* 23, 457, n. 65, probato metu vel alio vitio consensus, ut ignorantia onerum, ratihabitio subsequens non praesumitur sed probanda est. Ergo ut clericus maior, probato metu, ab oneribus declaretur liber, non requiritur quod probetur ratihabitionis defectus; sed ipsa ratihabitio probanda est a vinculi defensore, ut petitio reiiciatur. Vide F. REGATILLO, *Inst. Iur. Can.* I, n. 385 ed. 5; CAPELLO, *De sacra ordin.* n. 699.

Ergo iuxta hunc sensum mutandus est can. 214 ita: § 1. ... probata coactione, ad statum laicalem ... redigatur, *nisi probetur ratihabitio* ... § 2. Coactio et *ratihabitio probari debent...*

Can. 216 § 4. *Paroeciae ratione linguae.* (Adde): Etiam in regionibus mixtae linguae, quae politice unicum Statum efformant, sed diversis linguis *officialibus* utuntur, requiritur indultum apostolicum, ad erigendam paroeciam exclusive destinatam fidelibus determinatae linguae; etiamsi haec sit una ex officialibus illius nationis, et paroecia erigenda suam distinctam partem territorialem habeat in dioecesi.

De Cardinalibus. Can. 236 § 2. *Praecedentia.* (Adde): etsi transitus fiat decennio nondum expleto (Comm. Interp. 29 mai 1934; *A.A.S.* 26, 493).

Privilegia. Can. 239 § 1 n. 12, 13, 24. In Basilicis Patriarchalibus Urbis nequeunt uti baculo pastorali, benedicere populo more Episcoporum, indulgentias concedere (Comm. Interp. 29 mai 1934; *A.A.S.* 26, 493).

Can. 242. *De Curia Romana.* Non pauci Episcopi desiderium ostendunt ut in Dicasteriis Curiae Romanae constituantur officiales vere technici et efficaces, qui scientia gaudeant non mere speculativa et theoretica, sed praesertim practica; scilicet, qui cum diversis populis conversati, eorum indolem, necessitates et convenientias usu et experientia norint. Sic enim decisiones seu resolutiones ac responsa ad singula negotia magis adaptabuntur convenientiae casus seu negotii propositi, et negotia citius expedientur.

De competentia SS. Congregationum. Prae oculis habeantur diversae resolutiones.

Can. 323 § 2. *Abbas et Praelatus nullius.* (Adde): Ecclesiam in alieno territorio valide consecrare non potest, ne ex eiusdem quidem Ordinarii licentia (Comm. Interp. 29 ian. 1931; *A.A.S.* 23, 110).

Can. 335. *De Episcopis.* Optandum ut Episcoporum, et in genere Ordinariorum, facultates a iure augeantur, ne sit necessarius recursus ad S. Sedem vel Nuntiaturam Apostolicam in iis rebus et casibus in quibus responsum Curiae Romanae affirmativum semper et facillime datur.

Can. 339, 466. *Dies missae pro populo.* Festa de praecepto suppressa in quibus applicanda est missa pro populo, sunt quae continentur in Catalogo Urbani VIII, Const. *Universa,* 13 sept. 1642 (Comm. Interp. 17 febr. 1918; *A.A.S.* 10, 170; S. C. Concil. 28 dec. 1919, *A.A.S.* 12, 42).

Dum Codex elaborabatur actum est de tollenda hac obligatione quoad festa suppressa; quia haec festa a populo hodie nihilo attenduntur; sed cum plurimi Episcopi petiissent ut haec obligatio conservaretur, ad hoc ut ipsi possent obtinere a S. Sede facultatem permittendi ut, loco applicandi pro populo, applicaretur alia intentione cum stipendio pro Seminario, ideo talis obligatio in Codice retenta est. Certe finis huius conservationis sanctissimus est et valde utilis ad procuranda subsidia pro seminariis saepe indigentibus: ac sine dubio Episcopi dolerent quod hic subsidiorum fons exsicaretur. Viderit tamen Concilium num expediat abolere clausulam, *etiam suppressis,* cum circa haec lex conservata est hoc fine mere extrinseco legi: non in bonum populi, pro quo imponitur missa, sed ut a lege ipsa dispensetur in favo-

rem seminarii, quod non videtur iuridicum. Aliunde obligatio applicandi in festis suppressis, quae a populo nihil considerantur, parochis valde onerosa fit, quia ipsi stipendiis pro se privantur.

Maxime expediret ut abrogetur illa clausula circa festa suppressa de *praecepto particulari,* in quibus etiam urget obligatio applicandi pro populo, ex responso S. C. Concilii 19 iul. 1930: *A.A.S.* 22, 521; quae valde incerta sunt; nec ullibi assignatur terminus *a quo* supprimi debuerint, ut maneat obligatio applicandi pro populo.

Can. 344. *De exemptione ecclesiarum regularium ab Episcopi visitatione.* (Adde): Episcopus nequit eas visitare, ut ecclesias non exemptas, quinto quoque anno. Ius visitandi habet tantum iuxta can. 1261 § 2; id est, ut certior fiat num ibi observetur aliqua lex dioecesana data ad vitandum aliquem abusum in materia cultus. Quo iure generatim ne utatur, nisi quatenus positivam habeat notitiam leges particulares a se datas ibi non observari (Praeses Comm. Interp. 8 apr. 1924. *Commentarium pro Religiosis,* tom. 9 n. 234).

Can. 349 § 1, n. 1. *Facultas Episcopi benedicendi res pias.* (Adde): Nequit Episcopus communicare sacerdotibus, ne per modum quidem actus, facultates benedicendi res pias cum indulgentiarum applicatione. Illae facultates Vicario Generali non competunt. (S. Poenit. 10 nov. 1926; *A.A.S.* 18, 500).

Non prohibetur solo crucis signo uti, cum peculiaris formula in libris liturgicis non praescribitur (Comm. Interp. 12 martii 1929: *A.A.S.* 11, 170).

Can. 349 § 2 n. 2. *Facultas concedendi indulgentias 100 dierum:* (Adde) etiam religiosis exemptis, et in eorum ecclesiis (Comm. Interp. 6 dec. 1930: *A.A.S* 23,25).

Can. 379 § 1. *Documenta archivi secreti.* (Adde): nisi agatur de iis qui iam mortui sint (Comm. Interp. 5 augusti 1941: *A.A.S.* 33, 378).

Can. 391. *Capitula Canonicorum.* De his supprimendis iam egerunt Codicis redactores; quod si hoc in Codice tunc non fuit factum, ideo tandem conservata fuerunt, quia quidam notarunt difficultates quae possent opponi a quibusdam Guberniis cum quibus S. Sedes concordatum habeat. Nunc vero nonne tempus advenit illa supprimendi?

Capitula haec iam a fine suo deciderunt, nec hodie finalitatem, ut dicitur, habent. Finis Capitulorum omnium est cultus sollemnis cathedralium, praeterea ut sit senatus Episcopi, et sedem vacantem interim regat. Sincere loquamur:

1) Ex communi dicto ac sensu cultus male exercetur; fideles officiis divinis in capitulo factis vix assistunt, quia nullam devotionem experiuntur, imo non raro contrarios sensus; antiquitus utique in his functio-

nibus cum fructu spirituali populus participabat; hodie (a quibusdam Episcopis audivimus) ecclesias cathedrales vix frequentat, et ut quidam ex his addit, saepe cathedrales sunt minime omnium frequentatae. Ergo primus finis capitulorum, cultus solemnis, defecit.

Adde quod hodie multa capitula dispensationem a choro vespertino obtinuerunt; et in quibusdam extra Hispaniam chorus non habetur nisi in aliquibus festis sollemnioribus. Praeterea hodie graviores necessitates in Ecclesia ortae sunt, quibus explendis Episcopi egent adiutorio capitularium, nec tamen his libere uti possunt propter chorum.

2) Quod sit senatus Episcopi. Hi non raro conqueruntur de difficultatibus quas experiuntur, quando consensum aut consilium Capituli requirere debent; dissensiones inter canonicos, partialitates, murmura, secreti violationes etc. quae obstacula in gubernatione creant.

3) Quod dioecesim vacantem interim regat. Ex iure eligere debet Vicarium, in qua electione quot dissensiones in Capitulo oriantur notum est. Ideo forte S. Sedes, praesertim ubi agitur de sedis vacatione per translationem, solet nominare Episcopum translatum Administratorem dioecesis *a qua*.

Cum ergo Institutum Capitulorum sit antiquatum, optanda est eius suppressio, seu substitutio, ita:

1° Supprimitur Capitulum ipsum tamquam persona moralis.

2° Supprimitur chorus.

3° Ecclesia Cathedralis sit paroecia praecipua totius dioecesis, cum parocho et convenienti numero vicariorum cooperatorum, aliorumque clericorum et officialium, ad optimam animarum curam, et ad cultus praestantiam.

4° Ecclesiae Cathedrali adscribantur unus vel plures poenitentiarii cum officio et facultatibus quae canonico poenitentiario tribuuntur, concionator, magister caeremoniarum, moderator musicae ac cantus, et alii officiales qui opportuni censeantur; ut custos thesauri ecclesiae, etc. Possent aliquae Dignitates retineri aut creari.

5° In commune totius dioecesis commodum constitui potest doctoralis, qui de quaestionibus iuridicis Ordinarium informare possit; moderator Actionis Catholicae, Actionis socialis, Catechesis etc.

Hi omnes collegium non constituent.

6° In ecclesia cathedrali chorus sollemniter haberi potest, saltem partialiter, in quibusdam festis sollemnioribus; cui assistant clerici ipsi ecclesiae addicti, non impediti.

7° Officium Capituli cathedralis, quod sit senatus Episcopi, et quod sede vacante eius vices suppleat in dioecesis regimine, optime supplebitur per *consultores dioecesanos,* de quibus Codex lib. 2 tit. 8 cap. 6,

can. 423-28. Innumerae sunt hodie dioeceses, quae Capitulum cathedrale non habent. Ne autem nimium arbitrium in his consultoribus nominandis Episcopo relinquatur, satius esset quod ab eo nominati confirmentur a S. Sede.

8° Quoad Capitula collegialia similia statui possunt. Cessent qua personae morales. Ecclesia collegiata sit paroecia praecipua post cathedralem; dotata convenienti clericorum numero ad optimam animarum curam et splendentem cultum.

Ut puto, etiam in nationibus quae concordatum cum S. Sede habent, capitulorum suppressio sine magna difficultate obtineri potest. Gubernia hodie facile acquiescent, dummodo non augeatur pensio ab Statu solvenda.

Planum est capitularibus et beneficiariis hodiernis iura quaesita conservarentur, aut fieret congrua compensatio.

De Capitulis Canonicorum. Quatenus conservanda sint, haec insinuanda videntur.

Can. 395. *Divisio fructuum et distributionum.* Ubi quotidianum chori servitium non habetur, fructuum praebendae divisio fiat *per dies naturales, non servitii,* etiam duae tertiae distributionum partes, quae locum habeant praebendae: distributiones quotidianae *per dies servitii, non per dies naturales* (S. Cong. Conc. 4 febr. 1933: *A.A.S.* 25, 183).

Cum hodie frequentissima sit suppressio chori vespertini: opportunum videretur quod a Concilio decideretur aequa distributionum quotidianarum distributio. In quibusdam capitulis, distributiones respondentes horis vespertinis conceduntur omnibus, quasi in horis vespertinis assisterent. Nam ab assistendo sunt physice impediti, quia chorus non habetur (can. 420 § 1 n. 5): et si chorus esset, ipsi assisterent. At hoc favet negligentibus. In aliis distributiones respondentes horis vespertinis accumulantur horis matutinis, ita ut qui mane choro assistunt omnes percipiant: qui non assistunt, nullas.

Haec altera distributio conformior est fini distributionum, qui est stimulum addere ad assistentiam: proinde assignandae sunt tantum horis quae habentur. Sed aliunde saepissime non est aequitativa, nam multi qui mane a choro sunt impediti, v. gr. propter magisterium in seminario, et vespere assistere solebant, cogentur omnibus distributionibus privari.

Posset systema medium adoptari, aequitati conformius: *Distributiones vespertinas lucrentur*: *a*) qui mane choro assistunt; *b*) qui non assistunt, sed excusantur vi can. 420: id est, cum iure ad distributiones quotidianas; *c*) dispensati cum iure ad has distributiones; *d*) excusati vi can. 421, sine iure ad distributiones, si mane suis muneribus incumbunt;

e) dispensati a S. Sede ob munus a loci Ordinario eis commissum, si hoc debent implere mane.

Distributiones vespertinae non lucrentur: *a*) qui in vacationibus versantur; *b*) dispensati a S. Sede sine iure ad distributiones.

Cum aequitas a multis et variis adiunctis pendeat, forte sit praeferendum quod reformatus Codex id committat statuto capitulari, approbato ab Ordinario.

Can. 396 § 1. *Collatio dignitatum.* (Adde): etsi dignitas nullam praebendam, nulla emolumenta aut valde exigua adnexa habeat (Comm. Interp. 1 iulii 1922: *A.A.S.* 14, 406).

Can. 396 § 2. *Optio* (Adde): etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico (16 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 467). Prohibetur etiam quoad canonicatus (24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 573). Etiam ad praebendas canoniae adnexas; non autem ad domos, praedia aliaqua a praebendis canonicalibus distincta (17 febr. 1930: *A.A.S.* 22, 195).

Can. 403. *Collatio canonicatuum et beneficiorum in collegiatis.* (Adde): Si de collegiata agitur capitulum audiendum est collegiale (Comm. Interp. 16 nov. 1925: *A.A.S.* 17, 582).

Can. 404. *Collatio indigenis.* (Adde): Manent abrogatae leges particulares, revocata privilegia, reprobatae consuetudines vi quarum canonicatus non nisi indigenis seu civibus originariis civitatis in qua sedem habet ecclesia, conferri possunt; aut isti ceteris praeferri debeant; nisi in his casibus, nullus reperiatur idoneus seu dignus; et indigena talis sit (26 nov. 1922: *A.A.S.* 15, 139).

Can. 411 § 3. *Vox beneficiariorum.* (Adde): non autem beneficiati et mansionarii, si id eis competat tantum ex statutis capitularibus (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 573).

Can. 418. *De vacationibus.* Famosissima causa *Toletana.* S. C. Concilii, 10 iulii 1920: *A.A.S.* 12, 357, valde severe resolvit quaestiones de residentia, contra mitiorem sententiam praestantissimorum canonistarum, et centenariam consuetudinem in Hispania vigentem. Porro resolutio illa multum Episcopis ipsis nocuit, qui inde nequiverunt canonicis uti adeo ad alia munia multo necessariora quam servitium chorale. Quare iam aliqui Episcopi obtinuerunt statim facultatem standi antiquae praxi hispanae.

Viderit ergo Concilium num expediat antiquam disciplinam hispanam attendere in reformandis canonibus de capitulis canonicorum (F. Regatillo, *Interpretatio et Iurisprudentia Cod. Iur. Can.* n. 186; ed. 3).

Can. 418 § 2. *Absentia illegitima.* Quoad fructuum amissionem intelligitur tantum ea quae tres menses excedit; non illa quae sine Episcopi

licentia habetur tempore vetito; aut ultra tertiam capitularium partem simul (S. C. Conc. 3 aug. 1924, in *Abulen.*).

Can. 419 § 1. *Substitutio in choro per coadiutores.* (Adde): Nomine *canonici* vel *beneficiarii* non veniunt eorum coadiutores (Comm. Interp. 19 ian. 1931: *A.A.S.* 23, 110).

Can. 420 § 1 n. 4. *Parochi et vicarii paroeciales a choro excusati.* (Adde): in paroecia capitulari (Comm. Interp. 19 ian. 1940: *A.A.S.* 32, 62).

Can. 421 § 1 n. 1. *Professores theologiae ac iuris canonici a choro excusati.* (Adde): etsi cum peculiari retributione doceant. *Theologia* et *Ius* intelligitur quaevis disciplina quae ad normam statutorum cuiusque seminarii in his Facultatibus docetur (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 573). Hi excusantur toto die (24 nov. 1918: *Il Monitore Ecclesiastico* 1919 p. 175).

Can. 422 § 2. *Capitulares iubilati.* (Adde): A servitio altaris pro sua vice praestando eximuntur, non obstante contraria consuetudine (Comm. Interp. 16, 20 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 477).

Optandum ut inter excusatos a choro cum iure ad fructus, non vero ad distributiones (can. 421 § 1 n. 1) recenseantur quoque qui de licentia Ordinarii loci publice docent in scholis ab Ecclesia recognitis quamvis disciplinam, etiam ad humaniores litteras vel philosophiam pertinentem. Hi enim in iunioribus instituendis forte plus laboris impendere debent quam alii. Sic in Conventione inter S. Sedem et Hispaniam, 8 dec. 1946, quoad retributionem omnes aequiparantur.

Imo, aequum videretur quod in eodem can. 421 § 1 n. 1 includantur quoque quicumque in his scholis munus quodvis exercent a loci Ordinario eisdem commissum, nam hodie ministeria haec in seminariis multo maioris momenti sunt et magis necessaria quam servitium chorale.

Capitulares religionem ingressi. Durante novitiatu et per triennium conservant sua beneficia (can. 584). De eorum iure ad fructus et distributiones nihil Codex. Sed S. C. Concilii 13 aprilis 1940; *A.A.S.* 32, 374 respondit: capitularis religionem ingressus ius non habet ad fructus beneficii antequam hoc vacet.

Non nihil severa visa fuit haec resolutio. Mitior doctrina sustentabatur a plurimis primae notae doctoribus [2] quae praxi applicabatur (Vide REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia Cod. Iur. Can.* n. 293). Viderit S. Synodus num expediat capitulares religionem ingressos inclu-

---

[2] SUAREZ, *De Religione,* l. 5, c. 16, n. 12; REIFFENSTUEL, *Ius Canonicum,* lib. 3, tit. 4, n. 5; qui ait omnes doctores sic sentire. Nititur textu Bonifacii VIII: l. 3, tit. 14, cap. 4 *in Sexto,* de quo dicit: « *Textus expressus est* ».

dere inter eos qui can. 421 excusantur a choro, cum iure ad fructus beneficii, non autem ad distributiones. Re vera illi legitime absunt et quidem ob causam sanctissimam, et beneficium conservant, neque in eo indigent substituto; saepe debent de suo solvere expensas durante novitiatu (can. 570 § 1); alias fructibus indigent ad suos familiares sustentandos; ad prudentem futuri praevisionem; praesertim cum tempore novitiatus ac professionis nihil sibi lucrari possint. Severitas illa obstaculum creare potest ingressui capitularium in religionem.

Can. 423. *Consultores dioecesani.* (Adde): Non tamen religiosi nec religiosi saecularizati (Comm. Interp. 29 ian. 1931: *A.A.S.* 23, 110).

Can. 432. *De Vicario Capitulari.* Si S. Synodus canonicorum capitula supprimenda censuerit, ipso facto officium Vicarii Capitularis suppressum esset. At etiam si manerent capitula, nonne opportunam censeret eadem S. Synodus suppressionem officii Vicarii Capitularis?

Revera iamdudum ad hanc suppressionem propendit S. Sedes. Nam cum agitur de vacatione sedis episcopalis per translationem, evitare solet electionem Vicarii Capitularis, constituendo Episcopum translatum tamquam Administratorem Apostolicum dioecesis *a qua,* usque ad captam novi Episcopi possessionem. Quando vacatio occurrit per mortem, electionem Vicarii Capitularis impedire non solet S. Sedes, fortasse quia mortem ipsam praevidere non potest, et postea vix tempus est ut ipsa aliter provideat; vel quia alius providendi modus quam ille a iure statutus, tunc valde odiosus ipsi capitulo esset.

Porro odiositas haec tolleretur, si ab ipso iure aliter provideretur pro tempore vacationis. Saeculorum experientia notum est quot scissiones, contentiones, invidiae in Capitulis oriantur occasione electionis Vicarii Capitularis: dum pars una hunc, altera illum praefert: nec semper dignior eligitur; idque cum fidelium scandalo.

Quinam ergo modus melius providendi? Forte quod ipse Vicarius Generalis dioecesim vacantem interim regeret. Sic ille, qui alter ego Episcopi mortui fuit, quasi eiusdem personam continuaret, eiusque regiminis modum. Hic providendi modus suggeritur, nisi alius a S. Sede fuerit statutus.

Can. 450 § 2. *Vicarii foranei praecedentia.* (Adde): Si simul sit canonicus capituli collegialis in suo districtu, vi huius canonis non praecedit ceteris canonicis in choro et actibus capitularibus (Comm. Interp. 16 nov. 1925; *A.A.S.* 17, 582).

Can. 451. *De parochis. Suppressio beneficii paroecialis.* Conservato omnino paroeciarum instituto, nonnulli insinuant opportunitatem tollendi indolem beneficialem, quae ad instar beneficii militaris circa saeculum VI ortum habuit. Huius suppressionis rationes hae afferuntur: *a*) Quaedam

quasi impossibilitas opportunae iubilationis parochi, ad quam, si sit beneficiarius, pertinent omnes fructus beneficii, nihil autem si a beneficio vacat; *b*) Reditus cumulantur pinguibus beneficiis pro beneficiario, in praeiudicium novarum ecclesiarum, paroeciarum in suburbiis etc.; *c*) oppositio facta divisioni magnarum paroeciarum et parochorum translationi, oppositio nempe innixa saepe cupiditate retinendi pingue beneficium; *d*) difficultas amovendi parochos inamovibiles, cum id bonum dioecesis postularet; *e*) De facto in quibusdam nationibus parochi beneficiarii non sunt. In multis dioecesibus hispanis, praesertim ob difficultates concursus, paroeciarum provisio per plurimos annos differtur, ita ut parochi in titulum fere nulli maneant; imo in dioecesi Victoriensi, anno 1865 erecta, ex tunc numquam facta fuit paroeciarum provisio, nisi unius alteriusve, quae est patronatus; et tamen dioecesis bene administratur.

Fatendum quidem est illas rationes desumptas ex paroeciarum opulentia hodie vix urgeri posse, ut in Hispania, ubi beneficia paroecialia minime pinguia sunt, quin potius exigua.

Certe desiderandum ut constituatur acervus bonorum ex quo et pensio iubilationum sumatur, et aliarum ecclesiarum indigentiis subveniatur. Hoc autem quomodo fieri possit difficile definietur in tanta conditionum varietate.

Parochi omnes stabiles in paroecia esse debent (can. 454); quae stabilitas his praesertim rationibus commendatur: *a*) quia maiori studio curae animarum incumbent in illa paroecia tamquam sua, novaque opera utilia aggredi audebunt, tanquam ab iisdem prosequenda; *b*) quia usu et experientia aptiores evadent ad eam regendam; *c*) ad vitandum nimium Ordinariorum arbitrium in eis removendis. At aliunde conceptus officii ecclesiastici tamquam beneficii, praesertim si de paroeciis agitur, hoc incommodum habet, quod supra indicatum manet, nempe quod valde difficile est parochos beneficiarios amovere, cum generale dioecesis commodum amotionem suaderet. Ideo non pauci desiderarent ut clerus dioecesanus statuto regeretur quasi functionariorum dioecesis.

Suppressio beneficiorum in genere, ita ut omnia reducantur ad mera officia ecclesiastica amovibilia, negotium foret difficile, ac summi momenti, quod totum Codicem Iuris Canonici transcenderet. Quare S. Synodus deliberare velit utrum institutum beneficiale tam venerandae antiquitatis conservare an supprimere opporteat.

Can. 459 § 3. *De examine ad paroecias.* (Adde): 4° Huic examini subici non debet parochus qui in aliam paroeciam transfertur, proponente ac suadente Ordinario; utique si translatio fiat ad instantiam parochi, nisi Ordinarius cum examinatoribus synodalibus iudicet idoneitatem adhuc perseverare, eamque esse sufficientem ad novam paroeciam. Nec paro-

chus remotus a paroecia, qui ad tramiten can. 2154 transfertur in aliam. Nec qui ex officio in aliam transfertur ad normam can. 2162-67. Non sufficit examen ad ordines peractum coram ipso Ordinario et examinatoribus synodalibus (can. 996 § 2,3); nisi versetur etiam circa ea omnia de quibus interrogandus sit clericus de paroecia providendus. Nec examen triennale neosacerdotum (can. 130 § 1), etsi coram Ordinario et examinatoribus synodalibus praebeatur (Comm. Interp. 24 nov. 1920; *A.A.S.* 12, 574).

Can. 459 § 4. *De concursu.* (Adde): Non requiritur in prima provisione novae paroeciae (Comm. Interp. 25 iunii 1932: *A.A.S.* 24, 284).

Nonne tempus iam advenit supprimendi concursus ad paroecias, qui ex can. 459 § 4 est modus provisorius solummodo retinendus in regionibus ubi vigeat, *donec Sedes Apostolica aliud decreverit*? Hodie concursus ad paroecias, ut puto, viget tantum in Italia et Hispania. Quoad Hispaniam autem valde raro celebratur; Episcopi ab eo abhorrent ideoque propter difficultates concursus in multis dioecesibus parochi in titulum paucissimi manent.

Can. 462 n. 7. *De processionibus, ius parochi.* Ius parochi se extendit etiam ad processiones quae initium ducunt ab aliis ecclesiis; firmo tamen praescripto can. 482, 1291, etiam ad processiones religiosorum exemptorum, sed firmo praescripto can. 1291 § 2 et 1293 (Comm. Interp. 12 nov. 1922; 16 nov. 1925: *A.A.S.* 14, 661; 17, 582).

Can. 465 § 6. *De Vicario substituto ob absentias non ultra hebdomadam.* Nihil de hoc statuitur in can. 465. Expediret forte ut statuatur *talem vicarium posse a parocho ipso constitui, si opportunus iudicetur; et quidem sine Ordinarii approbatione.* Nam: *a*) pro his absentiis can. 465 § 6 non exigit licentiam abeundi nec notificationem absentiae, imponit parocho obligationem necessitatibus fidelium providendi, modum eidem relinquit. Atqui quandoque necessarius est vicarius substitutus, v. gr. in sanctuario quo insperate veniunt nupturientes, absente parocho; *b*) plus permittit § 5, nempe pro absentiis urgentibus *ultra hebdomadam* potest et debet parochus relinquere substitutum, qui valeat ante Ordinarii approbationem; *c*) sic doctores aliqui; [3] *d*) Absentiae breviores frequentius occurrunt; valde onerosus foret in his recursus ad Ordinarium pro substituti approbatione. Nec detrimentum magnum timeri potest ex substituto minus apto, pro tam brevi tempore.

Can. 476 § 6. *De potestate vicarii cooperatoris.* Valde opportu-

---

[3] SCHMALZGRUEBER, *Ius Ecclesiast.,* l. 1, tit. 28, n. 8. BARBOSA, *De officio et potestate parochi,* p. 1, c. 8, n. 52, 53.

num censeretur quod vicarius cooperator agnoscatur *a iure* tamquam vicarius *substitutus* absente parocho; secus, experientia teste, gravia incommoda exsurgunt, praesertim quoad matrimoniorum celebrationem: *a*) id ipso can. 476 § 6 suadetur: nisi aliud expresse caveatur, ipse debet *ratione officii parochi vicem supplere... in universo paroeciali ministerio.* Quae verba sunt aequivalentia illis quibus can. 474 explicat officium et potestatem vicarii substituti pro absentiis parochi; *b*) ex can. 472 § 2, vicarius cooperator constituitur a iure vicarius oeconomus, vacante paroecia, donec alius designetur ab Ordinario. Iam vero, plus est oeconomus quam substitutus.

Si in Codice reformato vicarius cooperator agnoscatur tamquam vicarius *substitutus* parochi absentis; et tamquam vicarius *adiutor* parochi inhabilis (can. 475): quando, plures sunt vicarii cooperatores, munus substituti aut adiutoris geret primus; si omnes sunt aequales, munere antiquior (can. 472, § 2), nisi aliud a loci Ordinario vel parocho statutum fuerit.

Hoc, porro, praecipuum est: ut omnibus vicariis cooperatoribus agnoscatur *a iure* potestas valide assistendi quibusvis matrimoniis intra territorium suae paroeciae. Sic innumera vitantur matrimonia nulla aut dubia, aut alia incommoda gravia. Nam quamvis parochus potest eis dare licentiam generalem (can. 1096 § 1), saepe non dat.

Can. 487. *De statu religioso.* Lugendae sunt acres contentiones quae ultimis temporibus exarserunt circa statum religiosum, praesertim ob doctrinas minus rectas quae a quibusdam magnae notae viris prolatae fuerunt. Errores hos fortiter improbavit Pius XII in allocutione habita 8 decembris 1950 ad religiosos, occasione conventus internationalis de Statibus perfectionis; ubi clare edixit: 1) Quem locum teneant in Ecclesia religiones, quomodo nempe ex Christi institutione neque forma cleri saecularis *qua saecularis;* neque forma cleri religiosi, *qua religiosi,* fuerit a Christo instituta; quomodo ius divinum unam alteri non praeferat, neutram excludat. 2) Quomodo regularium exemptio minime opponatur principiis constitutivis Ecclesiae, neque legi vi cuius sacerdos debet Episcopo obedire. 3) Veritati absonum esse asseverare statum clericalem, *qua talem* iure debere aut posse appellari statum perfectionis evangelicae. 4) Falsam et iniustam esse doctrinam, quod status religiosus ex natura sua non sit nisi refugium pro timidis et angustiatis, qui saeculi procellis resistere non audent; et otiosam tranquillitatem quaerunt. 5) Excellentiorem perfectionis normam non esse libertatem in ministerio aut in perfectione exercenda, sed abnegationem libertatis ob Christi amorem, qualis habetur per consilium evangelicum obedientiae religiosae.

Ne illi errores resuscitentur, et ut concordia regnet, forsam oppor-

tunum cenceat Concilium aliqua ex his inserere Codici reformato; praesertim ad can. 487, ubi tractatus de Religiosis his verbis incipit: « Status religiosus... ab omnibus in honore habendus est ».

Can. 488. *De monialium disciplina.* Prae oculis habeatur Constitutio Pii XII, *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950, et Instructio S. C. Religiosorum 23 nov. 1950: *A.A.S.* 43, 1, 37.

Can. 506 § 2. *Praesidentia in electione antistitae monialium.* (Adde): etsi per alium assistat (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 574); praesidentia non meri honoris, sed iurisdictionis (30 iulii 1934: *A.A.S.* 26, 494).

Can. 514 § 1. *Viaticum et extrema unctio in religione clericali.* (Adde): etiam extra religiosam domum aegrotis, si agatur de religiosis professis vel novitiis; firmo tamen praescripto can. 848 (Comm. Interp. 16 iunii 1931: *A.A.S.* 23, 353).

Can. 520-27. *Religiosarum confessiones.* Desiderandum ut aboleatur can. 876, qui ad validitatem absolutionum exigit in confessario iurisdictionem specialem. Hic enim canon in nihilum practice redactus est per can. 522-23 cum interpretationibus a Commissione Interpretum et a canonistis datis; ita ut hodie vix casus sit in quo religiosa non possit absolvi a quovis confessario pro mulieribus approbato. Aliunde idem can. 876 magnam gignit inquietudinem et confessariis et religiosis. Quare abrogandus videtur.

Maneat utique statutum de confessario ordinario et extraordinario, sed cum libertate religiosarum confitendi cuivis sacerdoti pro mulieribus approbato, quoties velint. Itaque hoc sensu disciplina de religiosorum confessariis (can. 520-27) emollienda videtur, ne memorentur nisi confessarius ordinarius et extraordinarius communitatis, idque ita ut salva sit religiosarum libertas quemvis alium confessarium adeundi pro mulieribus approbatum.

Can. 535 § 1 n. 1. *Ratio administrationis monialium.* (Adde): et etiam Ordinario loci (Comm. Interp. 21 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 575).

Can. 542 n. 1. *Acatholici quoad admissionem in novitiatum.* (Dicatur): Qui a fide catholica deficientes sectae acatholicae adhaeserunt (Comm. Interp. 16 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 477).

Qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sunt, quoad omnes iuris effectus, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt (30 iulii 1944: *A.A.S.* 26, 494).

Can. 542 n. 1. *De metu et dolo quoad admissionem in novitiatum et professionem.* Invalide in novitiatum admittuntur qui religionem ingrediuntur, vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos superior eodem modo inductus recipit.

Hoc impedimentum dirimens *doli,* multis dubiis est obnoxium magnis anxietatibus conscientiae ansam praebet, ut diuturna experientia constat. Dolus qui admissionem irritat est tantum gravis et qui causam dat admissioni, ex communi doctrina; sed circa quid versari debet? Irritatne admissionem quicumque dolus superiores moveat ad candidatum admittendum?

En quae gravibus auctoribus aequum videtur: 1° Dolus debet esse gravis et dans causam admissioni. Levis in iure non attenditur (can. 103 § 2).

2° Solum invalidam reddit admissionem dolus ille qui cadit supra impedimenta mere prohibentia iuris communis (can. 542, 2°), aut iuris particularis cuiusque religionis; non vero alius dolus qui versetur circa alios defectus, qui *per se non* impediunt ingressum, sed candidatum minus aptum ad religionem reddunt, ut sunt valetudinis aut ingenii defectus. Nam:

a) Horum condidatorum admissio aut reiectio plerumque relinquitur prudenti admittentis iudicio. Iam vero si dolus iste invalidam redderet admissionem, huius valor penderet a tanta criteriorum varietate, et saepissime dubius ac vacillans maneret; quod menti ac spiritui Codicis opponitur, qui propendit ad salvandum actuum valorem (can. 11, 1680).

b) Scimus quemdam novitiorum magistrum, qui hoc dolo ductus candidatum admiserat curiam generalitiam adiisse, quae respondit: *Acquiescat.*

c) Dubium circa ambitum doli qui matrimonium irritat, est dubium iuris, in quo lex non urget (can. 15).

d) Saepissime accidit ut ipse qui candidatum admisit cum dolo, asserere non audeat quid fecisset, si dolum ante admissionem comperisset.

e) Accedit quod quandoque discerni nequeat num verus dolus exstiterit, et a quo fuerit commissus, utrum a candidato an ab alio.

Cum casus sat frequenter occurrat, ne valor admissionis et novitiatus incertus maneat, nonne oporteret ut impedimentum doli de dirimente converteretur in mere prohibens, quod videlicet non invalidam sed mere illicitam redderet admissionem?

Immo, liceat insinuare convenientiam abrogandi hoc impedimentum tamquam canonicum, servata tamen naturali inhonestate doli. Sic etiam dolus, aliter ac metus, non recensetur inter impedimenta matrimonialia (sic ea vocemus) can. 1087. Et ex norma generali, actus positi ex metu gravi iniusto et ex dolo valent, nisi aliud iure caveatur. Cum ergo matrimonium non irritet dolus, neque inter impedimenta matrimonialia recenseatur, absonum non videretur ut idem quoad admissionem in novitiatum statuatur.

Forsan decerni possit quoque de metu etiam gravi et iniusto, ut admissionem non irritet. Utique ratio envincens est ut matrimonium irritet iure positivo Codicis, quia disputatur utrum etiam iure naturali illud dirimat; nam si matrimonium valeret, iam non daretur contra illud rescissio, tamquam medium reparandi iniustitiam. Aliter eveniret quoad admissionem in novitiatum, tempus enim novitatus spatium sufficiens praebet probationis, quo novitius non idoneus dimitti potest. Accedit quod hodie metus gravis iniustus ad admissionem in novitiatum rarissime incutitur, secus ad matrimonium. Vix ergo ratio est ut lex dirimens sustineatur. « *Ex his quae forte uno aliquo casu accidere possunt iura non constituuntur* » (*Digesto*, lib. 1, tit. 3, leg. 4. Vide leg. 3-6).

Frequentior utique est dolus: sed cum hic minorem influxum quam metus in iure habeat, ut supra notatum fuit, tandem de utroque insinuare liceat ne amplius retineantur in Codice tamquam admissionem in novitiatum irritantes.

Ob easdem rationes idem dicendum videretur circa admissionem in professionem, sive simplicem sive sollemnem (can. 572 § 1 n. 4). Imo potiori ratione, nam dolus admissionem in novitiatum irritat sive cadat in candidatum, sive in admittentem; dum dolus admissionem in professionem invalidans ille est tantum qui in candidatum cadat; quod ex collatione can. 542, 1° et 572 § 1, 4° apparet.

Can. 542 n. 2. *Orientales in religionibus ritus latini.* (Adde): Possunt tamen, sine venia S. Sedis, ad novitiatum ritus latini admitti orientales, qui proprio retento ritu praeparentur ad constituendas domos et provincias ritus orientalis (Comm. Interp. 16 nov. 1925: *A.A.S.* 17, 583).

Can. 542 n. 2. *Admissio seminaristarum in religionem, et religiosorum in seminarium* (SS. CC. Seminar. et Religiosor. 25 iulii 1941: *A.A.S.* 33, 371). Viderit Concilium utrum opporteat hoc decretum inserere Codici.

Can. 555 § 2. *Secundus novitiatus annus.* (Adde): Requiritur indultum apostolicum ut annus canonicus novitiatus, de quo in can. 555 § 1 n. 2, transferri possit in secundum. Loci Ordinarius a secundo dispensare potest in religionibus iuris dioecesani, si hic ad professionis validitatem non requiratur (Comm. Interp. 12 febr. 1935: *A.A.S.* 27, 92).

Can. 556. *De novitiatus interruptione.* Novitiatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus sit et perficiendus, in triplici casu:

1° Si novitius a superiore dimissus e domo exierit.

2° Si ipse domum sine licentia superioris non reversurus deseruerit.

3° Si extra domum permanserit ultra triginta dies, continuos vel

non continuos, quacumque ex causa, etiam de superioris licentia, et cum animo revertendi.

Interrupto novitiatu, quaenam est conditio iuridica novitii? In primo et secundo casu sine dubio desinit esse novitius nec amplius ad religionem ullo modo pertinet; nam deest voluntas aut superioris aut novitii. In tertio disputatur.

Plerique forte opinantur hunc novitium desinere ad religionem pertinere. Sic LARRAONA apud *Commentarium pro religiosis,* 1942, p. 84. Nam:

a) Est quasi dimissio *a iure*.

b) Can. 556 aequiparat tres interruptionis casus.

c) Secus ad quid requiritur nova novitiatus inchoatio?

At alii sentiunt per hanc tertiam interruptionem non cessare esse novitium, adhuc manere religionis membrum, Ita CREUSEN, *Religieux et Religieuses,* n. 161. F. REGATILLO, *Instit. Iur. Can.,* I, n. 703, ed. 5. Quia:

a) Magnum discrimen apparet inter duas priores interruptiones et tertiam; in illis deest voluntas continuandi novitiatum, vel ex parte religionis vel ex parte novitii: habetur vel *dimissio* a superiore legitime facta, aut *egressus* itidem legitimus ex parte novitii; in tertia non. Immo in hac religio solet suam providentiam erga novitium continuare; nam et religio vult eum retinere et ipse vult in religione prosequi.

b) In antiquo iure novitiatus non interrumpebatur etiam per absentiam diuturnam, si novitius alio mitteretur a superiore; nam, ut ait SUAREZ, adhuc est sub obedientia (*De Religione,* 1, 5, c. 1 n. 15). NAVARRUS, *Consilia* 32, de regularibus. Nunc utique tempus ultra 30 dies absentiae non computatur, nec tempus praecedens novitiatus, qui debet denuo inchoari. At quare cesset interea omnino vinculum cum religione? Unum non necessario fert secum alterum. Hoc unum intendit Codex, ut novitius degat in novitiatu per annum *continuum* (can. 555 § 1 n. 2).

Doctrina hanc suadet analogia: Sic, si novitius expleto anno sed nondum emissa professione absit a domo novitiatus, etiam per longum tempus, v. gr. ad militiam, adhuc ad religionem pertinet. Immo professus votorum temporalium, ex decreto S. C. Religiosorum, 15 iulii 1919: *A.A.S.* 11, 321, per incorporationem ad exercitium ipso facto manebat sine votis religiosis, et tandem perseverabat membrum religionis.

Quaestio haec magni momenti practici est. Nam si novitius post triginta dies absentiae adhuc conservat vinculum cum religione, manet novitius; ideoque si extra domum novitiatus versetur in mortis periculo,

potest ei permitti professio, et si moriatur, ius habet ad suffragia religionis suae; et dum vivit, indulgentias aliasque gratias lucratur.

Quare desideraretur in Codice reformato resolutio benigna et humana. Nimis enim dolorosum est et novitio et religioni quod ille, forte optimus, qui vehementer desiderat ad religionem pertinere et quem religio retinere exoptat, censeatur *dimissus a iure,* propter coactam absentiam, v. gr. infirmitatis causa. *Afflicto afflictio non est addenda.*

Posset ergo canoni 556 § 1 addi haec clausula. *In hoc tamen, postremo casu novitius pergit ad religionem pertinere*: nisi vel a superiore dimittatur; vel ipse voluntatem suam legitime significaverit superiori non amplius pertinendi ad religionem.

Can. 572. *Vota novitiorum in mortis articulo.* Bonum censeretur, si in Codicem inducatur decretum S. C. Religiosorum, 30 dec. 1922: *A.A.S.* 15, 156.

Can. 572 § 1, n. 6. *Superior competens ad vota recipienda.* (Adde): Si in constitutionibus nulla mentio fiat Antistitae, sed tantum Episcopi aut delegati, hic habendus est legitimus superior, tamquam habens legitimum mandatum (*Comm. Interp.* 1 martii 1921: *A.A.S.* 13, 178).

Can. 574. *De votis temporalibus religiosorum tempore servitii militaris.* Opportunum videtur quod Codici insererentur unus vel plures canones desumpti ex decreto *Militare servitium,* S. C. de Religiosis 30 iulii 1957: *A.A.S.* 47, 871 ss. Cauto ut nullae adhibeantur clausulae ex quibus professiones evadere possint nullae vel dubiae, prout non raro eveniebat sub disciplina decreti 15 iulii 1919: *A.A.S.* 11, 321.

Can. 580 § 3. *Mutatio cessae administrationis et dispositionis bonorum.* (Adde): Requiritur venia S. Sedis ut haec mutatio, saltem de notabili bonorum parte fiat in favorem religionis (*Comm. Interp.* 15 maii 1936: *A.A.S.* 28, 210).

Can. 581. *De bonorum renuntiatione ante professionem sollemnem.* Ante solemnem professionem professus a votis simplicibus debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit renuntiare (can. 581). Quid autem de bonis quae iure sperat, nempe de hereditate futura sixe ex testamento sive ab intestato, ad quam ius habet, sed quam nondum percepit, quia causans adhuc in vivis est?

Quaestio est valde vexata, aliunde gravis et praeterea fere quotidiana. Iuribus civilibus contractus hereditatem futuram respicientes solent haberi nulli; idemque proinde dicendum videretur iure canonico; siquidem quae ius civile in territorio statuit de contractibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica sunt servanda (can. 1529).

Seclusa lege civili:

a) Ex doctrina multorum professus ante sollemnem professionem renuntiare potest in favorem tertii legitimae paternae ac maternae (PASSERINI, *De Statibus,* q. 189, art. 1, disp. 8, n. 209). Nam ad eam *ius certum* habet, ac proinde dici potest bonum quod *actu* habet. Pronum est quod idem dicatur de parte quae legitimam excedat, quasi per accessionem.

Alii hoc negant, quia omnia iura quae professus habebat cessare debent per professionem sollemnem, et non potest alteri cedere plus iuris quam quod habetur (REG. *Iur.* 79 in Sexto). Sic GENNARI, *Questioni Canoniche* 492 (1908).

b) Idem probabiliter dici potest de hereditate ab intestato, quia est *ius hypothetice certum,* quod actu habet; nempe pro casu quod horum bonorum dominus de eis non disponat per testamentum.

Ante Codicem de hereditate futura dicebatur: In iis religionibus in quibus religio hereditare potest loco religiosi; hic renuntiare potest; non sic in aliis religionibus, in quibus hereditas transibat in eos ad quos pertineret ius, quasi religiosus fuisset mortuus.

Doctrina haec in praxi observari potest, iuxta graves auctores (VERMEERSCH, *Epitome iuris Canonici,* I, 685; F. REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici,* I, 724, ed. 5, a. 1956). Nam *a*) minus odiosa fit religio, si religiosus possit hereditatem futuram relinquere cognatis. *b*) Can. 581 § 1 *praecipit* ut, qui sollemniter professurus est, renuntiet omnibus suis bonis quae actu habet, *non prohibet* quominus de *futuris* disponat.

Potestne eadem doctrina sustineri ubi leges civiles habent nullum quodvis pactum de futura hereditate?

Negat FERRERES, *Casus Conscientiae* II, 153 (1926). Nam *a*) quidquid spectat legitimas et successiones ab intestato, pertinet ad ius civile exclusive. *b*) Can. 1529 circa contractus de re ecclesiastica leges civiles canonizat.

Tamen putamus talem renuntiationem seu dispositionem posse canonice fieri, etiam ubi iure civili non admittitur Nam: *a*) Illae leges iam ante Codicem Canonicum vigebant, et tamen S. C. Episcoporum et Regularium, 16 sept. 1885 admittebat renuntiationem bonorum ad quae religiosus ius certum habere potest, nempe *futurae legitimae paternae.* *b*) Canonistae Codice posteriores admittunt, saltem ut probabilem, valorem et liceitatem renuntiationis legitimae paternae et ab intestato. LARRAONA, apud *Commentarium pro Religiosis,* 1920, p. 182, insinuat difficultates ex iure civili provenientes; ideoque inclinat ad iudicandum mentem Codicis esse talem renuntiationem non admittere. Attamen ipse addit id non posse probari, et difficultatem propositam solvere studet.

Obiicitur:

1° Quae ad legitimam et successiones ab intestato spectant, sunt exclusivae competentiae civilis.

Resp. Non omnia. Sic leges civiles reiiciunt ut nullas cessiones et renuntiationes a minoribus factas, Codex Canonicus e contra praecipit ut novitius cedat administrationem suorum bonorum cui maluerit, ac de eius usu et usufructu libere disponat (can. 569).

2° Can. 1529 canonizat leges civiles de contractibus in materia ecclesiastica.

Resp. Sed *nisi aliud iure caveatur*. Quod autem aliud caveatur in re nostra satis videtur suaderi ex allatis argumentis.

De facto in quibusdam ordinibus admittitur renuntiatio seu dispositio futurae hereditatis, in Societate Iesu non; neque ipsa Societas succedit in locum religiosi sollemniter professi.

Cum quaestio sit gravis et quotidiana, velletne S. Synodus rem definire hoc fere modo? Professus a votis simplicibus ... ante professionem sollemnem... debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit... renuntiare. *Itemque, iuxta Constitutiones aut consuetudines singulorum Ordinum, si sit heres necessarius vel ab intestato, de futura hereditate, quae post sollemnem professionem ei obvenerit, disponere potest in favorem tertii.*

Can. 598 § 2. *Ingressus in clausuram regularium virorum.* (Adde): et uxores Praesidum singularium Statuum foederatorum cum comitatu (*Comm. Interp.* 26 martii 1952: *A.A.S.* 44, 496).

Can. 600-603. *De monialium clausura.* Prae oculis habeatur Instructio S. C. Religiosorum 25 martii 1956: *A.A.S.* 48, 512.

De sororibus externis, quae dicuntur, fortasse oporteat aliquos canones novos redigere.

Can. 608. *De utriusque cleri collaboratione.* Codex Iuris Canonici vitam paroecialem foveri valde desiderat (can. 467 § 2; 608, 609 § 3, 716, 1334, 1345). Ideo vult sinceram collaborationem utriusque cleri in pastorali ministerio; ut religiosi libenter ministerium sacrum praestent, cum ab Ordinariis et parochis requiratur; et Ordinarii ac parochi religiosorum opera libenter utantur (can. 608). At proh dolor! utriusque cleri dissidia frequentiora sunt.

Ut in hoc sanctissimo opere desiderata concordia et collaboratio obtineatur, opportunum foret quod a Concilio iterum inculcetur.

Quoad missarum celebrationem. In magnis praesertim urbibus frequenter accidit, ut plures ecclesiae religiosae valde vicinae sint inter se et quoad alias ecclesias; porro in eodem templo missae continuo celebrantur, quandoque etiam plures simul: dum in suburbiis aliisve paroe-

ciarum locis missae deficiunt; et forsan, ad subveniendum fidelium necessitatibus, idem sacerdos binas missas celebrare debet.

Ad tantum incommodum vitandum, bonum esset quod in civitatibus et oppidis maioribus conventio fieret, probante loci Ordinario, qua missae sic distribuantur ut fidelium omnium commodo sufficienter provideatur; ita ut ecclesiae quae sacerdotibus abundant, aliquos egentibus cedant; omissis, si opus fuerit, in propriis ecclesiis, quibusdam missis non adeo necessariis; et inter ecclesias viciniores missarum horae praefiniantur, si oporteat: sic ut non simul in eisdem celebrentur.

Praeterea indultum oratorii privati non nimia facilitate concedatur; et quidem hac lege, ut si in eodem loco aliquis sacerdos in festis de praecepto binas missas celebrare debeat, Ordinarius loci celebrationem in privato oratorio impediat, nisi sacerdos celebrans aliunde vocetur. Revera odiosum populo fit, quod dum suburbia necessariis missis forte carent, hae in oratoriis privatis celebrentur fortasse ad meram commoditatem familiae, quae sic nunquam fere ecclesias frequentat; nec tale bonum exemplum populo praebet; nec Dei verbum audit; nec Ecclesiae necessitates discit, ut eidem subsidium ferat (S. C. de Sacram. Instructio 1 oct. 1949: *A.A.S.* 41, 493).

Quoad praedicationem. Hodie, Deo gratias, sacerdotes saeculares praedicationi verbi Dei, missionibus ad populum et exercitiis spiritualibus tradendis incumbunt, quae antea religiosis fere reservabantur. Sed inde contentio non raro exoritur; quandoque locorum Ordinarii religiosos impediunt ne in propriis ecclesiis exercitia spiritualia consueta tradant tempore quadragesimali; quod, excepta una alterave hebdomada, ecclesiis paroecialibus reservatur.

Porro ut odiosae huiusmodi contentiones vitentur, et praedicationis ministerium fructuosius exerceatur, expediret quod praesertim in urbibus et oppidis magnis, inita concordia inter parochos et superiores religiosos, probante loci Ordinario, quotannis ordo sacrae praedicationis praestituatur, in quo praefiniantur locus ac dies in quibus haec habenda sit, praesertim quadragesimali tempore, et a quibus sacerdotibus facienda.

Simile quid esset forsan opportunum, quoad dioecesim totam et quoad alia ministeria, dummodo aequa libertas ne coarctetur.

Ergo S. Synodus viderit num has vel similes normas tradere censeat.

Can. 610 § 2. *Missa conventualis.* (Adde): etiam votorum simplicium, quibus ex constitutionibus a S. Sede approbatis est obligatio chori (*Comm. Interp.* 20 maii 1923: *A.A.S.* 16, 113).

Can. 611. *Litterae religiosorum.* (Adde): Religiosi exempti in casibus in quibus Ordinario loci subiiciuntur, libere possunt litteras nulli

obnoxias inspectioni ad eumdem Ordinarium mittere et ab eodem recipere (*Comm. Interp.* 27 nov. 1947: *A.A.S.* 40, 301).

Can. 613 § 1. *Communicatio privilegiorum inter religiosos* (Adde): non tamen revocata sunt privilegia a religiosis ante Codicem per communicationem acquisita et pacifice possessa (*Comm. Interp.* 30 dec. 1937: *A.A.S.* 30, 73).

Can. 631 etc. *Ratio administrationis fundorum et legatorum paroeciae religiosae.* Ordinarius loci vi can. 631 § 3; 535 § 3, n. 2; 533 § 1, n. 3, 4, ius habet exigendi rationes de administratione fundorum legatorumque paroeciae religiosae, firmis praescriptis can. 630 § 4 et 1550 (*Comm. Interp.* 25 iulii 1926: *A.A.S.* 18, 393).

Responsum obscurum et quod disputationibus patet; quare opporteret quod Commissio pro Codice reformando ad rem redeat.

Can. 634. *Suffragium pro professione perpetua transeuntis in aliam religionem.* Debet esse deliberativum C. I. 14 iulii 1922: *A.A.S.* 14, 528).

Can. 638. *Concessio exclaustrationis et saecularizationis.* (Adde): commorationis religiosi (*Comm. Interp.* 24 iulii 1939: *A.A.S.* 31, 321).

Can. 639-40. *Effectus.* Qui exclaustrationem obtinuerint a loci Ordinario, tenentur conditionibus appositis in c. 639; sed Ordinarius potest exclaustrato concedere, ob rationes peculiares, usum habitus religiosi.

Can. 640 § 1 comprehendit omnes qui indultum saecularizationis obtinuerunt; sive a S. Sede, sive a loci Ordinario (*Comm. Interp.* 12 nov. 1922: *A.A.S.* 14, 662).

Can. 641. *De indulto saecularizationis.* Lugenda erat conditio multorum sacerdotum, qui, obtento saecularizationis indulto ad normam can. 641, ab Episcopo benevolo in dioecesi recipiebantur ad experimentum; quo peracto non cum satisfactione, dimittebantur, nec facile alium Episcopum benevolum inveniebant. Quare neque ad religionem redire poterant, cum iam religiosi esse desierint; nec in saeculo sacros ordines poterant exercere.

Huic miserae conditioni remedium adhibet S. C. de Religiosis iam ab aliquibus annis per indultum saecularizationis *et interim.* Ita nempe ut indultum petens prius Episcopum benevolum receptorem inveniat, in eius dioecesi degat tamquam *mere exclaustratus,* tempore experimenti. Quod si definitive recipiatur, eo ipso incardinatus manet in illa dioecesi, et saecularizatus; si autem ab Episcopo dimittatur, ad religionem redire debeat, quae tenetur illum recipere.

Haec ergo saecularizationis forma substitui potest illi in can. 641 descriptae.

Si autem agatur de subdiaconis et diaconis, qui post experimentum

ab Episcopo benevolo dimittantur, melius forte subveniretur per eorum reductionem ad statum laicalem sine ullo onere ordinibus sacris adnexo, etiam sine onere caelibatus; ne religio talibus nimis gravetur.

Can. 646 § 2. *Dimissio religiosorum a iure.* (Adde): haec declaratio facti non requiritur ad hoc ut religiosus ipso facto habendus sit tamquam legitime dimissus (*Comm. Interp.* 30 iulii 1934: *A.A.S.* 26, 494).

Can. 673-81. *Quidam canones qui applicantur societatibus vitae communis sine votis religiosis.* Can. 505, 1406, n. 9, 2386-87, 2389, 2410-11, 2413 (*Comm. Interp.* 2-3 iunii 1918; 25 iulii 1926: *A.A.S.* 10, 347; 18, 393).

Can. 681. *Dimissio in his societatibus.* (Adde): serventur canones de demissione religiosorum temporarie aut perpetuo professorum; prout vinculum quo adstringuntur sodales illarum societatum sit temporarium aut perpetuum (*Comm. Interp.* 1 martii 1921: *A.A.S.* 13, 177).

De Institutis saecularibus. Normae de his a S. Sede datae, in Codicem cooptabuntur.

Can. 680-725. *De fidelium associationibus.* Profundiori reformatione indigere videntur canones de piis associationibus:

1° Notabilis invenitur inconstantia in usu ac significatione verborum *erectionis et approbationis. Erectio* quandoque generice sumitur, pro creatione seu recognitione cuiusvis associationis tamquam *ecclesiasticae;* et sic significat sive creationem in personam moralem, sive meram approbationem seu beneplacitum superioris ut exsistat sine morali personalitate (can. 684, 707 § 1, 708, 712 § 3, etc.). Alias *erectio* et *approbatio* distinguuntur; ita ut *erectio* significet constitutionem in personam moralem (can. 686 § 1, 2; 698, 708 etc.) secus *approbatio* (can. 687, 691, 697, 708). Cum autem erectio iuridicos effectus habeat, quos non habet approbatio, congruum videretur, ut verbum *erectio, erigere* reservetur constitutioni in personam moralem; pro associationibus in personam moralem non constitutis adhibeantur verba *approbatio, approbare.*

2° Quaedam vacillantia est in usu verborum, *confraternitatis, piae unionis, sodalitii, congregationis.* Can. 700 distinguit tres associationum species: *tertios ordines, confraternitates, pias uniones.* Et tamen in can. 707 ponitur tamquam genus *pia unio,* sub qua est species *sodalitium,* et sub hoc *confraternitas.*

3° Maior est difficultas definiendi quid sit *constitutio ad modum corporis organici* (can. 686 § 3, 693 § 3, 707), cui tanti effectus iuridici tribuuntur.

4° Indicatur in can. 708 pias uniones non esse personas morales; ideoque incapaces erunt acquirendi et possidendi bona temporalia, et

tamen in can. 717 § 2 memoratur *patrimonium* confraternitatis et *piae unionis*. Hinc disputatio: quodnam est subiectum bonorum piae unionis? cuius erunt haec bona?

5° De cessatione associationis, quae non sit persona moralis, quaeritur utrum cesset per mutuum sociorum consensum sine superioris interventu; utrum si de facto omnes socii desierint, ita ut nullus maneat.

Ex dictis apparet quot dubiis patet hodierna disciplina de fidelium associationibus. Ut ergo magis clara, praecisa et uniformis reddatur, liceat sequentes normas proponere:

1) Distinguantur tres tantum associationum species, idque *ratione finis*: *tertii ordines saeculares, confraternitates, piae uniones,* ad has ultimas referantur quae vocantur *sodalitia, sodalitates, congregationes* etc. (can. 700). *Tertii ordines* finem sibi proponunt perfectionem vitae christianae inter socios in saeculo promovendam; *confraternitates,* incrementum publici cultus; *piae uniones,* aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda (can. 685). Sic supprimatur illa alia divisio in can. 707 contenta, in *pias uniones, sodalitia et confraternitates, ex fine simul et ex constitutione iuridica;* quae divisio nec logica est neque cohaeret primae divisioni in can. 700 factae.

2) Omnes associationes *ecclesiasticae* personalitate donentur *a iure.* Nam hodie quoad bona vix discrimen exsistit inter pias uniones, congregationes, sodalitates et confraternitates; omnes suum patrimonium habent, et practice eodem fere modo acquiritur, possidetur, administratur et alienatur. Praeterea, si omnes personalitate ecclesiastica donentur, facilius etiam civilem obtinere possunt.

3) Statuta hac uniformitate iuridica, omittenda est divisio seu distinctio quae saepe in Codice fit inter associationes *erectas* et *mere approbatas;* quae in praxi dubiis ansam praebent; nam Episcopi, cum aliquam associationem instituunt, plerumque eodem vocabulo utuntur: *erigimus,* sive de confraternitate sive de pia unione, congregatione seu sodalitio agatur; quo dubium oriri potest num in personam moralem constituatur necne. Sic verba *erectio, erigere, erecta,* quae in canonibus ambiguo sensu adhibentur, pro associationibus quae sunt personae morales et pro illis quae tales non sunt, in posterum univocum sensum habebunt, cum omnes associationes sint personae morales.

4) Vacabit etiam clausula *ad modum corporis organici,* cuius significatio nullibi definitur, et canonistarum disputationi subest. Omnes nempe associationes ad modum corporis organici erunt constitutae, eo quod omnes personae morales collegiales sint.

5) Cessabunt quaestiones de natura et subiecto *patrimonii* piarum unionum; erit namque patrimonium *ecclesiasticum,* seu bona ecclesia-

stica, in dominium pertinentia ad ipsam associationem, quae persona moralis est; patrimonium regi debet normis de bonis Ecclesiae temporalibus. Hoc utique libertatem disponendi de associationis bonis quadantenus coarctabit, sed non multum; et aliunde securior erit illorum administratio et usus.

6) Stabilior erit vita piarum unionum, quae non cessabunt per omnimodam sociorum cessationem, nisi haec per centum annos duraverit.

7) Iuxta reformationem hanc corrigendi erunt canones de fidelium associationibus, et si qui alii per totum Codicem reformatione indigeant.

8) Ne vero proposita reformatio, simplicitatem, claritatem et uniformitatem quaerens, nimis rigida evadat, praescripta canonum in quibus est clausula *ad modum corporis organici,* intelligantur tantum de tertiis ordinibus et de confraternitatibus, ut nunc; et sic pro illa clausula haec ponatur: « quae non sit tertius ordo aut confraternitas » (can. 686 § 3). Absentes ne adscribantur « tertio ordini aut confraternitati » (can. 693 § 3). Alia forte canonum statuta, quae solos tertios ordines et confraternitates afficiant, ne de piis unionibus urgeantur.

Actio catholica. Huic aliquod caput vel quid simile in Codice assignari oportet, ubi determinetur: nomen, natura, constitutio, officium, facultates, personalitas, relatio ad hierarchiam et ad alias pias associationes, praecedentia, et alia circa quae non paucae disputationes sunt et errores, et abusus.

Nomen « *Actio catholica* » huic instituto attributum, non adeo proprium videtur, cum aliae sint fidelium associationes quae vere sunt actio catholica, ut de Congregationibus marianis declaravit Pius XII: Congregationes marianas pleno iure vocari *Actionem Catholicam sub Beatissimae Virginis tutela* (Const. *Bis saeculari,* 27 sept. 1948: *A.A.S.* 40, 393). Quaeratur ergo aliud nomen magis proprium.

Notio eiusdem tradatur quae erroribus et exaggerationibus, occasionem praecidat. Haec forte dari potest: Tamquam *opus* est generalis et organizata collaboratio laicorum in apostolatu hierarchico Ecclesiae. Tamquam *ens* seu *institutum* est coetus laicorum organizatus, qui sub moderatione hierarchiae ecclesiastica collaborant in universo apostolatu hierarchico Ecclesiae (Pius XII, *Allocutio ad Delegatos Actionis Catholicae Italicae Romae coadunatos,* 3 aprilis 1951: *A.A.S.* 43, 375-79).

Verbum *collaboratio* potius quam *participatio* adhiberi oportet. Pius XI vocabulo *participatione* usus est (Epist. ad Card. Bertram, 13 nov. 1928: *A.A.S.* 20, 384); at cum non pauci eo abusi fuerint, ad tribuendam Actioni Catholicae potestatem quamdam ecclesiasticam quasi ordinis aut iurisdictionis, cuius laici sunt incapaces (can. 118),

Pius XII verbum *collaborationem* praetulit (BUSUTIL, *Commentarium in Constitutionem « Bis saeculari »*, n. 237-46).

Simul oporteret forte aliquid innuere de natura potestatis aut *missionis,* quae laicis conceditur in apostolatu.

Constitutio ne una eademque cunctis nationibus imponatur. Pius XII, Const. *Bis saeculari* exaggeratum putat velle Actionem Catholicam unica forma ubique constituere. De facto duo modi praecipui constitutionis exsistunt: a) *Systema federationis,* quo Actio Catholica est coetus diversarum associationum iam exsistentium inter se colligatarum; b) *systema novae associationis distinctae* quae nomine *Actionis Catholicae* (vel alius) distinguitur, et suam definitionem adimplet.

Quovis modo constituatur, censeremus eam comprehendi sub titulo XVIII, lib. II Codicis, *De fidelium associationibus in genere;* et quidem sub titulo XIX, cap. 11, *De piis unionibus.* Nam est coetus fidelium ab Ecclesia institutus ad opus apostolatus exercendum; quod tandem ad opera pietatis et caritatis reducitur. Quae notio est piae unionis in can. 707 data.

Personalitas iuridica. Si inter pias uniones recensenda sit, eo ipso quod sit a competenti auctoritate ecclesiastica legitime constituta, a iure personam iuridicam sortietur; iuxta id quod supra propositum est de persona piarum unionum. Ceterum multi Episcopi personalitatem Actioni Catholicae concesserunt.

Necessitas et convenientia. Caveatur omnino ne verbum fiat de Actionis Catholicae necessitate, quasi sit quid essentialiter novum, mutationem in structura ipsa Ecclesiae inducens; novus laicorum apostolatus iuxtapositus apostolatui sacerdotum et huic non subordinatus; qui errores sunt a Pio XII denuntiati in memorata allocutione ad Delegatos A. C. Italicae. Caveatur ne A. C. *necessaria* hodie dicatur.

At certe tamquam convenientisima in Codice commendetur, sicut eam ultimi Pontifices Summi toties commendarunt.

Obligatorietas. Plures auctores eam fidelibus obligatoriam proclamarunt; quae obligatio, scribit quidam, intelligenda est sicut obligatio praeceptorum Ecclesiae, quae in Catechismo continentur.[4] Ad has exaggerationes devenerunt ex male intellectis textibus quibusdam Pii XI.[5] *In Commentario Acta Apostolicae Sedis* nullibi apparet promulgata lex talem obligationem imponens. Quae exorbitans esset; nam tamquam lex

---

[4] In Ephemer. *Criterio,* Buenos Aires, 20 febr. 1941, pp. 180-84.

[5] Qui videri possunt apud SABATER, *Derecho Constitucional de la A. C.,* p. 172 (1950).

generalis obligaret omnes, bonos et malos, ut Actioni Catholicae nomen darent. Tandem in art. 112 Statutorum A. C. Italicae a Pio XII approbatorum haec quasi notio Actionis Catholicae traditur: « Militia *voluntaria* pro immediato servitio ecclesiasticae hierarchiae ».

Ergo in Codice reformato enixe commendetur fidelibus A. C., vitato quovis verbo quod obligationem sapere possit.

Relationes iuridicae ad alias associationes. a) Inter A. C. ceterasque associationes sit *cohaesio* (Pius XII, *Bis saeculari*). Non *adhaesio,* quasi una sit alteri accessoria. Omnes mutuam collaborationem procurent. Multo minus sit *absorptio* omnium ab A. C. facta, *destructio* vel *subordinatio. b*) Desideranda est aggregatio aliarum associationum *Actioni Catholicae;* ita tamen ut sufficiat *collectiva* adscriptio, neque *individualis* sociorum requiratur (*Bis saeculari*).

Praecedentia. Si quidem A. C. inter associationes fidelium, et quidem inter pias uniones, recensenda sit, eius praecedentia regetur normis can. 701 statutis. Actio Catholica, ait Pius XII, ne natura quidem sua missionem habet ut sit ad caput aliarum associationum, et ut supra eas exerceat officium quasi auctoritativi patronatus » (Ad Delegatos A. C. Italicae, 3 aprilis 1951: *A.A.S.* 43, 375).

Can. 692. *Acquisitio gratiarum associationibus concessarum.* (Adde): ac praeterea adimpleat pia opera ad hoc legitime praescripta (*Comm. Interp.* 4 ian. 1946: *A.A.S.* 38, 162).

Can. 711 § 2. *De confraternitate SS. Sacramenti.* (Adde): Huius loco possunt Ordinarii, pro adiunctis, instituere piam unionem vel sodalitatem SS. Sacramenti (Comm. Interp. 5 martii 1927: *A.A.S.* 19, 161).

Oporteret ut institutio confraternitatum SS. Sacramenti ac Doctrinae Christianae ne exprimantur in canone verbis *praeceptivis,* sed enixe *commendentur;* ut loco confraternitatis SS. Sacramenti possit institui alia associatio, in qua SS. Sacramentum peculiariter colatur, etsi non sit SS. Sacramenti, v. gr. *Pia Unio Apostolatus Orationis.* Nulla tamen sit obligatoria. Nam experientia teste, illae duae confraternitates in paucissimis paroeciis exsistunt.

Illa associatio quae confraternitati SS. Sacramenti substituatur, non est ipso iure aggregata archiconfraternitati SS. Sacramenti in Urbe erectae (*Ibid.*).

Can. 714. *Mutatio habitus vel insignis in confraternitate.* (Adde): Per hanc immutationem non amittuntur iura et privilegia; salvis legibus liturgicis, v. gr. de benedictione habitus vel insignis (Comm. Interp. 24 iulii 1939: *A.A.S.* 31, 321).

LIBER TERTIUS

Can. 731 § 1. *De subiecto sacramentorum.* Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint.

Haec prohibitio, quae sic enuntiata haereticos, et schismaticos offendere potest, attemperari forsan expediret, ita ut dicatur: *In mortis periculo,* hereticus et schismaticus *sensibus destitutus* absolvi potest et ungi *sub conditione.* Sic de schismaticis S. Officium, 17 maii 1916 ad 2 « praesertim si ex adiunctis coniicere licet eos implicite errores suos reiicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus Ecclesiam, supponere eos in ultimo momento ad unitatem Ecclesiae rediisse ». Et quia S. Officium ait *praesertim,* alii casus non excluduntur; scilicet absolvi et ungi potest, si non desit ratio probabilis quod in bona fide versetur, et libenter admitteret sacerdotis adiutorium, si sciret hoc esse necessarium.

Sensibus non destitutus, qui prudenter existimetur versari in bona fide: 1°) Si rationabiliter speratur eum errores abiuraturum, si moneatur, fiat haec monitio, et post abiurationem absolvatur et ungatur. Si prudenter timetur ne monitio inutilis sit, ne fiat; et tunc, praemissis praemittendis, iuxta graves auctores absolvi et ungi potest.[1] Quae doctrina confirmatur responso eiusdem S. Officii, 16 nov. 1941, ad Visitatorem Apostolicum pro Ucranianis in Germania. 2°) Etiam in periculo mortis ut sacramenta eis (schismaticis) ministrentur, requiritur quod meliori quo fieri possit modo, pro adiunctis *saltem implicite* errores reiciant et fidei professionem emittant. 3°) Bona fide errantibus, iam sensibus destitutis, conferri possunt sub conditione, praesertim si coniicere liceat eos *implicite* saltem reiecisse. 4°) Semper curandum est ut scandalum vel suspicio interconfessionalismi vitetur (*Il Monitore Ecclesiastico,* t. 54, p. 114, 1952).

Ex his posset redactio can. 731 § 1 mitigari.

Can. 777 § 2. *Inscriptio illegitimorum.* (Adde). Id vero extenditur ad illegitimos quosvis. Nomina autem parentum ita inserantur, ut omnis infamiae vitetur occasio.

Can. 782 § 2. *Minister extraordinarius confirmationis.* Oportet tolli quasdam anomalias quae in decreto S. C. Sacramentorum 14 sep-

---

[1] Vermeersch, *Theologiae Moralis principia...* III, 195 (1943); Noldin, *Summa Theologiae Moralis,* III, 297; ed. 31, 1957.

tembris 1946 notantur. Quare possit confirmare in mortis periculo vicarius oeconomus paroeciae, et non possint ceteri vicarii plena potestate paroeciali praediti? Saepe parochus a residentia dispensatus, etiam per annos a paroecia abest, relicto legitimo vicario substituto. Iam vero, si hic substitutus non habeat potestatem confirmandi, moribundi omnes illius paroeciae etiam per annos plures privabuntur solatio et adiumento sacrae confirmationis; in dioecesibus enim magnis Episcopus facile vocari nequit. Anomalia non videtur congruere menti ac voluntati Summi Pontificis.

Ergo desideraretur statuendum vel declarandum quod in mortis periculo propter infirmitatem, *parochi et omnes vicarii plena potestate paroeciali praediti* (can. 471-75) possint confirmationem administrare. Ceterum ex solida plurium canonistarum sententia[2] illi vicarii hanc potestatem habent ex ipso decreto n. 1 c), quae sententia forte in praxi deducitur. Oportet autem ut id expresse statuatur vel declaretur, ad maiorem securitatem.

Imo, expediret ut eadem potestas vicariis cooperatoribus agnosceretur: vel saltem hi possint a loci Ordinario vel parocho delegari ad confirmationem administrandam.

Eadem agnoscatur Vicario Generali ac Capitulari; et vicariis et cappellanis castrensibus, et illis cappellanis piarum domorum, ut hospitalium, carcerum et similium, qui plena potestate paroeciali in iisdem gaudent; et superioribus domorum religionis clericalis, quoad omnes qui diu noctuque in domo religiosa commorantur. Neque exorbitans videretur quod, deficientibus his omnibus, idem possit quivis sacerdos; ampliori enim potestate gaudent omnes presbyteri orientales, et non pauci latini in regionibus quibusdam.

Nec absonum censeretur quod hi omnes confirmare possent in mortis periculo *quavis de causa orto,* ut praelio, naufragio, poena capitis.

Hae enim ampliationes benignitati Ecclesiae congruunt, nec speciale periculum abusus creare videntur.

Can. 806. *De facultate plures missas celebrandi diebus feriatis.* Cum hodie frequenter occurrat maxima convenientia quod idem sacerdos binas missas celebrare possit, etiam diebus feriatis; et S. Sedes maiori in dies facilitate hanc facultatem concedat; optandum est ut locorum Ordinariis *a iure* potestas concedatur binationem iis quoque diebus permittendi, quoties prudenti eorum iudicio ad spirituale commodum notabilis partis populi hoc conferat. Idem proponitur in favorem quarumdam

[2] F. REGATILLO, *Ius Sacramentarium,* n. 86, ed. 2, 1949.

communitatum religiosarum, praesertim laicalium; et hospitalium, collegiorum, carcerum, ac similium institutorum. Ob eamdem rationem boni populi largitus est Pius XII locorum Ordinariis amplam facultatem permittendi missas vespertinas, non solum diebus de praecepto, sed aliis quoque diebus (Motu proprio, 19 martii 1957: *A.A.S.* 49, 177).

§ 2. « Hanc facultatem tamen impertiri potest loci Ordinarius, non solum diebus festis de praecepto, quoties prudenti ipsius iudicio propter penuriam sacerdotum notabilis fidelium pars missae sine notabili incommodo adstare non possit; sed aliis quoque diebus, cum ad spirituale bonum notabilis partis populi, peculiariter conferat; item in favorem quarumdam communitatem religiosarum, praesertim laicalium, et hospitalium, carcerum, collegiorum ac institutorum similium, quae secus missa carere in propria domo cogerentur, aut non haberent plures quae necessariae aut valde convenientes censerentur ».

§ 3. Non est autem in eius potestate plures quam duas missas eidem sacerdoti permittere, nisi forte diebus de praecepto.

Can. 808. *Ieiunium eucharisticum.* 1) Non raro accidit ut sacerdotes qui plures missas eodem die celebrare debent, difficultatem in servando ieiunio eucharistico unius horae, quoad liquida, experiantur. Quandoque enim valde mane surgere debent ad aliquid sumendum ante primam missam; et praeterea illa hora adeo matutina stomachus aegre aliquid tolerat: deinde inter unam et aliam missam vix obtinere possunt unam horam ad aliquid sumendum, per modum potus; et tandem usque ad tardam horam ieiunii manere coguntur forte cum valetudinis detrimento.

Ergo optandum ut in disciplina ieiunii eucharistici haec aut similis clausula inducatur: « Sacerdotes qui plures missas eodem die sunt celebraturi, possunt inter eas aliquid per modum potus sumere, exclusis alcoholicis, non servato ieiunio unius horae ».

Sic ante novam disciplinam, quando S. Officium dispensabat sacerdotes ut inter unam et aliam missam possent aliquid per modum potus sumere (quod sciamus) non exigebat ieiunium unius horae.

Huic incommodo hoc aliud remedium forte adhiberi poterit: Circa ieiunium eucharisticum ante missae celebrationem statuatur pro sacerdotibus celebrantibus eadem norma quae pro fidelibus ante communionem statuta est. Nempe spatium trium horarum aut unius horae, prout de solidis aut de liquidis agatur, supputetur, non usque ad missae initium, sed usque ad ipsius sacerdotis communionem.

Imo, ad maiorem celebrantis tranquillitatem utrumque remedium cumulari posset, ita ut in quovis casu supputatio unius vel trium horarum pro sacerdote celebrante fiat usque ad ipsius communionem, et fieri non debeat usque ad missae initium; ac praeterea si agatur de sacerdote qui

eodem die plures missas sit celebraturus, hic possit ante secundam vel posteriorem aliquid per modum potus sumere, quamvis usque ad communionem secundae vel posterioris integra hora non elabatur. In quo speciale periculum abusus non apparet.

2) In nocte pervigilii Natalis Domini familiae christianae sanctis gaudiis se dedunt, et ut cor et caro exsultent in Deo, coenam ad seram horam differre solent, ita ut ad communionem in missa mediae noctis recipiendam spatium trium horarum ad ieiunium eucharisticum hodie requisitum non sine magna difficultate servare possit; quo fit ut communiones in missa mediae noctis paucae recipiantur, quod animarum pastores deplorant.

Quare gratissimum ac salutare fidelibus esset quod eis liceret in nocte Natalis Domini communionem recipere, servato ieiunio unius horae, etsi de solidis agatur. Si quidem ante novam disciplinam ieiunium non obligabat nisi a media nocte.

Ob causam huius sanctae laetitiae concessit Ioannes XXIII gratiam anticipandi ieiunium et abstinentiam pervigilii Natalis Domini ad diem 23 decembris (S. C. Conc. 3 dec. 1959: *A.A.S.* 51, 918).

3) Idem optandum, quoties missa ex indulto celebratur media nocte aut post dimidium horae a media nocte; quod non raro accidit in missionibus ad populum, cum magna communicantium frequentia.

Can. 821. *Missa vespertina.* Post ultimam disciplinam frequentissima in dies facta est, et quidem cum magno animarum fructu. Quare nonne oporteret ut iure communi permitteretur omnibus sacerdotibus missae celebratio horis pomeridianis; ita tamen ut missa matutina per se praeferatur?

Ordinarius portus, in quo navis habitualiter consistit, potest missam vespertinam permittere in favorem fidelium navibus addictorum, perdurante itinere maritimo (S. Off. 31 maii 1953: *A.A.S.* 45, 426).

Can. 867 § 4. *Communio vespertina.* Potiori ratione oporteret forte permittere fidelibus communionem horis pomeridianis, etsi missa vespertina non celebretur. Frequentissime enim accidit ut multi, v. gr. operarii, scholastici etc. mane communionem recipere non possint, et desiderarent horis pomeridianis communicare, cum missa vespertina non celebretur.

Iam ipse can. 867 § 4 permittit ut *si rationabilis causa id suadeat,* communio distribui possit etiam horis vespertinis: « sacra communio iis tantum horis distribuatur quibus missae sacrificium offerri potest, *nisi aliud rationabilis causa suadeat* ». Cum haec rationabilis causa hodie frequentissime occurrat, ad vitandas anxietates, et fideles tranquille ac devote communionem vespere recipiant, nonne oporteret ut memorata

§ 4 ita redigeretur: « Sacra communio praeferenter horis matutinis recipiatur, at etiam horis pomeridianis recipi potest? ».

Can. 821 § 3. *Quoad missas in nocte Natalis Domini,* viderit S. Synodus num opporteat eas permittere ultra quam concedit can. 821 § 3; eas nempe permittere quibusvis sacerdotibus, devotionis causa id optantibus. Praesertim cum hodie adeo facile missae vespertinae sine horae limitatione permittantur; cum specialis devotio huius noctis ad hoc desiderandum invitet; nec iam adeo timendi sint abusus illi antiqui, qui ex tenebris oriri poterant: hodie enim nox sicut dies illuminatur.

Quod si S. Synodus hoc concedendum iudicet, cohaerenter eadem § 3 mutanda est.

Can. 847. *De privata delatione communionis ad infirmos.* « Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat » (can. 847).

« Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia Sanctissimi Sacramenti commissa est » (can. 849 § 1).

Quinam est iudex causae iustae et rationabilis ut Sacra communio privatim ad infirmos deferatur? Ante responsum S. C. Sacramentorum 5 ian. 1928; *A.A.S.* 20, 81, ex unanimi canonistarum sententia, minister ipse qui communionem defert. At Episcopi hispani quaestionem ad S. Congregationem deferentes ab ea responsum obtinuerunt: Non quilibet sacerdos ministrans, sed tantum loci Ordinarius; *et ad mentem.* Mens est: Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens pro privata delatione sacrae communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium communionis etiam quotidianae.

Secretarius Iorio in fine annotationes addit explicans quare tale responsum detur, quod iure contrarium videri potest.

Postea gravissimi canonistae romani VIDAL, *Ius Canonicum,* IV n. 105 nota 248 (a. 1934) CAPPELLO, *De Eucharistia,* n. 392 (a. 1938) mitiorem intelligentiam responsi proposuerunt. Imo ipse Secretarius Iorio post tres annos, in libello *La Communione agl'infermi,* n. 109 (1921), insinuat resolutionem S. Congregationis nimio rigore fuisse deductam in praxim; et n. 111 ait: Nunc mens nostra haec est: non valere Ordinariorum dispositiones, si contra declarationem S. Congregationis communionem etiam quotidianam infirmorum impediunt. Hinc aut defertur quotidie sollemniter (quod possibile non est), aut agno-

scendum est, ad tenorem can. 849, cuilibet sacerdoti ius eam privatim deferendi, de licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, cui custodia S. Eucharistiae commissa est. Sic Iorio.

Revera responsum S. Congregationis per plures annos occasionem dedit ut in quibusdam dioecesibus hispanis communio infirmorum difficilior fieret, cum magno quorumdam dolore. At postremo tempore Synodi iudicium de causa iusta et rationabili iam loci Ordinario non solent reservare, (Conc. Provinc. Granaten., a. 1944, decret. 279; Synod. Seguntina a. 1948, Const. 305 § 2; Synod. Valentina a. 1951, art. 157).

Cum his temporibus communio ad infirmos fere semper privatim deferatur, nihil iam obstare videtur quominus declaretur iudex causae iustae ac rationabilis ad privatam communionis delationem esse minister ipse qui eam delaturus sit.

Quare, ad praecidendam in posterum occasionem contentionum, can. 847 sic fere redigi opporteret: « Ad infirmos sacra communio praeferenter deferatur publice; sed privatim deferri potest iusta et rationabili de causa, prudenti iudicio ministri eam deferentis aestimanda ».

Can. 863. *De communione frequenti.* Communio frequens, imo quotidiana, valde commendatur in can. 863. Sed quia ipsa sua assiduitate periculum abusus creat, memorato canoni addere oporteret monita aliqua desumpta ex Instructione reservata S. C. Sacram., 8 dec. 1939.

Can. 874. *De iurisdictione ad audiendas confessiones.* Propter frequentissima itinera quae hodie etiam extra limites propriae dioecesis fiunt, forsan non censeretur incongruum quod *a iure* haec norma statuatur, quae iam in usu est ex Episcoporum conventione in nonnullis regionibus: Sacerdos qui ab aliquo loci Ordinario facultatem habeat confessiones audiendi in dioecesi illius Ordinarii, eo ipso censeatur approbatus pro qualibet dioecesi, nisi Ordinarius talis dioecesis pro aliquo determinato sacerdote aliud decreverit.

Can. 874 § 1. *De delegatione ad confessiones.* (Adde): Hanc iurisdictionem delegatam concedere nequit parochus nec canonicus poenitentiarius (Comm. Interp. 16, 20 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 477).

Can. 876. *De iurisdictione peculiari ad audiendas religiosarum confessiones.* Ex dictis ad can. 520-27, can. 876, qui hanc iurisdictionem requirit, supprimendus videtur.

Can. 882. *Absolutio in mortis periculo.* (Adde): Haec absolutio ad forum internum limitatur (Comm. Interp. 28 dec. 1927: *A.A.S.* 20, 61).

Can. 883. *De iurisdictione ad audiendas confessiones in itinere maritimo et aereo.* Saepe dubia occurrunt, praesertim quoad sacerdotes religiosos navigantes quinam sit loci Ordinarius cuius iurisdictio valeat, ut in itinere maritimo confessiones audire queant. Frequenter enim reli-

giosus pertinens ad communitatem seu domum sitam in dioecesi A, ubi iurisdictionem habet, quamdiu in ea dioecesi maneat, destinatur in Americam; et interea iubetur a Superiore in domo alius dioecesis spectare, ibique iurisdictionem Ordinarii eiusdem obtinet, dum forte non est facile eam obtinere ab Ordinario portus *a quo*.

Ut ergo haec aliave forte dubia eliminentur, melius forte diceretur: Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, *dummodo a quovis Ordinario loci facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt...* (can. 881 § 2).

In § 2 addatur declaratio, verbi *obiter* a Commissione Interpretum data 20 maii 1923: *A.A.S.* 16, 114: Quoties navis in portu interiecto maneat potest sacerdos navigans terram adire, ibique confessiones audire, etiam per tres dies, si tamdiu navis in portu maneat. Idem poterit quoties ad iter prosequendum unam navim relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu exspectare debeat. In utroque autem casu non ultra triduum, si loci Ordinarius facile adiri possit.

§ 3. (Adde): Quod de confessariis in itinere maritimo statutum est, idem ad iter aëreum extenditur (PIUS XII, Motu proprio, 16 decembris 1947; *A.A.S.* 40, 17).

Can. 893-900. *De peccatorum reservatione*. Disciplina de peccatorum reservatione hodie inefficax evasit. Porro mens Ecclesiae circa eam apparet ex ipso tenore can. 893-900. *a*) Praescribitur parcitas in reservando, ut summum quattuor peccata reservari possunt idque non nisi ex necessitate aut comprobata utilitate (can. 895, 897). *b*) Praescribitur brevis duratio reservationis factae (can. 897). *c*) Haec reservatio a iure cessat multis in casibus (can. 900).

Cum ergo disciplina reservationis hodie inefficax evaserit, ut experientia docet, quia ab ipso iure multae viae patent ut quivis confessarius, etiam ad reservata non approbatus, ab eis absolvere possit; ideoque iam multi Episcopi ac Synodi reservationes suppresserint; opportunius videretur totum caput II *de reservatione peccatorum* penitus reformari hac fere ratione: 1°) Ordinarii peccata ne sibi reservent, nisi forte unum alterumve in casu vere extraordinario et ad breve tempus. 2°) Facultas absolvendi ab hoc reservato ne facile concedatur. 3°) Reservatio autem vi caret: *a*) cum confessionem peragunt aegroti aliique qui domo egredi non valent, et sponsi matrimonii ineundi causa; *b*) extra territorium reservantis. 4°) Ipso iure a reservatis absolvere possunt canonicus poenitentiarius, parochi aliique qui parochorum nomine in iure veniunt, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili; et missionarii ac sacerdotes qui exercitia spiritualia tradunt, quamdiu missio aut exercitia durant.

Can. 909 § 2. *Confessionale pro viris.* (Adde): Hoc etiam pro viris tenet, firmo tamen can. 910 § 2 (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 576).

Can. 912. *Potestas concedendi indulgentias.* Cardinales concedere possunt indulgentiam 300 dierum; Archiepiscopi 200; Abbas et Praelati nullius, Vicarii ac Praefecti Apostolici, et Episcopi residentiales 100 (S. Poenit. 20 iulii 1942: *A.A.S.* 34, 240). Iuxta hoc mutentur canones respondentes.

Can. 914. *Potestas impertiendi benedictionem papalem.* Episcopi eam impertiri possunt ter in anno; Abbates et Praelati nullius, Vicarii ac Praefecti Apostolici bis (S. Poenit. 20 iulii 1942: *A.A.S.* 34, 240).

Episcopus habens plures dioeceses regendas, nequit in earum altera benedictionem papalem Paschati Resurrectionis adnexam in aliam diem transferre (Comm. Interp. 17 febr. 1930: *A.A.S.* 22, 195).

Can. 935. *Commutatio visitationis.* (Adde): Etiam visitatio ecclesiae determinatae ad lucrandas indulgentias toties quoties ac Portiunculae (Comm. Interp. 10 ian. 1940: *A.A.S.* 32, 62).

Can. 954. *Episcopi conconsecrantes.* (Adde): Qui vere unusquisque consecrat: quare intentionem consecrandi habere debet, eaque cum Consecratore recitare et agere quae praescribit Pius XII, Const. 30 novembris 1944: *A.A.S.* 37, 131.

Can. 964, 4°. *De ministero sacrae ordinationis religiosorum non exemptorum.* Inter auctores discutitur sensus can. 964, 4°: Ordinatio religiosorum non exemptorum regitur iure saecularium, quoad ministrum. Quidam enim dicunt: si agitur de professis a votis temporaneis, minister competens est Episcopus originis vel domicilii aut quasi domicilii, quia hi propriam dioecesim amiserunt (can. 585). Sic FANFANI, *De iure religiosorum,* n. 281. Alii: Est Episcopus domicilii. Ita VERMEERSCH, *Epitome Iur. Can.* II, 241; et CAPPELLO, *De Ordine,* n. 344: est Episcopus domicilii cum vel sine origine, quia hi reguntur iure saecularium; sed can. 956 liberat eos a iureiurando animi in dioecesi perpetuo permanendi.

Conformius iuri videretur dicendus Episcopus proprius religiosorum non exemptorum Episcopus loci ubi est domus religiosa ad quam religiosus pertinet; praescindendo a tempore commorationis et animo commorandi. Nam in religioso stabilitas in determinata dioecesi non est quaerenda, sicut in clerico saeculari.

Quare cum de re practica agatur, ad praecidendas contentiones proponeremus hanc canonis 964, 4° redactionem: « Episcopus proprius ordinationis religiosorum non exemptorum est Episcopus loci in quo sita est domus ad quam religiosus pertinet ».

Ceterum hodie non raro Superior maior horum privilegio apostolico gaudet concedendi subditis litteras dimissorias ad ordines.

Can. 979. *De titulo canonico sacrae ordinationis.* Can. 977 pro clericis saecularibus titulos diversos hoc ordine recenset. 1°) titulus beneficii; 2°) patrimonii aut pensionis; 3°) servitii dioecesis aut missionis (can. 981).

Porro, hodie titulus beneficii rarissimus est. Nam beneficium possideri debet ante subdiaconatum, iam vero beneficia quae clericis minoribus conferri possunt paucissima sunt, secus atque antiquitus. Ergo exigere primo loco titulum beneficii res antiquata est et cui fere numquam locus erit. Leges autem ferri non debent de iis quae tantum in casu rarissimo eveniunt (*Digesto,* lib. I, tit. 3, leg. 3-6).

Titulus patrimonii rarus quoque est, quia clerici plerique e familiis tenuioris fortunae procedunt, incapaces proinde sunt patrimonium constituendi. Aliunde patrimonium constitutum iuxta Ordinarii normas, labentibus non multis annis, insufficiens prorsus evadit, propter continuo imminutum pecuniae valorem; ita ut finis ob quem constitui debuit non obtineatur. Adde quod de eius traditione, administratione, redituum perceptione non raro difficultates oriantur.

Idem fere dicatur de *titulo pensionis.*

Hodie universalis est et fere unicus titulus *servitii dioecesis aut missionis,* qui tamquam mere suppletorius admittitur in can. 981. Ergo hic primo loco recenseri deberet. Imo forsan exclusivus, ob allatas rationes; et quia plus alligat clericum Ordinario loci. Quamvis enim obedientia canonica eaque tenet ordinatum titulo beneficii, patrimonii aut pensionis ac ordinatum titulo servitii dioecesis aut missionis, cum can. 127, 128 inter alios et alios non distinguat, tamen de facto ordinatus titulo patrimonii vel pensionis quasi se sentit minus adstrictum Ordinario suo, et ipsemet Ordinarius non tanta libertate de eo disponit.

Quare canones de titulo ordinationis forsan reformari expediret ita ut nonnisi titulus servitii dioecesis aut missionis pro clericis saecularibus consignetur.

Pro regularibus titulus est *paupertatis;* pro religiosis votorum simplicium perpetuorum, titulus *mensae communis, congregationis* vel similis, pro aliis religiosis titulus erit sicut pro saecularibus (can. 982).

Hoc tertium membrum peculiarem affert difficultatem. Videtur distractio in can. 982 § 3, qui non consideravit specialem conditionem religiosorum in congregatione votorum temporalium. Hi beneficium habere nequeunt, nam beneficia religiosa rarissima sunt, saecularia autem si forte possiderentur ante ingressum in religionem, quod rarissimum quoque esset, vacarent post triennium votorum (can. 584), titulus vero perpetuus

esse debet (can. 979 § 2). Neque habere possunt titulum *servitii dioecesis,* nam nequeunt iusiurandum praestare de servitio dioecesi in perpetuum servando, quia superioribus suis subesse debent. Tandem titulus *patrimonii* aut *pensionis* rarissimus est.

Opporteret ergo ut religiosi in religionibus votorum simplicium ordinarentur titulo *mensae communis* aut similis. Aliunde quaedam huiusmodi congregationes indultum iam habent ut tali titulo ordinentur sui.

Can. 983-91. *De irregularitatibus.* Expedire videtur ut concedatur Ordinariis *a iure* potestas dispensandi super irregularitate ex defectu legitimorum natalium, dummodo ne agatur de filiis adulterinis aut sacrilegis (can. 984, 1°): cum haec irregularitas satis frequens sit, et aliunde valde facile dispensetur a S. Sede. Consequenter eadem potestas *a iure* Ordinariis sit ad admittendos in Seminarium tales filios illegitimos (can. 1363 § 1).

Videat S. Sedes num oporteat abolere irregularitates:

a) *Ex bigamia successiva* (can. 984, 4).

b) *Ex defectu lenitatis,* ut antiquitus vocabatur, nempe ob datam a iudice iustam mortis sententiam, et ob acceptatum carnificis munus (n. 6, 7). Haec enim hodie potius ad historiam pertinent. Ipse Codex suppressit irregularitatem ex defectu lenitatis provenientem ex participatione in bello. Iudex autem qui sontibus iustam mortis sententiam fert, honorabilis in societate habetur.

c) *Ex delicto recepti baptismatis de manu acatholicorum* (can. 985, 2°). Quod proprie nequit vocari delictum, cum committatur ab eo qui nondum est baptizatus.

d) *Ex vetito clericis exercitio medicinae ac chirurgiae,* si exinde mors sequatur. Hodie enim hoc exercitium passim permittitur praesertim in missionibus; et praeterea non facile est discernere num mors ex illo exercitio secuta fuerit; clericus enim ille potest esse optimus medicus aut chirurgus.

e) *Ex usurpatione ordinis sacri.* Haec irregularitas melius restringeretur ad actus qui *iure divino* reservantur Episcopis et presbyteris, positos ab eo qui Episcopus aut presbyter non sit: nempe ad collationem ordinum qui sint sacramenta, ad administrationem confirmationis, poenitentiae et extremae unctionis, et ad missae celebrationem. De reliquis enim functionibus saepe dubia oriuntur num gravia peccata constituant; et etiam tunc requirunt auctores ut clericus ordinis usurpator utatur insignibus propriis ordinis usurpati, ut stola aut manipulo, quae res non adeo gravis videtur, ut ex illo usu vel non usu tantus effectus dependeat, quae est irregularitas; et saepe non tanta advertentia est ad actus malitiam...

f) Irregularitas ex violatione poenae, nempe ex exercitio ordinis sacri vetito in poenam delicti, melius forsan supprimeretur. Frequenter enim evenit ut sacerdos reus illius delicti, saepe occulti, nequeat facile ordinis exercitio abstinere; aut anxius haereat; et postea dubium suboriatur num irregularitatem contraxerit. Ergo ad vitandas animi anxietates tollatur irregularitas ex violatione poenae.

Quoad observantiam irregularitatis in genere, bonum videretur si consignaretur excusatio similis ei quae de poenis statuitur in can. 2232 § 2: « Ante sententiam declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur, quoties eam servare sine infamia nequit ».

Can. 987 n. 1. *Filii acatholicorum impediti ad ordines.* (Adde): etsi solus pater aut sola mater, si acatholicus; non ultra primum gradum extenditur impedimentum (Comm. Cod. 16, 20 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 478).

Can. 987 n. 5. *Impedimentum militiae.* (Adde): etsi nondum vocati sunt, sed forsan vocabuntur (Comm. Interp. 2-3 iunii 1918: *A.A.S.* 10, 344).

Can. 1013 § 1. *De matrimonii finibus.* Matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis; secundarii, (adde) *primario essentialiter subordinati,* mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae (S. Officium, 1 aprilis 1944: *A.A.S.* 36, 103).

Can. 1014. *De favore iuris quo gaudet matrimonium.* « Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto canone 1127 » (can. 1014).

Ad hoc Pius XII in alloc. ad Rot. Rom. 3 oct. 1941: *A.A.S.* 33, 424: Norma illa ita intelligenda est ut ad excludendum talem favorem non requiratur certitudo *absoluta* de nullitate matrimonii contracti, seu talis quae excludat non solum *probabilitatem* sed etiam meram *possibilitatem* contrarii; sufficiat autem certitudo *moralis* de nullitate, seu quae excludat dubium prudens de valore « Nullum tribunal ecclesiasticum ius habet exigendi amplius: sic enim facile laederet ius strictum actoris ad matrimonium ».

Ergo post verba donec contrarium probetur, bona esset haec additio: donec contrarium probetur *certitudine quadam morali,* seu *maxima probabilitate,* ut ait S. Congr. Sacramentorum, 29 aprilis 1915: *A.A.S.* 7, 235, de praesumpta coniugis morte.

Canoni 1014 addi potest § 2: « Stante positivo et insolubili dubio de validitate primi matrimonii, invalidum declarari debet secundum matrimonium, dummodo causa definiatur ad ordinarium tramitem iuris » (*Comm. Interp.* 26 iunii 1947: *A.A.S.* 39, 376).

Can. 1015 § 4. *Matrimonium putativum* dicitur matrimonium invalidum *fidelium* si bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit *coram Ecclesia,* donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat (can. 1015 § 4).

Nequit dici *putativum* matrimonium invalidum, etiam catholicorum, bona fide celebratum, sed non *coram Ecclesia* (*Comm. Interp.* 26 ian. 1949: *A.A.S.* 41, 158), neque protestantium (*C. I.* 20 martii 1957); neque infidelium (18 ian. 1957).

Can. 1017. *De sponsalibus.* Iam dum Codex Iuris Canonici elaborabatur, actum est de sponsalibus supprimendis, utpote antiquata disciplina; sed ob venerandam huius instituti antiquitatem, et quia apud aliquos populos orientales adhuc in usu erant, tandem unus canon 1017 eis reservatus fuit.

Nunc tempus ea omnino abolendi forte advenit; quia, saltem in Hispania, rariora in dies evaserunt; de eorum effectu iuridico proprio, nempe de obligatione iustitiae ad matrimonii celebrationem, valde inter canonistas disputatur; ipse can. 1017 § 3 eisdem detraxit antiquam actionem ad exigendum matrimonium; tandem Commissio Interpretum 2-3 iunii 1918: *A.A.S.* 10, 345 declaravit non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium; ideoque non esse suspendendum matrimonium cum alio, si quis reclamet ius suum ex sponsalibus validis, contra partem inituram matrimonium cum tertio.

Can. 1020 § 2. *De doctrina christiana nupturientum.* (Adde): *Quod si sponsus vel sponsa inveniantur ignari de doctrina christiana,* parochus dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quod si renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio, ad normam can. 1066, quasi publicos peccatores (Comm. Interp. 2-3 iunii 1918: *A.A.S.* 10, 345).

Can. 1037. *De impedimento publico et occulto. Publicum* censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum (can. 1037).

In Codice Orientali (Pius XII, Motu proprio 12 febr. 1949: *A.A.S.* 41, 89) can. 27, publicum definitur *quod ex facto publico oritur;* vel alio modo probari potest.

Aliunde can. 2197, 1°. *Publicum* delictum definit quod iam divulgatum est aut talibus contigit aut versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri. Et tamen ex can. 1933 delicta quae cadunt sub criminali iudicio sunt delicta publica; quae intelliguntur ea quae probari possunt; ad hoc enim ordinatur inquisitio, ut eiusdem probationes inveniantur (can. 1939 § 1).

Tandem in can. 1045 § 3 et 990 § 2; 2237 § 2 et alibi mentio fit *casus occulti,* quoad impedimentorum et irregularitatum dispensationem, ac remissionem poenarum, in quibus occultus *sumitur* ratione *divulgationis.*

Nonne oporteret quantum fieri poterit, uniformem notionem *publici ac occulti* tradere; ita tamen ut non nimis rigida tradatur, sed aequam facilitatem relinquat dispensandi in casibus occultis ad sensum S. Poenitentiariae? Quae *casum occultum* intelligit eum qui non est divulgatus neque habet imminens periculum divulgationis, quamvis noscatur a paucis personis discretis, ac proinde absolute probari posset (BENEDICTUS XIV, *Institutiones,* 87, n. 44, 45; D'ANNIBALE, *Summula,* I, 242; GASPARRI, *De Matrimonio,* II, 260 (ante Codicem), et post Codicem ed. 1932, n. 210).

Controversum fuit *num impedimentum publicum,* ratione notitiae seu divulgationis habendum sit solum *materialiter et formaliter publicum,* id est populo notum et *qua factum et qua impedimentum;* an etiam censendum sit publicum quod est *materialiter publicum* sed *formaliter occultum* quia videlicet populus scit factum unde oritur impedimentum, sed ignorat tale factum impedimentum constituere.

Multi et gravissimi auctores ut D'ANNIBALE, n. 343, qui per multos annos S. Poenitentiariae servivit, aiebant *occultum formaliter* censeri impedimentum occultum, etsi *materialiter* sit publicum. E contra GASPARRI, n. 260 (ante Codicem) scribit: dum tot anni S. Poenitentiariae servivi, semper intellectum fuit, ut censeatur occultum impedimentum debere esse *materialiter et formaliter occultum.* Immo in uno eodemque casu ad S. Sedem delato contrariae resolutiones datae fuerunt a S. Poenitentiaria, 31 ian. 1876 et a S. C. Concilii 29 ian. 1891. Iuxta S. Poenitentiariam, ut sit *occultum* debet esse *materialiter et formaliter occultum;* iuxta S. Congregationem sufficit quod sit *formaliter occultum.*

Commissio Interpretum 25 iunii 1932: *A.A.S.* 24, 284 tandem declaravit: « Ad habendum publicum impedimentum, de quo in can. 1037 sufficit ut publicum sit factum ex quo oritur impedimentum ».

Viderit ergo S. Synodus num haec notio retineri oporteat.

Can. 1042. *De impedimentis matrimonialibus gradus minoris.* Impedimenta gradus minoris forte supprimi oporteret. Experientia teste, multa matrimonia contrahuntur nulla ob haec impedimenta, quia frequenter ignorantur. Aliunde facillime dispensatur, etiam sine causa vera (can. 1054).

In schemate Codicis, anni 1916, supprimebantur impedimentum consanguinitatis in tertio gradu, et publicae honestatis in secundo. Im-

pedimentum affinitatis in secundo gradu etiam a parochis saepe ignoratur aut non advertitur.

Adde quod vinculum familiaritatis, quae est horum impedimentorum ratio, hodie adeo relaxatum est ut quoad effectus civiles nihil iam attendatur.

Impedimentum autem criminis ex adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii plerumque est occultum et ignoratum. Generatim occurrit inter concubinarios, quia unus ex his, relicto coniuge legitimo, alteri adhaesit, cum promissione matrimonii pro tempore quo coniux legitimus mortuus fuerit. Iam vero, hoc primum procurat Ecclesia: ut concubinatus ille disiiciatur, ad quod medium ordinarium est matrimonium inter ipsos concubinarios. Quare ergo eisdem impedimentum criminis imponatur? Nonne contradictorium quid in eo cernitur?

Can. 1043-44. *De dispensatione impedimenti affinitatis in linea recta.* Hoc impedimentum excluditur e facultatibus concessis in can. 1043-44 pro matrimonio in mortis periculo. Iam vero, ut nobis pluries relatum est, recentiori tempore S. Sedes ab eo non adeo raro dispensat, gravissima de causa, etiam extra periculum mortis. Hinc quidam ab eo dispensare audent in casu de quo memoratus can. 1043. Oporteretne ampliare facultates huius canonis, ita ut extendatur ad hoc impedimentum? Itemque facultates can. 1045 pro casu urgenti, eadem extensione?

Can. 1044. *Recursus per telegraphum aut telephonium.* (Adde): censendus est Ordinarius adiri non posse, si non nisi per telegraphum vel telephonium ad eum recurri possit (Comm. Interp. 12 nov. 1922: *A.A.S.* 14, 662).

Can. 1045 § 1. *Dispensatio impedimentorum in casu urgenti.* (Adde): porro, clausula: Quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias hoc sensu lato intelligenda est, quod quamvis antea impedimentum cognitum fuerit, tunc solum tamen ad notitiam parochi aut Ordinarii sic delatum (Comm. Interp. 1 martii 1921: *A.A.S.* 13, 178).

Ordinarius autem dispensare valet ab impedimentis matrimonialibus, intra fines can. 81, *etsi nondum omnia parata sint ad nuptias* (Comm. Interp. 27 iulii 1942: *A.A.S.* 34, 241). Nempe si difficilis sit recursus ad S. Sedem, et simul in mora periculum sit gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet. Non vero a votis S. Sedi reservatis; neque subdiaconos et diaconos ab obligatione servandi caelibatum (Comm. Interp. 26 ian. 1949: *A.A.S.* 41, 158).

Quoad vota vero *privata* S. Sedi reservata, proponere auderemus ut Ordinarius vi can. 81 dispensare posset, sicut ad eumdem can. 81 indicatum est.

Can. 1045 § 3. (Adde): verba « pro casibus occultis » intelligenda

sunt non tantum de impedimentis natura sua et de facto occultis sed etiam de natura sua publicis et facto occultis (Comm. Interp. 28 dec. 1927: *A.A.S.* 20, 61).

Can. 1051. *Legitimatio prolis implicita.* Per dispensationem super impedimento dirimente concessam ... conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis ... excepta adulterina et sacrilega.

Plures auctores littera canonis insistentes putant hanc legitimationem prolis implicitam fieri eo momento quo dispensatio impedimenti fulminatur, etsi deinde non contrahatur matrimonium CAPPELLO, *De Matrim.*, n. 271; GASPARRI, *De Matrim.*, n. 358, a. 1932.

Potius fortasse dicendum legitimationem fieri, non ipso momento dispensationis concessae; sed quando matrimonium vi huius dispensationis celebratur. Nam *a*) Can. 1051 supplet vim quam de se matrimonium non habet, legitimandi prolem spuriam (can. 1116); et intuitu matrimonii contrahendi legitimationem concedit in ipsa dispensatione, *si matrimonium nempe contrahatur. b*) Si vi huius dispensationis, ante matrimonium legitimaretur, proles spuria melioris conditionis esset quam mere naturalis, quae non legitimatur per solum propositum parentum contrahendi matrimonium, quamvis hi habiles sunt ad matrimonium sine dispensatione. Dispensatio illa impedimenti dat capacitatem contrahendi, et contracto matrimonio, supplet vim legitimandi prolem spuriam quam illud de se non haberet. *c*) « *In generali concessione non veniunt ea quae quis non esset in specie verisimiliter consessurus* » (Reg. Iur. 81 in Sexto). Iam vero, si quis peteret legitimationem prolis spuriae absque matrimonio, S. Sedes difficillime conderet; imo nec concederet legitimationem prolis naturalis, si allegaretur tamquam causa propositum contrahendi; responderet: Contrahite, et sic proles legitimabitur. Quomodo ergo haec legitimatio prolis spuriae per concessionem generalem fiet implicita in dispensatione super impedimento, ante matrimonium? *d*) Si legitimaretur ante matrimonium ipso facto dispensationis, ansa posset dari abusibus obtinendi dispensationem sine proposito matrimonii; et sic frustraretur praecipuus forte finis legitimationis, qui est stimulare parentes ad illegitimas uniones legitimandas. *e*) In sententia contraria, quid de prolis conditione, si post dispensationem matrimonium non contrahatur? Diversae quaeruntur responsiones, aliquae mirae; nulla quae satisfaciat (GASPARRI, n. 358, post Codicem; CAPPELLO, n. 271). *f*) Rota antiquitus asseruit: Filii incestuosi efficiuntur legitimi *per subsequens matrimonium,* accedente dispensatione pontificia.[3] Clas-

[3] *Decisiones,* decis. 166, 280. Verba *Filii legitimati per subsequens matrimonium.* Venetiis, 1754.

sicus GARCIA, de incestuosis ait: Ista legitimatio non fit per Papam absque matrimonio, sed ratione matrimonii et respectu illius dependenterque ab illo.[4]

Post Codicem hanc doctrinam late tuetur F. REGATILLO, Decanus Facultatis Iuris Canonici in Pontificia Universitate Comillensi, *Ius Sacramentarium,* n. 1183, ed. 2, a. 1949. De qua sententia fatetur CIPROTTI: « Utique quadam gravitate non carent argumenta quae pro sua sententia Regatillo affert. Attamen haec argumenta etsi gravia, de iure condendo satius valere possunt » (apud *Apollinaris,* 1939, p. 510).

Cum ergo de Codice reformando agatur, placeretne haec redactio can. 1051: « Per dispensationem super impedimento dirimente concessam ... conceditur quoque implicita legitimatio prolis, *celebrato matrimonio* ... ».

Can. 1052. *Dispensatio impedimentorum implicita.* « Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel dispensatione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu ». (Adde): Imo haec dispensatio valet quoque pro impedimento eiusdem speciei, et gradus minoris vel aequalis, bona vel malafide reticito (Comm. Interp. 8 iulii 1948: *A.A.S.* 40, 386).

Can. 1053. Data a S. Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato, vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem. (Adde): *sive a S. Sede sive a loci Ordinario,* secumfert dispensationem ab impedimento.

Can. 1061, 1071. *De cautionibus in matrimonio cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus.* Quamvis cautiones formaliter praestandae sunt, et plerumque in scriptis; *aequipollentes* etiam valent, si aliae obtineri non possunt; remittitur tamen prudentiae ac conscientiae uniuscuiusque Ordinarii loci iudicare an cautiones ipsae aequipollenter contineantur sive in seria promissione amplectendi catholicam fidem ...; firma semper in omnibus hisce casibus obligatione exigendi cautiones a parte catholica, et non concedendi dispensationem, nisi moralis habeatur certitudo de ipsarum implemento (S. Off. 5 aprilis 1918; Concil. Sinen. decret. 404).

Non valet matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam, cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus; si sola

[4] *De beneficiis,* p. 7, c. 2, n. 40, Lugduni, 1700.

pars acatholica cautiones praestiterit (S. Off. 10 maii 1941: *A.A.S.* 32, 294).

Cautiones de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda comprehendunt solummodo prolem *nascituram;* at monendi sunt nupturientes de gravi obligatione iuris divini, curandi catholicam educationem etiam prolis forte iam *natae* (S. Off. 16 ianuarii 1942: *A.A.S.* 34, 22).

Can. 1068. *De impedimento impotentiae.* Haud incongrue forsan indicarentur quidam casus in quibus matrimonium non est impediendum, ut mulieris excisae (S. Off. pluries); vasectomiae bilateralis (28 sept. 1957); vel e contra, non est permittendum, ut epidydimitis.

Can. 1077. *Impedimentum affinitatis.* (Adde): § 3. Exsurgit etiam ex affinitate contracta in fidelitate pro matrimoniis quae ineantur post baptismum, etsi unius tantum partis (S. Off. 31 ian. 1957: *A.A.S.* 49, 77).

Can. 1087 § 1. *De metu matrimonium dirimente.* Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Vexata quaestio est his postremis annis, utrum metus qui matrimonium dirimit sit tantum metus *consultus* seu *directus* ad extorquendum consensum; an etiam *inconsultus* seu *indirectus,* qui nempe ad alium finem incutitur, ad quod malum avertendum quis matrimonium eligat.

In editione operis Card. GASPARRI, *De Matrimonio,* n. 856, a. 1932, narratur historia redactionis huius canonis; ex qua haec sequela deducitur: « Iure Codicis nullum est matrimonium, tum si metus gravis sit *directe incussus* ad extorquendum consensum matrimonialem; tum si ad hoc *non sit directe incussus,* sed pars persuasum habeat sese ab eo liberare non posse, nisi matrimonium contrahat ».

WYNEN. Ponens in causa *Lincien.* apud Rotam, 5 dec. 1933,[5] postquam haec verba retulit, prosequitur: Em.mus Gasparri in exponenda hac re non considerandus est ut doctor privatus, utcumque gravis, cuius opinioni contradicere liceat, sed potius ut Praeses Commissionis Pontificiae ad redigendum novum Codicem institutae, qui motivum redactionis nostri canonis manifestat, simulque ostendit sensum genuinum illorum verborum « *a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium* ».

Sed liceat aliquas considerationes afferre: 1° Soluta controversia in

---

[5] *S. R. Rotae Decisiones,* vol. 25, decis. 72, pp. 608-10.

can. 1087 non apparet. In citata relatione apparet quomodo ex prima intentione propositum fuerit ut definiretur iuxta sensum traditionalem: quod metus indirectus matrimonium non irritat; sed attenta auctorum divergentia, acceptata fuit formula quae *utramque sententiam complectebatur.* Hoc, sensu obvio, significat noluisse Codicis redactores controversiam dirimere.

2° Mirum quod can. 1087 controversiam solveret contra universalem fere doctrinam, contra constantem iurisprudentiam (C. Conc. 26 iunii 1869; Rota 13, 20 martii 1911, etc.) *Decisiones* III, 115, 123.

3° Vix credibile est quod tot auctores posteriores ignorassent controversiam finitam fuisse hoc sensu, cum can. 1087, interpretati fuerint iuxta doctrinam traditionalem, ut VIDAL qui in Codicis redactione magnas partes habuit. Et quod idem ignorasset ipsa Rota, quae in sententia 27 martii 1931 ait: « Praevalens vel communior opinio WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* t. V, n. 501, et in praesens adhuc est, ad matrimonium irritandum *requiri metum consultum...* Huic autem opinioni hactenus saltem nostrum adhaesit tribunal.[6]

4° Revera quis non consideret opus Card. Gasparri, tamquam auctoris mere privati?

5° Innixi illa disquisitione Ponentis Wynen aiunt quidam Rotam ab anno 1933 iurisprudentiam mutasse. At num *unica disquisitio,* qua Ponens suam manifestat sententiam, sufficietne ad avertendam contrariam iurisprudentiam tam firmiter stabilitam? *Unica disquisitio* inquam, *non sententia,* nam in *Licen.* sententia nullitatis data est non ex metu indirecto, *sed consulto,* quod ipse Wynen fatetur, n. 16.

6° Tandem PIUS XII in Motu proprio 12 feb. 1949 de disciplina matrimoniali apud orientales, cap. 5 can. 78 rem definire videtur: et quidem traditionali sensu: ait enim: « Metus matrimonium dirimit; qui sit gravis, extrinsecus et iniuste incussus *ad extorquendum consensum* ».

Et nota Summum Pontificem intendisse uniformem reddere disciplinam orientalem et latinam, ut ipse initio sui Motu proprio admonet; eo praesertim quod matrimonia inter latinos et orientales saepe contrahantur.

Quare haec nova redactio can. 1087 § 1 proponeretur: « Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem, ab extrinseco et iniuste incussum *ad extorquendum consensum* ».

Can. 1088 § 1. *De matrimonio inter praesentes.* Ad matrimonium

---

[6] *S. R. Rotae Decisiones,* vol. 23, decis. 13, p. 103.

valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes, sive per se ipsi, sive per procuratorem (Adde): etsi agatur etiam de matrimoniis acatholicorum baptizatorum (S. Off. 30 iunii 1949: *A.A.S.* 41, 427).

Can. 1089 § 1. *De matrimonio per procuratorem.* (Adde): Procurator debet a mandante ipso designari, nec eius designationem alteri committere valet (Comm. Interp. 31 maii 1948: *A.A.S.* 40, 302).

Nonne expediret addere quod mandatum subscribi possit etiam ab uno notario ecclesiastico; siquidem valet etiam subscriptum a solis duobus testibus quibuscumque?

Can. 1094. *De forma celebrationis matrimonii.* Ad huius valorem requiritur ut contrahatur coram parocho, aut loci Ordinario, aut sacerdote ab alterutro delegato, et duobus testibus (can. 1094). Necessitas iurisdictionis ordinariae vel delegatae ad matrimonii valorem innumera matrimonia nulla aut saltem dubia gignit. Quare considerare velit S. Synodus num opporteat statuere ut iurisdictio ordinaria vel delegata requiratur *non ad validam* sed *solum ad licitam assistentiam matrimonio,* ita ut hoc *ad valorem* contrahi debeat coram sacerdote quovis et duobus testibus; sed *ad liceitatem* hic sacerdos sit Ordinarius vel parochus loci ubi contrahitur vel sacerdos ab alterutro delegatus. Quod si nemo ex contrahentibus habeat in illo loco domicilium aut quasidomicilium aut menstruam commorationem, requiratur *ad licitam assistentiam* licentia parochi vel Ordinarii domicilii, quasidomicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis.

Hoc: quod ad valorem matrimonii sufficiat ut contrahatur coram quovis sacerdote, etsi non delegato, et duobus testibus, grave utique periculum creat quod sacerdotes audaces, qui non desunt, matrimonio assistant sine licentia et sine praevio contrahentium scrutinio. At imponatur gravis poena sacerdoti qui sine potestate matrimonio assistat.

Aliunde Commissio Interpretum ad dubium: « An praescriptum can. 209 (de supplentia iurisdictionis in errore communi) applicandum sit in casu sacerdotis, qui delegatione carens matrimonio assistit », respondit: *Affirmative* (21 martii 1952: *A.A.S.* 44, 497). Post hoc responsum aliqui canonistae contendunt Ecclesiam supplere iurisdictionem ad assistendum matrimonio *in omni casu,* etiam solitario; et sic practice non requireretur iam potestas ordinaria vel delegata, quam requirit can. 1094, ad matrimonii valorem; et evacuata est vis canonis huius. Et quamvis hoc communiter reiicitur, non deerunt tamen qui illa sententia nixi valida habeant quaevis matrimonia contracta absque delegatione.

Ergo ad solvendum hoc tam grave problema, si S. Synodus non

censeat opportunum supprimere necessitatem iurisdictionis ordinariae vel delegatae ad validam assistentiam sacerdotis matrimonio, perpendere velit num expediat declarare quousque suppleat Ecclesia potestatem matrimonio assistendi, sicut ad can. 209 proponitur, definiendo nempe non supplere errorem communem in sola assistentia matrimonio singulari; sed requiri assistentiam aliquatenus habitualem sine potestate aut usum potestatis alicui officio adnexae, quod sine canonica provisione exercetur. Quidquid tandem resolvetur, opportunum censeretur quod statuatur ut assistendi licentia concedatur *a iure* omnibus vicariis cooperatoribus: ut possit dari *generalis* cuivis sacerdoti, etiam non determinato, et ad matrimonium non determinatum; et ut licentia effectum obtineat a momento concessionis, etsi a delegato non petita nec acceptata, et ignorata; ad normam can. 37-38. Sic saltem minuetur numerus matrimoniorum nullorum ex defectu formae.

Can. 1094-95. *De vicariis paroecialibus quoad assistentiam matrimonio.* Si forte non admittatur quod in numero praecedenti proponitur: nempe quod ad validam assistentiam non amplius requiratur iurisdictio ordinaria aut delegata, inserantur in Codicem sequentes declarationes:

Commissio Interpretum 14 iunii 1922; *A.A.S.* 14, 527. Vicarius substitutus parochi *ad absentias ultra hebdomadam:* 1° Valide ac licite assistere potest matrimoniis *post approbationem Ordinarii,* si nulla limitatio apposita fuerit. 2° Non valide, *ante hanc approbationem.* 3° Valide ac licite, *ante Ordinarii approbationem,* qui designatus est a parocho coacto abesse repentina et gravi de causa, quousque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit. 4° Valide ac licite assistere potest Vicarius parochi religiosi, *post approbationem Ordinarii loci, sed ante approbationem superioris religiosi.*

Pro absentiis quae hebdomadam non superant, can. 465 non praecipit constitutionem vicarii substituti; iubet tantum ut parochus necessitatibus fidelium provideat (§ 6). Sine dubio etiam pro his brevioribus absentiis relinqui potest vicarius substitutus *ab Ordinario approbatus,* si hoc opportunum censeatur, cum plena potestate paroeciali (can. 474), et talis vicarius valide ac licite matrimoniis assistere poterit.

Poteritne *pro his absentiis brevioribus* vicarius substitutus relinqui *sine Ordinarii approbatione?* Forte non sine gravi ratione id asseritur ut ad can. 465 propositum fuit.

Si haec doctrina acceptetur a Concilio, pronum est concludere:

5° *Valide ac licite* matrimoniis assistit vicarius substitutus a parocho relictus *pro absentiis non ultra hebdomadam, sine Ordinarii approbatione.*

Commis. Interp. 13 ian. 1942: *A.A.S.* 34, 50. Vicarius cooperator

ratione officii, de quo in can. 476 § 6 matrimoniis valide assistere non potest. Sed ut propositum manet ad eumdem canonem, valde expediret ut omnes vicarii cooperatores facultatem *a iure* haberent assistendi matrimoniis quibuscumque intra territorium suae paroeciae.

Can. 1095 § 2. *De vicariis paroecialibus quoad delegationes ad assistendum matrimoniis.* Comm. Interp. 20 maii 1923: *A.A.S.* 16, 114. 1° Vicarius oeconomus in paroecia vacante potest licentiam assistendi matrimonio dare sacerdoti determinato, ad matrimonium determinatum. 2° Item potest vicarius substitutus pro absentiis parochi ultra hebdomadam, si nullam limitationem Ordinarius apposuerit, *post Ordinarii approbationem.* 3° Idem Vicarius parochi religiosi post Ordinarii approbationem, sed ante approbationem superioris religiosi. 4° Idem vicarius substitutus pro absentiis repentinis, ante Ordinarii approbationem. 5° Idem vicarius adiutor parochi imparis suis muniis rite obeundis. 6° Idem vicarius cooperator, si potestatem assistendi habeat a iure, aut licentiam generalem ab Ordinario loci aut a parocho; non autem si delegationem habeat tantum ad casus determinatos, nisi ei tributa fuerit subdelegandi facultas.

Ex antea propositis, oporteret ut supprimatur clausula « *sacerdoti determinato, ad matrimonium determinatum* ».

Can. 1096 § 1. *De delegato episcopali aut substituto Vicarii Generalis aut Capitularis quoad assistentiam matrimoniis.*

Comm. Interp. 25 ian. 1943: *A.A.S.* 35, 58. Delegato episcopali, cui conceditur facultas delegata ad universitatem negotiorum, iuxta can. 199 § 1, non hoc ipso concessa intelligitur vel concedi potest delegatio generalis ad assistendum matrimoniis, attento can. 1096 § 1.

Hoc responsum mitigandum videretur, ut supra proponitur, licentia assistendi matrimoniis possit dari cuicumque sacerdoti *generalis:* ita ut sive episcopalis ad omnia, sive substitutus vel delegatus Vicarii Generalis aut Capitularis ad universitatem negotiorum, v. gr. tempore vacationum, eo ipso facultatem generalem assistendi obtineant. Nam, experientia teste, ex his restrictionibus gravia damna oriuntur.

Can. 1099 § 2. *De obligatis ad formam canonicam.* Abrogatum comma alterum § 2 (Pius XII, Motu proprio 1 aug. 1948: *A.A.S.* 40, 305).

Can. 1116. *De legitimatione prolis per subsequens matrimonium.* (Adde): Non autem efficitur legitima proles a parentibus genita detentis impedimento aetatis vel disparitatis cultus, quod cessaverit tempore initi matrimonii (Comm. Interp. 6 dec. 1930: *A.A.S.* 23, 25).

Can. 1131 § 1. *Processus in causis separationis coniugalis.* (Adde): Separatio, ob causas de quibus in hoc canone, decernenda est forma

administrativa, nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partis; et in secundo gradu eadem servanda est forma ac in primo (Comm. Interp. 25 iunii 1932: *A.A.S.* 24, 284).

Porro, cum causae huiusmodi non parvi momenti sint; praesertim quoad effectus civiles, ne nimis arbitrio relinquantur Ordinarii loci, opportuna existimaretur ordinatio alicuius processus administrativi qui Codici inseratur, hac fere forma:

Processus administrativus in causis de coniugum separatione.

1° Cum primum pars a loci Ordinario separationem coniugalem postulat, Ordinarius conciliationem procuret; et siquidem eam non obtineat, exigat a parte separationem petente petitionis rationes, dato ei brevi temporis spatio ut probationes aliquas exhibeat. Sic enim saepe fit ut interea sedatis coniugum animis a petitione desistant.

2° Si petitio frivola appareat, a limine reiiciatur. Si autem aliquo fundamento solido innixa videatur, Ordinarius eam admittat et ad se vocet alteram partem, et utrique congruum tempus praefiniat ad suas probationes et allegationes exhibendas.

3° Interea adhibeantur media iuris civilis, si his locus sit, ad depositum uxoris, ad liberorum custodiam, ad eorum sustentationem assecurandam, etc.; secus quae auctoritas ecclesiastica opportuna iudicet.

4° Rationes et allegationes a partibus adductas Ordinarius cum duobus peritis consultoribus perpendat.

5° Eis licet advocato ac procuratore uti. Et expleta partium defensione, Ordinarius, auditis consultoribus, per decretum quaestionem definiat, quod cum partibus communicabit.

6° Contra hoc decretum possunt partes, intra decem dies ab eius intimatione, recurrere ad Ordinarium eumdem, qui cum duobus consultoribus distinctis a prioribus tum primas tum novas probationes et allegationes, intra praefinitum terminum producendas, examinabit.

7° Absoluta partium defensione, Ordinarius, auditis his novis consultoribus, decretum definitivum ferat.

8° Contra hoc possunt partes recursum interponere ad S. C. Sacramentorum, intra decem dies; quo omisso, decretum exsecutioni mandari potest.

Can. 1166 § 2. *Ieiunium in consecratione ecclesiae.* (Adde): Quod ieiunium moderandum est secundum communem legem ieiunii ecclesiastici (Comm. Interp. 20 iulii 1929: *A.A.S.* 21, 573).

Can. 1205 § 2. *Sepultura in crypta ecclesiae.* (Adde): Idem obtinet, si agatur de ecclesia subterranea, quae sit vere et proprie ecclesia divino cultui addicta (Comm. Interp. 16 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 478).

Can. 1221. *Sepultura postulantium et alumnorum scholae apostolicae.*

can. 1221 de sepultura religiosorum, novitiorum famulorumque non extendi ad postulantes et alumnos scholarum apostolicarum.

Responsum hoc visum fuit nonnihil severum. Postulantes viderentur aequiparari novitiis, quia: *a*) de utrisque agit Codex sub rubrica *de religiosis*. b) Postulatus est quasi primus novitiatus, probatio iuridica ad statum religiosum. Obvium foret quod postulantibus idem concedatur quoad sepulturam quod famulis, qui novitiis aequiparantur. Sic BOUIX, *De iure regularium* I, p. 671; VERMEERSCH, *Epitome Iur. Can.*, II, 530.

Scholae apostolicae possent reputari velut inchoati novitiatus, et sic nihil videretur obstare quominus earum alumni novitiis aequipararentur quoad sepulturam.

Alias et postulantes et alumni scholarum apostolicorum iure novitiorum recensentur. Sic antequam admittantur in seminarium qui *quocumque titulo ad religionem pertinuerint*, Ordinarius ad S. C. de Seminariis recurrat... (S. C. de Semin. et de Relig., 25 iulii 1941: *A.A.S.* 33, 371). Iam vero hic veniunt etiam *postulantes*, ex communi interpretatione; et ipsi alumni scholae apostolicae (C. Semin. 12 ian. 1950, ad Rectorem Collegii Teutonici), quia hi *aliquo titulo ad familiam religiosam pertinent*. Quare ergo non aequiparentur novitiis quoad sepulturam?

Adde quod hi plerumque nihil cum paroecia habuerunt; parocho sunt ignoti; et e contra vitam cum religiosis plene agunt; et durum sibi est quod morientes hac sancta consolatione priventur ut tamquam religiosi ipsi sepeliantur et funerentur.

Quare rationabile videtur quod in § 3 can. 1221 clausula haec intercaletur: « Quae de novitiis dicta sunt §§ 1, 2 valent quoque *de postulantibus et de alumnis scholarum apostolicarum*....

Can. 1230 § 5. *De iure funerandi moniales*. (Adde): Cappellano, non parocho, competit ius funerandi moniales ab Ordinario loci iurisdictione non exemptas (Comm. Interp. 31 ian. 1932: *A.A.S.* 34, 205).

Can. 1231. *Ubi tumulus, ibi funus?* Axioma venerandum, quod a saec. IX usque ad Codicem viguit: Scilicet, ius funerandi spectat ad illam eamdem ecclesiam ad quam ius tumulandi spectaret, nisi defunctus elegisset pro funere ecclesiam distinctam ab ecclesia tumulante.

Codex, licet non expressis verbis, principium reciprocum statuit: *Ubi funus, ibi tumulus* (can. 1231). Postea controversum fuit utrum axioma *ubi tumulus, ibi funus* abrogatum fuerit, eo quod in Codice non contineatur.

Ubi agitur de sepultura gentilitia, Commissio Interpretum 4 ian. 1946: *A.A.S.* 38, 162, declaravit: *sepulcrum maiorum in aliqua ecclesia constitutum minime habendum est post Codicem tamquam legitima electio*

ecclesiae funerantis. Ergo in casu sepulturae gentilitiae locum non habet axioma: *ubi tumulus, ibi funus.* Hinc pronum est concludere neque in casu electionis ecclesiae seu coemeterii tumulantis locum habere antiquissimum axioma.

Porro declaratio illa Commissionis Interpretum, quae separavit ecclesiam seu coemeterium tumulationis ab ecclesia funeris, non bene accepta fuit ubique. Et re vera violenta videtur separatio, cum sepultura ecclesiastica exhibeatur in can. 1204 tamquam quid unum constans ex cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, et illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis.

Haec separatio praeterea difficultates haud leves creat: Ex ea, qui elegit ad tumulationem talem ecclesiam vel tale coemeterium, non ideo censetur elegisse eamdem ecclesiam tamquam funerantem, ideoque ordinarie funus pertinebit ad parochum defuncti. In tali casu, spectabitne ad parochum defuncti officium intra coemeterium ubi est sepulcrum familiae vel tumulus electus a defuncto?

Si cadaver nequit illuc facile transferri pedestri itinere, parochus defuncti ius non habet illud comitandi ultra terminos loci sui (can. 1232). Tunc ergo ipse levabit cadaver, ducet ad suam ecclesiam paroecialem, et celebratis in ea exsequiis, illud comitabitur ad limitem loci vel ad locum de more. In limite autem loci ubi est coemeterium, vel in loco consueto, cadaver recipiet parochus, vel superior regularis, si de coemeterio regulari agatur, comitabitur ad coemeterium, et in sepulcro deponet, recitatis vel cantatis precibus Ritualis.

At si translatio commoda sit? Etiam in hoc casu parum iuridicum videtur quod parochus *iure proprio et exclusivo* officium gerat intra ecclesiam vel coemeterium alienum. Tamen e responso Commissionis Interpretum hoc sequi videtur; siquidem ad eum pertinet totus exsequiarum ordo, qui complectitur cadaveris levationem et ductum ad eccelsiam funerantem, exsequias ibidem, et depositionem in sepulcro (can. 1204, 1231 § 2).

Velit igitur deliberare Concilium num pristinum axioma: *ubi tumulus ibi funus* restituendum sit: ita ut, ubi quis habet sepulchrum maiorum aut tumulum electum, ibi funus accipiat, nempe in ecclesia quae illi tumulo respondeat; sicut nunc viget etiam reciprocum principium: *ubi funus, ibi tumulus*: scilicet cadaver condendum est in coemeterio respondenti ecclesiae funeris, et ab eodem qui funus in ea peregit (can. 1231 § 2). Ambo principia cohaerent. Nisi defunctus aliud statuerit.

Can. 1233 § 1. *De cadaveris associatione.* (Adde): Clerici ipsi ecclesiae

addicti non censentur ecclesiae cathedralis vel collegialis capitulares, qua tales (Comm. Interp. 8 apr. 1941: *A.A.S.* 33, 173).

Can. 1234 § 1. *Taxae funerariae pro religiosis.* (Adde): huic taxarum indici subsunt quoque religiosi, etiam exempti (Comm. Interp. 1927: *A.A.S.* 19, 161).

Can. 1240 § 1 n. 5. *De privatione sepulturae.* (Adde): Et in hac voluntate permanserint usque ad mortem, etsi crematio, ad normam can. 1203 § 2, non sequatur (Comm. Interp. 10 nov. 1925: *A.A.S.* 17, 583).

Can. 1245 § 2. *De dispensatione a ieiunio et abstinentia.* Ordinarii ex causa peculiari magni populi concursus (Adde): etiam unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum, aut publicae valetudinis... (Comm. Interp. 12 martii 1929: *A.A.S.* 21, 170).

Can. 1249. *De loco ad satisfaciendum praecepto missae audiendae.* Legi de audiendo sacro satisfacit... in privatis coemeteriorum aediculis, de quibus in can. 1190 (Adde): « aut in loco de quo in can. 822 § 4 », non autem... (Comm. Interp. 20 martii 1952: *A.A.S.* 14, 497).

Can. 1251 § 1. *De carnis esu in diebus ieiunii* (Adde): Non tamen licet pluries carnibus vesci eodem die (Praeses Comm. Interp. 29 octobris 1919: *A.A.S.* 11, 480).

Can. 1252 § 2. Ieiunium et abstinentia pervigilii Assumptionis B. V. Mariae transfertur ad pervigilium Immaculatae Conceptionis (S. C. Conc. 25 iulii 1957: *A.A.S.* 49, 638). Ieiunium et abstinentia pervigilii Natalis Domini potest anticipari ad diem 23 decembris (S. C. Conc. 3 decembris 1959: *A.A.S.* 51, 918).

Can. 1252 § 4. *De cessatione legis ieiunii et abstinentiae.* (Adde): ... nec pervigilia anticipantur, « ita ut ieiunium et abstinentia cessent etiam quando dies festus, qui ieiunium et abstinentiam habet adnexa, incidit in feria secunda; idque per totum annum, excepto tempore Quadragesimae (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 576).

Sabbato Sancto quoque ieiunium et abstinentia perdurant usque ad mediam noctem (C. Rit. 16 nov. 1955; III, 10: *A.A.S.* 47, 841).

Can. 1252. *De abstinentia et ieiunio quadragesimali.* Iam redactores Codicis volebant haec reducere; tandem hoc non fuit factum. At hodie manifestum est ieiunia et abstinentias, prout a Codice statuitur, non posse servari.

Aliunde liturgia quadragesimalis tota circum ieiunium vertitur: quare ut sensum habeat et salutaris poenitentia non tollatur, haec forte ratio proponi posset: Abstinentia et ieiunium quadragesimale per turnum, nempe per regiones. Dividatur orbis catholicus in sex regiones, fere ut fit in c. 340 § 1 quoad relationem de statu dioecesium, hoc vel simili modo: Feria II ieiunium et abstinentiam observent catholici Europae

Occidentalis; Feria III, Europae Centralis; Feria IV, Europae Orientalis; Feria V, Americae Septemtrionalis; Feria VI, Americae Meridionalis; Sabbato, reliqui. Sic singulis diebus Quadragesimae esset pars catholicorum magna, qui nomine totius Ecclesiae offerret Deo sacrificium poenitentiae; ac Liturgia sensum suum conservaret.

Feria V Cinerum et Feria VI hebdomadae sanctae omnibus imponerentur.

Abrogentur tamdem omnia privilegia pluribus nationibus concessa circa abstinentiam et ieiunium quadragesimale.

Can. 1265. *De custodia SS. Eucharistiae.* Attenta praxi hodierna, qua Ss. Eucharistia frequentiori cultu colitur, per crebras communiones, visitationes aliasque functiones pias, nonne oporteret ampliari facultates quae circa hanc rem habent a iure Ordinarii?

Sic ut gravi de causa, ad maius bonum spirituale fidelium, illi, servatis servandis, permittere possint Ss. Eucharistiam asservari in quavis ecclesia aut oratorio publico vel semipublico; imo in pluribus oratoriis semipublicis eiusdem seminarii, collegii, etc.; et interinaliter in aliis aedibus ubi exercitia spiritualia traduntur; operarii missam audiunt; in campo missionis ad populum, quoties templum omnes assistentes capere non valeat; in similibus tandem casibus ubi id bonum populi postulet.

Can. 1274 § 1. *De expositione publica SS. Sacramenti.* Cum per decretum S. Congr. Rituum 23 martii 1955 n. 11: *A.A.S.* 47, 220, suppressa sit octava Corporis Christi, quid de facultate concessa vi can. 1274 § 1 celebrandi missam coram Sanctissimo publice exposito, intra totam octavam? In Hispania saepe magna cum sollemnitate celebratur in dominica infra octavam, vel forte una ex proximis dominicis, functio sic dicta *Minerva,* cum missa coram Sanctissimo publice exposito et processione eucharistica; ad quam aliae quoque paroeciae concurrebant. Nonne expediret ut locorum Ordinariis a iure concedatur potestas talia permittendi, pro suo prudenti arbitrio?

Nomine expositionis publicae venit benedictio eucharistica cum ostensorio (Comm. Interp. 6 martii 1927: *A.A.S.* 19, 161).

§ 2. Nonne opportunum esset agnoscere diacono potestatem impertiendi benedictionem, etiam sollemnem, deficiente presbytero: sicut eam tribuere potest cum sacram communionem ad infirmos defert, cum ipse sit minister expositionis et repositionis Sanctissimi Sacramenti; et sub nomine expositionis publicae veniat benedictio eucharistica? Quod quidem ita intelligendum est ut, ante repositionem debeat dari benedictio (C. Rit. 12 iul. 1889 d. 3713).

Re vera quandoque accidit ut solus diaconus adsit, cum fideles expositionem ac benedictionem eucharisticam expectent.

Can. 1283 § 2. *De reliquiarum authenticatione.* (Adde): *neque authenticare partem reliquiae ex authentica detractam* (Comm. Interp. 17 iulii 1933: *A.A.S.* 25, 345).

Can. 1285 § 1. (Adde): Qui sine speciali mandato nequit novum authenticitatis documentum tradere, vel sacrae reliquiae sigillum apponere (*ibid.*).

Can. 1363 § 1. *De admissione filiorum illegitimorum in seminarium.* Cum frequentissime eveniat ut filii illegitimi ad statum clericalem se vocatos sentiant, ipsaque irregularitas ex defectu natalium facile a S. Sede dispensetur, bonum fortasse esset quod Ordinariis daretur *a iure* facultas dispensandi ab hac irregularitate, nisi agatur de adulterinis vel sacrilegis. Quod si hoc non admittatur, saltem possit Ordinarius illorum admissionem in seminarium permittere, qua facultate gaudent Nuntii.

Can. 1376. *De studiis in Universitatibus Ecclesiasticis.* Constitutio *Deus scientiarum Dominus,* Pii XI, 24 maii 1931; magna quidem studiis ecclesiasticis attulit bona; attamen experientia 28 annorum edocuit reformationem aliquam quoad studiorum methodum fore opportunam. Omissis aliis, disciplinarum numerus apparuit nimius, quo factum est ut disciplina uniuscuiusque facultatis praecipua non parvum detrimentum subierit.

Re vera, alumni praeparandis per annum examinibus tot disciplinarum intenti, praecipuae studium summoque detrahunt, et nonnisi ad anni finem, quando de ea periculum subire debent, eidem incumbunt.

Quare insinuare liceat opportunitatem reformandi studiorum methodum a Pio XI praescriptam, praeter alia, quoad disciplinarum ac examinum numerum, ut alumni maiori nixu praecipuae disciplinae incumbere valeant.

Can. 1432 § 3. *De devolutione collationis beneficiorum ad S. Sedem.* (Adde): Nisi mora in providendo fuerit, non ex negligentia, sed ob absolutum defectum subditorum (Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 577).

Can. 1486. *De renuntiatione paroeciae cum reservatione pensionis.* (Adde): Potest tamen Ordinarius loci admittere renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii super beneficio paroeciali, in favorem parochi renuntiantis » (Comm. Interp. 20 maii 1923: *A.A.S.* 16, 116).

Can. 1507. *De taxis.* Can. 1507 praecipit ut taxae pro tota provincia ecclesiastica praefiniantur in concilio provinciali aut in conventu Episcoporum comprovincialium; et sint uniformes pro universa provincia. Hoc, hodiernis praesertim temporibus, incommoda non parva habet: *a*) Propter mutabiles conditiones oeconomicas taxae debent frequenter mutari,

ut temporibus accommodentur. Iam vero huiusmodi accommodationes difficilius fiunt pro tota provincia; et concilia provincialia aut conventiones episcopales forte non debita frequentia celebrantur; quo fit, teste experientia, ut taxae nimis antiquatae maneant. *b*) In provinciis parvis, ut sunt italicae, taxae uniformes pro provincia facile congruunt omnibus dioecesibus, quia conditio oeconomica in parvo territorio communis erit. Sed in provinciis magnae extensionis, valde varia est conditio oeconomica singularum dioecesium; quare uniformis taxatio non potest aptari diversae huic conditioni, ut aequum foret.

Ergo congrueret ut taxae omnes praefiniantur a singulis Episcopis cum suo Capitulo Cathedrali vel Consilio, pro propria cuiusvis dioecesi. Sic statuitur in can. 631 de missarum stipendiis; sic in can. 1056 de taxa pro missae celebratione a sacerdote extraneo solvenda; sic in can. 1234 de indice taxarum funeralium. Cur non sic de reliquis taxis?

Can. 1513 § 2. *De testamento informi pro causis piis...* hae si omissae fuerint, heredes moneantur (adde) *teneri se,* ut testatoris voluntatem adimpleant (Comm. Interp. 17 febr. 1920: *A.A.S.* 22, 195).

Can. 1513 § 2. *De ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae, absque sollemnitatibus civilibus.* « In ultimis voluntatibus *in bonum Ecclesiae* serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant ». Circa verba *in bonum Ecclesiae* controvertitur. Quidam opinantur ea restringenda esse ad ultimas voluntates *in favorem alicuius personae moralis;* eo quod ex can. 1498 in canonibus qui sequuntur nomine *Ecclesiae* venit quaelibet persona moralis in Ecclesia. Sententia autem communis illa verba extendit ad quaslibet causas pias, etsi non sint pro aliqua persona morali ecclesiastica. Quod probant ex historia canonis, ex communi antiquorum et recentiorum interpretatione; ex contextu cann. 1513 § 1 et 1514, qui ad omnes causas pias se extendunt; et ex schema anni 1913 ad respondentem can. 790 § 1. Nec obstat quod nomine *Ecclesiae* veniat quaelibet persona moralis, nam idem can. 1498 addit: « nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat », ut apparet in can. 1513 § 2 ex contextu etc. Praeterea nonne sunt *in bonum Ecclesiae* omnes causae piae?

Cum res sit tanti momenti, oporteret ut res hoc sensu definiretur. Simul expediret forsan ut determinaretur sensus verborum *causae piae, piae voluntatis,* de quibus adeo disceptatur.

Can. 1515 § 2. *De Ordinariis piarum voluntatum exsecutoribus.* Oporteret declarari quo sensu sint Ordinarii omnium piarum voluntatum exsecutores, ne nimium sibi tribuere velint. Nempe vi huius canonis qui disciplinam antiquam refert (*Decretal.* l. 3 tit. 26 c. 3, 6, 17; *Trident.* sess. 22), Ordinarius est tantum exsecutor *subsidiarius a iure,*

i. e., *a*) Si desint alii designati a testatore vel donatore; *b*) aut designati exsecutionem debito tempore ac modo non peragant (BENEDICTUS XIV, *De Synodo,* l. 3, cap. ult. n. 1).

Exsecutores delegati, de quibus § 2, intelligentur quos Ordinarius ipse designaverit tamquam subsidiarius a iure, vel tamquam ab herede vel donatore nominatus.

Can. 1517 § 2. *De facultate reducendi onera missarum.* (Adde): Nisi in tabulis fundationum expresse detur Ordinariis aliisve facultas reducendi missarum onera (Comm. Interp. 14 iun. 1922: *A.A.S.* 14, 529).

Cann. 534 § 1 n. 2, 1532. *De alienatione bonorum ecclesiasticorum.* Cann. 534 § 1 n. 2 et 1532 exigunt licentiam S. Sedis ad alienanda bona tantum si horum valor superet 30.000 francorum vel libellarum. Et tamdiu ex communi sententia approbata a S. Sede et in motu proprio Pii XII, 6 ian. 1950 can. 18 § 1 n. 1 et can. 46 § 1 *g*) pro orientalibus illa summa computanda est *moneta aurea.* Porro, S. C. Consistorialis 13 iulii 1951: *A.A.S.* 43, 602, statuit ut, perdurantibus adiunctis praesentibus, recurratur ad S. Sedem quoties agatur de pecunia quae 10.000 francorum seu libellarum aurearum excedat. Id est quantitatem in Codice consignatam reduxit ad tertiam partem. Deinde S. C. Concilii aequivalentiam in moneta currenti pro singulis nationibus determinavit.

Iam vero, cum pretium rerum omnium admodum excreverit, dum valor monetae valde decrevit, norma interinalis a S. C. Consistoriali data, quae adhuc perseverat, valde onerosa evasit; nam imponit necessitatem recurrendi ad S. Sedem pro alienandis rebus etiam non magni valoris; et in dies magis onerosa, quia monetae valor in dies decrescit. Quare optandum est ut ad normam cann. 534 § 1 et 1532 redeatur, ita ut recursus ad S. Sedem necessarius sit tantum ubi valor rei alienandae summam excedat *30.000 francorum seu libellarum aurearum.*

Can. 1532 § 1 n. 2. *De licentia ad alienationem plurium rerum.* (Adde): et de pluribus rebus eiusdem personae ecclesiasticae per modum unius alienandis, quae simul sumptae valorem excedunt triginta millia libellarum seu francorum (Comm. Interp. 20 iulii 1929: *A.A.S.* 21, 574).

Can. 1532 § 3. (Adde): Pretium rei, de quo hic, intelligitur a peritis taxatum, non vero maius pretium quod per publicam licitationem etc. offeratur; ita ut non requiratur venia S. Sedis, si pro pretio a peritis taxato infra libellarum triginta millia, offeratur tandem pretium hac summa superius (Praeses Comm. Interp. 24 nov. 1920: *A.A.S.* 12, 577). (Addi potest): Si nemo sit qui taxatum pretium offerat, nova taxatio fiat.

Can. 1532 § 1 n. 1. *De alienatione rerum pretiosarum.* Ad harum alienationem requiritur licentia S. Sedis. Porro can. 1497 § 2 *res pretiosas* definit eas quibus notabilis valor sit, artis, historiae, (adde): antiquitatis,

vel materiae causa. Nec S. Sedes determinavit unquam quantus valor censeatur *notabilis*. Communiori doctrina notabilis habetur qui mille libellarum vel francorum *aureorum* excedit.

Nonne oporteret ut hic notabilis valor determinetur? Ipsa S. Congr. Concilii interrogata: utrum ad alienationem rerum utcumque pretiosarum semper sit necessarium beneplacitum apostolicum; an possit Ordinarius intra certos summae limites huiusmodi alienationem permittere, respondit: « Ad Pontificiam Commissionem Codicis pro canonibus authentice interpretandis » (14 ian. 1922: *A.A.S.* 14, 160); quae responsum nondum dedit.

De alienatione donariorum votivorum. De his donariis nihil Codex. At S. Cong. Concilii, ibidem declaravit: 1° Ad alienationem quorumcumque requiritur beneplacitum apostolicum. 2° Idque etsi oblator in alienationem ultro consentiat. 3° Mera oblatio doni ad altare vel ad sacram iconem praesumptionem voti secumfert, nisi de contraria donatoris vel offerentis voluntate aliunde constet.

Responsa haec valde severa visa sunt. In multis enim locis usus exsistit quo multa dona offeruntur non *ex voto,* sed ex libera offerentis voluntate. Aliunde res oblatae saepe minimi sunt momenti, et ob suam multitudinem, et ob loci angustiam, aut alia de causa, potius obstant. Nonne ergo expediret ut de donariis votivis aliquid in Codice reformato statuatur?

LIBER QUARTUS

Can. 1552. *De processu iudiciali in simpliciorem formam reducendo.* In multorum votis est ut systema iudiciale multum simplificetur. Et re quidem vera hodie processus iudicialis vix unquam observatur nisi in causis matrimonialibus. At etiam in his desideratur brevior ac simplicior processus. Quare rem utillimam egerit Commissio ad Codicis reformationem constituta, si huic operi manus admoveret.

De processu administrativo. Hodie etiam in iure civili ampliorem locum habet, utpote brevior et expeditior nec minus aequus et efficax plerumque. Poenae ecclesiasticae vix unquam per processum iudiciarium applicantur, etiam gravissimae. Sic SS. Congregationes Romanae etiam poenam maximam degradationis per processum administrativum applicant. Aliunde ex plurium canonistarum sententia, quaecumque poenae processu administrativo possunt imponi. Immo ad quasdam poenas applicandas, processus quidam administrativus praescribitur in Codice l. 4 tit. 30-33.

Ergo forsan expediret ut declararetur quasvis poenas processu administrativo applicari posse. Ne tamen nimium arbitrarium in eis appli-

candis relinqueretur Ordinariis, oporteret ut aliquis simplex processus ordinaretur a S. Sede; sicut etiam pro causis merae coniugum separationis processu administrativo tractandis (can. 1131).

Forma autem huius processus administrativi ad poenas infligendas aut declarandas, haec fere posset statui.

1° Cum delicti notitia ad Ordinarium (excluso Vicario Generali sine speciali mandato) venerit, sive ex denuntiatione sive ex inquisitione, Ordinarius, si solida ratione nitatur imputatio, vocet ad se praesumptum reum, assignato congruo ad comparendum temporis spatio.

2° Si reus nec compareat, nec respondeat, iterum vocet eum sub poenae comminatione.

3° Si haec secunda quoque citatio incassum venerit, poena inobedientiae imponatur, postquam constiterit citationem ad reum pervenisse, aut pervenire debuisse, et ipsum nullo serio impedimento detentum comparitionem aut responsum omisisse. Insuper eidem significetur, verbis saltem generalioribus, delictum sibi imputatum, monito quod, nisi pareat, procedetur contra eum, quasi contra contumacem.

4° Si delictum confiteatur, poena ei non infligetur, nisi agatur de delictis quae secumferant poenam privationis beneficii, infamiae, depositionis aut degradationis; sed reprehendatur, cum salutaribus monitis, et plerumque adhibitis opportunis remediis ac impositis poenitentia vel piis operibus quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali.

5° Quod si imputationem oppugnare velit, potest dilationem ad probationes afferendas postulare, quam Ordinarius concedere potest.

6° Rationes a reo adductas Ordinarius cum duobus consultoribus perpendat, approbet aut reiiciat.

7° Decisio, sive affirmativa, sit, sive negativa, seu poenae impositiva, reo significetur decreto.

8° Contra hoc datur recursus *in suspensivo* ad S. Sedem, intra decem dies ab intimatione decreti reo facta.

9° Licet reo paucos testes pro se inducere, et advocato uti.

10° Si de declaranda poena agatur, locus non est correptioni. Poenam latae sententiae declarare generatim committitur prudentiae Superioris; sed sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente, declaratio fieri debet (can. 2223 §4).

Can. 1601. *De actione iudiciali contra Ordinarios.* Nequit institui actio iudicialis contra Ordinariorum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem dioecesis spectent, ex. gr. collationem beneficii, officii, etc. Sacris Congregationibus exclusive competit cognitio tum huiusmodi decretorum, actuum, dispositionum, tum damnorum quae

quis praetendat ex iis illata esse (Praeses Comm. Interp. 22 maii 1923: *A.A.S.* 16, 251).

De recursibus ad S. Sedem. Quem effectum habent: devolutivum tantum, an etiam suspensivum?

Ex Codice, recursus generatim sunt in *devolutivo* tantum, *non in suspensivo,* i. e. transferunt cognitionem quaestionis ad SS. Congregationes; sed pendente recursu, non suspenditur exsecutio decreti seu dispositionis Ordinarii, quod potest exsecutioni mandari. Sex recursus in suspensivo inveniuntur in Codice (cann. 647 § 2; 1465 § 1; 1709 § 3; 2153 § 1; 2243 § 2; 2287).

Tempus recurrendi quando recursus est in devolutivo tantum, non limitatur; et SS. Congregationes quotidie recipiunt recursus contra Ordinariorum decreta, etiam multo tempore post ea data. Quando autem est in suspensivo, in tribus casibus (cann. 1465 § 1; 1709 § 3; 2153 § 1) assignatur *decendium* a decreti intimatione, ad recursum interponendum: idem tempus assignavit S. Congr. Religiosorum 20 iulii 1923 (*A.A.S.* 15, 457) ad can. 647 § 2; et S. Congr. Concilii 12 ian. 1924 (*A.A.S.* 16, 162) ad can. 2146. Ne maneat suspensa exsecutio sine die. In aliis casibus, v. gr. can. 2287, tempus non determinatur.

Ergo non incongrue proponerentur, ad uniformitatem, hae normae: 1ª Recursus ad SS. Congregationes contra Ordinariorum, aliorumve Superiorum decreta seu dispositiones sunt in devolutivo tantum, nisi aliud iure caveatur. 2ª Tempus interponendi recursus in devolutivo tantum non determinatur; in suspensivo sunt decem dies a decreti intimatione. 3ª Interpositio recursus in suspensivo a recurrente notificetur Ordinario vel Superiori qui decretum tulit.

Can. 1565 § 1. *De foro competenti ratione contractus.* (Adde): Sed pars conveniri non potest coram Ordinario loci in quo contractus initus est, vel adimpleri debet, si iam e loco discesserit (Comm. Interp. 14 iulii 1922: *A.A.S.* 14, 529).

Hoc autem non extenderetur ad locum *contractus matrimonialis,* qui peculiaribus normis regitur (can. 1964). *Generi per speciem derogatur* (Reg. Iur. 34 in Sexto). S. Cong. Sacramentorum in Instructione de processibus dioecesanis in causis nullitatis matrimonii, 15 aug. 1936 (*A.A.S.* 28, 313), refert quidem can. 1964 non autem memoratam declarationem Commissionis Interpretum.

Ergo addendum esset supra: « nisi de causa matrimoniali agatur ».

Can. 1572 § 2. *De foro competenti quoad causas Episcoporum.* (Adde): In his controversiis quae ad tribunal dioecesanum deferuntur, Episcopus potest non solum *convenire,* tamquam auctor, sed etiam *conveniri,* tamquam reus.

Can. 1573. *De potestate Officialis constituendi tribunal collegiale.* (Adde): § 3. Officialis constituere potest tribunal collegiale, vocando per turnum iudices synodales, nisi hoc Episcopus sibi reservaverit (Comm. Interp. 26 iulii 1932: *A.A.S.* 24, 314).

Can. 1651. *De curatore pro destitutis usu rationis.* (Adde): Ad dandum procuratorem iis qui rationis usu sunt destituti vel minus firmae mentis, non requiritur regulare iudicium, sufficit decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione.

Can. 1712, 1877. (Adde): Denuntiatio citationis et communicatio sententiae fieri debent ipsi curatori legitime constituto (Comm. Interp. 25 ian. 1943: *A.A.S.* 35, 58).

Can. 1761 § 1. *De communicatione articulorum alteri parti.* (Adde): Probari potest praxis vi cuius iudex communicare cum altera parte solet positiones seu articulos, ut interrogatorium conficiat, remoto subornationis periculo (Comm. Interp. 12 martii 1929: *A.A.S.* 21, 170).

Can. 1890. *De transmissione actorum.* Acta causae (adde): « et acta processus... » (Comm. Interp. 13 ian. 1942: *A.A.S.* 34, 50).

Can. 1894 n. 3. *De nullitate sententiae.* (Adde): Etiam lata a tribunali collegiali et subscripta tantum a praeside tribunalis et notario (Comm. Interp. 14 iulii 1922: *A.A.S.* 14, 529).

Cann. 1903, 1989. *Causae de coniugum separatione.* Hae recensendae sunt inter causas nunquam transeuntes in rem iudicatam (Comm. Interp. 8 aprilis 1941: *A.A.S.* 33, 173).

Declaratio haec plura et magna incommoda iudicibus et partibus genuit, quarum una saepe abutitur ea declaratione ad protrahendum iudicium, cum alterius partis nocumento.

Ante illam declarationem non censebantur talem indolem habere; et ordinario processu tractabantur; nec requirunt interventum defensoris vinculi; neque duplicem sententiam quae separationem pronuntiet. Quare non deest ratio proponendi ut causae de mera coniugum separatione revertantur ad suam pristinam conditionem, qua possint in rem iudicatam transire, et ad normam communem tractari.

Can. 1962. *Competentia S. Officii in causis matrimonialibus.* (Adde): Item causas quaslibet inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, quocumque modo ad S. Sedem delatas (Comm. Interp. 27 ian. 1928: *A.A.S.* 20, 75).

Can. 1962. *Competentia S. C. Sacramentorum.* 1° Huic non competit generalis et praeeminens iurisdictio in causis nullitatis matrimonii, ita ut eas ad se avocare, vel earum cursum aut sententiarum in iisdem latarum exsecutionem suspendere valeat.

2° In his causis ei competit: *a*) Ius dirimendi quaestiones de vali-

ditate matrimonii, quae ad eamdem deferantur; dummodo accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, ad normam canonis 249 § 3.

b) Ius definiendi quaestiones de competentia iudicis ratione quasidomicilii, iuxta Instructionem eiusdem S. Congregationis, 23 dec. 1929.

c) Iura de quibus in litteris circularibus ipsius S. Congregationis, 1 iulii 1932, de relatione causarum matrimonialium quotannis eidem mittenda; necnon iura de quibus in numeris IV et V Motu proprio *Qua cura,* Pii XI, 8 dec. 1938, de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae, pro causis nullitatis matrimonii decidendis.

3° In causis nullitatis matrimonii promotor iustitiae et defensor vinculi non sunt ut delegati huius S. Congregationis, ita ut haec eorum partes moderari valeat.

4° In casu denuntiationis nullitatis matrimonii, de qua in can. 1971 § 2, nequit se ingerere, in iis quae praecedunt accusationem matrimonii; salvo recursu adversus Ordinarii iudicium, re adhuc integra (Comm. Interp. 8 iulii 1940: *A.A.S.* 32, 317).

Can. 1964. *De foro quasidomicilii in causis nullitatis matrimonii.* Oportet Codici inseri normas Instructionis S. Congr. Sacramentorum 23 dec. 1929: *A.A.S.* 22, 168).

Can. 1964. *De foro quoad uxorem.* (Adde): Uxor a viro malitiose deserta eum convenire non potest coram Ordinario proprii ac distincti quasidomicilii; sed convenire debet coram Ordinario domicilii aut quasidomicilii viri.

Actrix catholica a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasidomicilium habet, virum acatholicum convenire potest coram Ordinario proprii ac distincti quasi domicilii, vel etiam coram Ordinario domicilii viri (Comm. Interp. 14 iulii 1922: *A.A.S.* 14, 529).

Can. 1971. *De iure accusandi et denuntiandi matrimonium.* Hic inserantur diversae declarationes Commissionis Interpretum, quandoque non sibi cohaerentes, et S. Officii.

1° Vox « impedimenti » can. 1971 § 2 n. 1 intelligenda est non solum de impedimentis proprie dictis (can. 1067-80), sed etiam de improprie dictis (can. 1081-1903); id est, de defectu consensus ac formae (Comm. Interp. 12 martii 1929: *A.A.S.* 21, 171).

2° Acatholicus, sive baptizatus sive non, in causis matrimonialibus actoris partes agere nequit: si peculiares occurrant rationes, recurrendum ad S. Officium (S. Off. 27 ian. 1928: *A.A.S.* 20, 75).

3° Apostatae, ii nempe qui nati et baptizati in Ecclesia Catholica, postea a vera fide deficientes, nomen dederunt sectae acatholicae vel

sine religione se declararunt, recensendi sunt inter acatholicos (S. Off. 15 ian. 1940: *A.A.S.* 32, 52).

4° Promotor iustitiae, sine praehabita facultate S. Officii, nequit matrimonium accusare, si nullitas fuerit denuntiata a coniuge acatholico, nisi publicum bonum Ordinarii iudicio id postulet (S. Off. 22 martii 1939: *A.A.S.* 31, 131).

5° Potest matrimonium accusare coniux qui metum aut coactionem passus est.

6° Non est habilis ad accusandum coniux qui fuit *causa culpabilis* sive impedimenti sive nullitatis matrimonii.

7° Habilis est qui causam impedimenti *licitam et honestam* apposuit.

8° Promotor iustitiae vi muneris sui agit in iudicio (Comm. Interp. 17 iulii 1933: *A.A.S.* 25, 345).

9° Inhabilis est tantum coniux qui fuit *causa directa et dolosa* impedimenti aut nullitatis, non autem qui causa exstitit *indirecta vel doli expers* (Comm. Interp. 27 iulii 1942: *A.A.S.* 34, 341).

10° Coniux inhabilis ad accusandum ius non habet appellandi vel recurrendi adversus sententiam in favorem matrimonii latam salvis extraiudicialibus recursibus (Comm. Interp. 3 maii 1945: *A.A.S.* 37, 149).

11° Inhabilitas coniugis ad accusandum matrimonium non fert secum incapacitatem standi in iudicio, ita ut sententia vitio insanabilis nullitatis laboret (Comm. Cod. 4 iunii 1946: *A.A.S.* 38, 162).

12° Coniuges inhabiles ad accusandum matrimonium, ius tamen habent nullitatem Ordinario vel promotori iustitiae denuntiandi (Comm. Interp. 17 febr. 1930: *A.A.S.* 22, 196).

13° Ad hoc tenentur adire Ordinarium vel promotorem iustitiae tribunalis competentis ad videndum de causa nullitatis sui matrimonii, nec possunt alium Ordinarium vel alium promotorem iustitiae adire (Comm. Interp. 6 dec. 1942: *A.A.S.* 36, 94).

Commentaria in has resolutiones vide apud F. REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis Iur. Can.*, n. 815-26; ed. 3, 1953.

Ut patet, can. 1971 multis dubiis obnoxius est: et non obstantibus tot declarationibus, difficilis applicationis fit; haud enim facile est in concreto definire utrum coniux fuerit culpabilis; utrum fuerit causa directa et dolosa impedimenti aut nullitatis. Et tandem etiam in hoc casu capacitatem habet standi in iudicio, ita ut sententia valeat. Ergo ad vitandas quaestiones incidentes, et ad rei simplicitatem forsan expediret ut can. 1971 sic redigeretur: § 1. Habiles ad accusandum sunt: 1° Coniuges quicumque in omnibus causis separationis et nullitatis. 2° Promotor iustitiae ubi boni publici intersit.

§ 2. Reliqui omnes non habent ius matrimonii accusandi, sed tan-

tummodo matrimonii nullitatem denuntiandi, Ordinario vel promotori iustitiae tribunalis competentis ad videndum de causa nullitatis illius.

Can. 1976-82. *De inspectione corporali.* Prae oculis habeatur Insstructio S. Off. 12 iunii 1942 (*A.A.S.* 34, 200).

Can. 1976. (Adde): Examen physicum coniugum, praesertim mulieris, utpote inutile, *omittitur*: *a*) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi. *b*) Si iam constat de mulieris defloratione. *c*) Si ex inspectione viri plene constiterit de huius incapacitate ad matrimonium consummandum.

Omitti poterit, si attenta partium et testium excellentia, ac serio pensatis eorum animi dispositionibus, necnon ceteris adminiculis aut argumentis, Ordinarii iudicio plenissima iam habeatur probatio de impotentia vel de inconsummatione.

Can. 1986. *De appellatione defensoris vinculi.* Forte prudenter adderetur haec mitigatio: Non teneretur tamen appellare, si in prima instantia nullitas *evidenter* probata fuit. Hoc probabile habent WERNZ-VIDAL, *Ius Matrimoniale,* n. 705 (1946); F. REGATILLO, *Casus Canonico-morales* III, n. 701 (1960); et conforme videtur dictis a Pio XII ad Rotam 2 oct. 1944 (*A.A.S.* 36, 283): Debet absolute agnosci defensori vinculi, cum id casus postulet, ius declarandi, se post diligens actorum examen nihil invenisse quod rationabiliter opponi possit contra actoris petitionem.

Ex his verbis erui potest non teneri defensorem vinculi appellare, si possit illam declarationem facere; et posse tribunal primae instantiae, iam sententiae exsecutionem decernere. Appellatio enim et secunda instantia essent inutiles, et sine utilitate iudicium protraherent, quod quidem crebro in Codice improbatur (can. 1620). Frivola esset appellatio, si nullitas manet evidenter probata; imo vinculi defensor sibi contradiceret, si ex una parte declarasset se nihil habere obiiciendum, ex altera autem appellasset.

Can. 1987. *Appellatio discretionalis.* Si defensor vinculi appellet contra secundam sententiam quae nullitatem matrimonii declaravit, defensor vinculi huius ulterioris instantiae interpositam appellationem pro sua conscientia deserere potest; ita ut tribunal in casu nequeat defensori vinculi appellationem deserenti eiusdem prosecutionem imponere (Comm. Interp. 29 maii 1947: *A.A.S.* 39, 375).

Can. 1990. *De iudicio matrimoniali summario:* ... simulque (dicatur) « *pari certitudinis gradu* » apparuerit... poterit Ordinarius (adde): vel *officialis, non autem Vicarius Generalis...* (Comm. Interp. 16 iunii 1931; 13 dec. 1943; 6 dec. 1943: *A.A.S.* 23, 353; 36, 94).

De casibus nullo processu egentibus. Nullus processus est necessarius

ad declarandam nullitatem matrimonii, ut aiunt, civilis, si personae ad ordinariam formam canonicam obstrictae, et tamen civiliter unitae, matrimonium canonicum cum aliis contrahere volunt. Huiusmodi casus resolvendi sunt ab Ordinario, vel a parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem (Comm. Interp. 11 oct. 1919: *A.A.S.* 11, 479).

Can. 2004 § 3. *De sede postulatoris in causis beatificationis.* (Adde): « si de processu apostolico agatur » (Comm. Interp. 16 ian. 1936: *A.A.S.* 28, 178).

Can. 2006 § 1. *De mandato procuratorio...:* Neque censeatur legitimum nisi cum fuerit a S. Congregatione admissum et in eiusdem actis inscriptum (adde): « si de processu apostolico agatur ».

Sic enim respondet S. Congregatio: se nihil habere faciendum, nisi postquam acta processus ordinarii ad se delata fuerint.

Can. 2039 § 1. *De Ordinario competenti in processu informativo.* ... Aut miracula contigerunt (adde): « non autem Ordinarius loci in quo testes utiliter examinandi sunt » (Comm. Interp. 25 iulii 1931: *A.A.S.* 23, 388).

Can. 2101. *De tempore disceptandi super virtutibus ac martyrio.* Desiderandum ne exigatur tempus 50 annorum a morte Servi Dei; nam interea omnes fere testes mortui sunt. Aliunde non raro ab hoc dispensat S. Sedes; quae dispensatio saepe fidelibus non grata fit cum pro aliis Servis Dei concedatur, pro aliis non. Praeterea praescriptum huius canonis non extenditur ad disceptationem martyrii (Comm. Interp. 28 iulii 1932: *A.A.S.* 24, 314).

De processu beatificationis et canonizationis. Omnino simplificandus videtur, rescissis non paucis tramitibus et sollemnitatibus; et maiori celeritate perficiendus, ne pereant probationes, praesertim testificales; et ut sumptus minuantur, et ne postulatores ipsi, qui causam susceperunt, moriantur aut prae senio causam agere nequeant, antequam processus fiat. Hoc in votis est omnium postulatorum.

Cann. 2186-94. *Processus suspensionis ex informata conscientia.* Tit. 30 lib. 4: abrogandus videretur, utpote hodie inusitatus, odiosus, et non paucis incommodis obnoxius.

LIBER QUINTUS

Can. 2195. *De iure poenali simplificando. Ius poenale* reformari et simplificari oporteret, ita ut *a*) effectus a se intentos reapse obtineat; *b*) a fidelibus, saltem eruditioribus, intelligi queat; *c*) a sacerdotibus, maxime a confessariis, retineri possint saltem ea quae actu sciri deberent.

In concreto haec insinuanda occurrunt. 1) Supprimatur poena interdicti, utpote iam fere inusitata, saepe inefficax, quandoque etiam nociva. 2) Supprimantur aliquae poenae latae sententiae, conservatis tantum iis quae frequentioris usus sunt et quibusdam aliis quae ob delicta gravissima, etsi rariora, imponuntur. 3) Ne delinquentes possint in posterum ob his poenis excusari ob ignorantiam, moneantur confessarii ut poenitentibus ignorantibus notas faciant sanctiones in quas incurrent, si iterum delinquant.

Can. 2225. *De poenae impositione aut declaratione per sententiam aut per decretum.* Frequens fit mentio, per totum Codicem, poenae inflictae vel declaratae *per sententiam,* scilicet iudicis: cui impositioni vel declarationi graviores effectus tribuuntur, quandoque etiam nullitatis actus. At poenae possunt imponi ac declarari etiam *per decretum* administrativum superioris (can. 2225); nullibi autem indicantur effectus huius inflictionis vel declarationis *per decretum* factae. Habetne eumdem effectum inflictio aut declaratio poenae *per decretum* facta, ac *per sententiam?*

Quaestio est controversa. Affirmandum videretur. Nam verbum *sententia* habet in iure poenali significationem *latam* et *impropriam,* quae comprehendit et pronuntiationem iudicis et decretum superioris infligentis aut declarantis poenam: immo ipsam legem, quatenus poenam constituit ipso facto incurrendam. Sic dicitur poena *latae sententiae,* quamvis nulla pronuntiatio iudicis aut superioris intercesserit (can. 2217 § 1 n. 2).

Tamen quaedam distinctio insinuatur inter inflictam aut declaratam per sententiam in foro contentioso, et per decretum seu praeceptum extraiudiciale. Sic ex can. 2237 § 1, n.1. Ordinarius remittere potest poenas *latae sententiae* iuris communis, exceptis casibus ad *forum contentiosum* deductis.

Distinctio suadetur. Nam: *a*) Sententia requirit sollemnitatem, strepitum forensem (can. 2225); decretum processum specialem non postulat. *b*) Sententia producit notorietatem *iuris* (can. 2197, 2°); non sic decretum; poenae per decretum impositae vel declaratae saepe manent occultae. *c*) Si suspensio prohibet actum iurisdictionis, hic est invalidus *post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* (can. 2248); hinc decretum quo infligitur aut declaratur suspensio videtur non habere eumdem effectum.

Est qui dicat: si praeceptum vel decretum, quo infligitur aut declaratur poena, publicatur, v. gr. in *Acta Apostolicae Sedis* vel in ephe-

meride dioecesana officiali, sententiae aequivalet, attento fine legis seu notorietate; eosdemque parit effectus ac sententia.[1]

In praxi, quoniam in poenis benignior est interpretatio facienda (can. 2219 § 1), mitior opinio teneri potest. At cum hodie omnes fere poenae imponantur vel declarentur per decretum administrativum, et aliunde agatur de re valde gravi, fortasse oportebit ut dubium a S. Synodo dissipetur.

Can. 2367 § 2. *Inductio indirecta ad tacendum peccatum complicitatis.* Inter indirecte inducentes adnumerandus est etiam confessarius, qui sive intra sive extra confessionem sacramentalem alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum; eumque consequenter de aliis tantum sibi confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere (S. Off. 16 nov. 1934: *A.A.S.* 634).

Est abusus satis frequens, qui gravem sanctionem meretur. At canonistae non vident quomodo hic habeatur absolutio ficta complicis, cum ex parte poenitentis peccatum non fuerit, utique ex falsa persuasione a sacerdote incussa; nec idem poenitens factum confessus fuerit. Quid ergo damnatur excommunicatione latae sententiae S. Sedi specialissime reservata? Non apparet quid damnetur, nisi forte prima confessio quam poenitens ille faciat sacerdoti complici post actum illum, cum nondum alii sacerdoti confessus fuerit. At hoc ipsum difficultate non caret.

Viderit ergo S. Concilium utrum expediat responsum S. Officii adiicere canoni 2367 § 2, absque ulla declaratione; an adiecta hac explicatione: « Sacerdos qui sic se gesserit in supradictam poenam incurrit, si primam confessionem audiat talis poenitentis, eumque solvat, post actum illum, cum hic nondum alii sacerdoti confessus fuerit ».

Haec nunc suggerenda censuimus; multa alia proponi possent pro Codice Iuris Canonici nostris temporibus accommodando.

---

[1] CAPPELLO, apud *Periodica de re morali, canonica, liturgica,* 1930, p. 38.

UNIVERSITAS CATHOLICA
"LOVANIUM"

UNIVERSITAS CATHOLICA « LOVANIUM »

Léopoldville, le 21 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Magnas Eminentiae Tuae refero gratias quod in exquirendo iuxta voluntatem Summi Pontificis, Ioannis Papae vicesimi tertii, feliciter regnantis, quaenam vota ac argumenta Universitates catholicae per orbem dispersae Patribus futuri Concilii Oecumenici proponi exoptent, etiam ad nostram appellavit Universitatem.

Obsecundans desiderio Eminentiae Tuae Facultatem Sacrae Theologiae rogavi ut serium institueret studium de rebus ac argumentis quae utiliter ac opportune ad maius Ecclesiae ac animarum bonum iudicio futuri Concilii Oecumenici submitti possint in Domino.

Quo studio sedulo ac diligenter, ut mihi compertum est, peracto, vota ac sententias huius Sacrae Theologiae Facultatis Professorum Eminentiae Tuae transmitto, e corde exoptans fore ut conamina, Deo opitulante, ex dissitis etiam Africae regionibus quoddam afferant emolumentum ad perficiendum opus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae, cui Eminentia Tua praestantissimam navat operam ac tam insigniter praesidet.

Eminentiae Tuae manus reverenter deosculans, summa qua par est devotione permaneo,

Eminentiae Tuae Servus in Christo

LUCAS GILLON
Universitatis Catholicae Leopoldopolitanae
Rector Magnificus

PARS I

VOTA SPECTANTIA DOCTRINAM ECCLESIAE

Caput I – De natura, hierarchia et membris laicis Ecclesiae

In votis est ut ad finem deducatur opus in Concilio Vaticano Primo inceptum, non debilitando sed complendo ea quae ibi iam definita sunt, dando sc. doctrinam complementariam tum de natura Ecclesiae, tum de eis quae iure divino et ecclesiastico variis gradibus hierarchiae et ordini laicorum in Ecclesia competant.

Proponatur definitio verae Christi Ecclesiae quae ad mentem Encyclicae *Mystici Corporis Christi* tum progressus theologici his ultimis annis praesertim per renovatum studium Sacrae Scripturae acquisiti rationem habeat, tum ad mentem coaetaneorum nostrorum melius appellet, tum etiam fratribus nostris separatis monstrare valeat plures obiectiones, quas adversus Ecclesiam movent, solido carere fundamento.

Quoad episcopatum etiam quaedam ulterior elucidatio exoptabilis apparet. Sane ab omnibus admittendum est adiuncta in quibus versatur mundus hodiernus maiorem quam tempora antiqua requirere centralisationem regiminis Ecclesiae et iudicium ultimum de opportunitate ac mensura huius centralisationis esse penes Romanum Pontificem, quippe qui primatum iurisdictionis exerceat in universam Ecclesiam; immo neminem latet talem corroborationem regiminis centralis plerumque maiorem efficaciam conferre ipsi auctoritati pastorum ecclesiarum particularium. Ex alia parte autem e Sacra Scriptura et e Traditione divino-apostolica elucet episcopatum, etsi exercitium eius novis adiunctis conformari possit ac debeat, pertinere ad divinam constitutionem Ecclesiae ac proinde quoad ipsam suam essentiam iure divino esse irreformabilem.

Centralisatio, utique in adiunctis hodiernis necessaria, non ad hoc devenire potest ut per nimis frequentes interventus regiminis centralis Ecclesiae in regimen ecclesiarum particularium, praesertim in rebus disciplinaribus internis, ius divinum, quod episcopatui inest, oculis fidelium obnubilaretur. Hanc semper fuisse Ecclesiae sententiam luculenter i. a. patet ex veneranda illa antiqua et Conciliis Oecumenicis sancita et comprobata ecclesiastica institutione patriarchatuum, quae institutio insuper praeclarum praebet testimonium catholicitatis Ecclesiae, quae

unitate quidem, non autem uniformitate quoad ea, quae non ad structuram eius divinam sed ad eius vitam pertinent, constat.

Unde iam sequentia vota proponimus:

§ 1. *De natura Ecclesiae.*

Tamquam descriptiva definitio Ecclesiae proponitur: Ecclesia est Corpus Christi Mysticum, novum populum electum Dei (cf. *Gal.* VI, 16; *I Petr.* II, 10) congregans; a sacra hierarchia, cuius primatum iurisdictionis, cum vera potestate episcopali ad singula huius Corporis membra hic in terris sese extendentis (Conc. Vat., cf. *Dz.* 1827), tenet qua caput vicarium Ecclesiae Romanus Pontifex, gubernandum; a Spiritu Sancto, qui est Spiritus Christi, indesinenter animatum; crescens ad plenitudinem suam, sibi obventuram in die Parousiae Domini, in qua Christus, qui etiam nunc, tum modo invisibili per se ipsum directo, tum modo visibili per Romanum Pontificem et Episcopos (cf. Enc. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.,* XXXV, 1943, 209-211), ut *solus Dominus* (cf. *I Cor.* VIII, 6) Ecclesiam gubernat, etiam directo visibile regimen Ecclesiae, abhinc in aeternum regnantis, reassumet.

§ 2. *De muneribus hierarchicis et de officiis ecclesiasticis in genere.*

Ecclesia, cum sit Corpus Christi Mysticum ac, ut ait Sanctus Paulus, in corpore « pro invicem sollicita sint membra » (cf. *I Cor.* XII, 25), munera ac officia eorum, qui in hoc Corpore potestate fruuntur ac eius « primaria ac principalia membra existunt » (cf. Enc. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.* XXXV, 1943, 200), semper consideravit ut « diakonias », « ministeria » (v. g. *I Cor.* XII, 5), quibus « ministri Christi » (cf. v. g. *I Cor.* IV, 1; *II Cor.* VI, 4), exemplum Christi secuti (cf. *Mt.* XX, 28; *Phil.* II, 7) sese impendunt in obsequium omnium membrorum huius Corporis (cf. Enc. *Mystici Corporis Christi,* loc. cit.).

§ 3. *De infallibilitate Romani Pontificis.*

Charisma infallibilitatis activae, qua Spiritus Sanctus hierarchiam et caput eius, Romanum Pontificem, assistit, etiam efficit ut definitiones « ex cathedra » Romani Pontificis « ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles » (Conc. Vat., cf. *Dz.* 1839), numquam fidei universalis Ecclesiae aut consensui unanimi corporis episcoporum contradicant.

§ 4. *De episcopis.*

Episcopi, ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino intra unitatem Ecclesiae universalis variis portionibus dominici gregis praeponendi, canonica institutione legitime secundum normas iure ca-

nonico statutas accepta ac in unione cum Romano Pontifice perseverantes, iure divino illarum peculiarium ecclesiarum veri pastores et authentici doctores seu iudices fidei constituuntur. Etsi non plane sui iuris sunt sed iure divino sub auctoritate primatus iurisdictionis Romani Pontificis positi, tamen immediate nomine Christi, cuius vices gerunt, gregem sibi assignatum et singulos eius fideles regunt cum ordinaria et propria iurisdictionis potestate.

Verum etiam qua legitimi Apostolorum successores ex Dei institutione et praecepto supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam expertes non sunt (cf. Conc. Vat., schema II de Eccl., cap. IV, *Mansi,* 53, 310) cum non tantum Beato Petro, cui Romanus Pontifex in primatu iurisdictionis succedit, sed et ceteris, ut semper intellexit Ecclesia, Apostolis dictum sit: « Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo » (*Mt.* XVIII, 18) et « Sicut misit me Pater et ego mitto vos » (*Io.* XX, 21).

Quapropter eorum sollicitudo sub primatu Romani Pontificis aliquomodo ad universam sese extendit Ecclesiam, quod manifeste apparet occasione praesertim Conciliorum Oecumenicorum, « quae suprema pollent in universam Ecclesiam potestate » (*C.I.C.* can. 228, § 1). In his Conciliis episcopi, praesidente iuxta ea quae iure canonico statuta sunt (*C.I.C.* can. 222, § 2) Romano Pontifice vel legato eius, pro universa Ecclesia edunt decreta disciplinaria et definitiones de re fidei et morum, quae definitiones de re fidei et morum, accedente approbatione Romani Pontificis, iam eo ipso, per assistentiam Spiritus Sancti Ecclesiae promissam, ea infallibilitate pollent, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

Agnoscant et revereantur ergo fideles episcopos suos, Romano Pontifici tamquam fratres in « coetu caritatis » (cf. S. Ign. Ant., *Ep. ad Rom.,* Inscr. *MG.* 5, 685) unitos et eius primatui subiectos, ut loco ac nomine Dei et Iesu Christi (cf. S. Ign. Ant., *Ep. ad Eph.,* III, 2, *MG.* 5, 684; *Ep. ad Magn.* VI 1, *MG.* 5, 668; *Ep. ad Trall.* II, 1, *MG.* 5, 676), ecclesiae peculiari praesidentes, quippe qui plenitudine sacerdotii hierarchici induti et veri pastores et doctores fidei a Spiritu Sancto constituti (cf. *Act.* XX, 28), Christum sacerdotem, regem et doctorem gregi sibi commisso reddunt praesentem.

§ 5. *De laicis.*

Memores sint laici eminentis dignitatis, quae eis, per Baptismatis lavacrum « Spiritu Sancto signatis » (cf. *Eph.* I, 13 et IV, 30; Tit. III,

5-7), obvenit: membra Mystici Corporis Christi reapse effecti (cf. Enc. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.* XXXV, 1943, 202) simul cum hierarchia « genus electum » et « regale sacerdotium » (cf. *I Petr.* II, 9), quod tamen a sacerdotio hierarchico est essentialiter diversum, constituunt. « Ordini laicorum » (cf. Enc. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.* XXXV, 1943, 201) in instaurando et propagando Regno Christi munus « consecrationis mundi » peculiari modo demandatum est (cfr. Alloc. Pii XII, habita die 5 oct. 1957, *A.A.S.* XLIX, 1957, 927).

Caput II – De reunione christianorum a Sancta Sede separatorum.

In votis est ut Concilium bene explicet quomodo Ecclesia Catholica sese habeat relate ad sic dictum « motum oecumenicum ». Haec quaestio iam saepe in documentis Apostolicae Sedis agitata est, sed adhuc exoptatur quaedam expositio systematica, ex Auctoritate Suprema in Ecclesia emanans. Haec declaratio inter alia sequentia continere possit:

— Unica vera et sancta Ecclesia Christi semper ea fuit quae « supra petram fundata » (*Mt.* XVI, 18) primatum successoris S. Petri plene agnovit, sed hoc non impedit quominus non semel membra huius Ecclesiae ea caritate et ea sanctitate caruerint, quibus semper eminere deberent veri discipuli Christi. Peccata filiorum suorum humiliter fateatur Ecclesia Catholica.

— Ecclesia Catholica, quae semper agnovit apud non-catholicos saepe manere plurima vestigia verae doctrinae Christi, in memoriam revocet v. g. se, duce S. Augustino, semper sacramenta quae administrantur apud non-catholicos ut vera sacramenta Christi agnovisse dummodo debita forma et materia cum debita intentione conferantur. Quaecumque bona et recta apud non-catholicos inveniuntur Ecclesia Catholica pro posse suo libenter servare intendit: ita traditiones perantiquas Ecclesiarum Orientalium nullo modo abrogandas aestimat et quam maxime gaudet in Domino apud multos Reformatorum coetus Sacram Scripturam semper magna veneratione legi.

— In memoriam revocanda sunt gravissima officia quae habent Episcopi et omnes pastores, necnon et omnes fideles in re oecumenica. Gaudet Sacrum Concilium de iis quae in diversis regionibus fiunt ad normam instructionis « Ecclesia Catholica » (20 dec. 1949, cf. *A.A.S.* XLII, 1950, 142-147) et hortatur Episcopus ut talia opera omni modo sustineant et promoveant. Ii qui studiis theologicis vacant semper ad problemata oecumenica attendant et in specie nitide distinguant dogma catholicum a variis formulis et systematibus theologicis, quibus veritas

aeterna explicatur, quae interdum tamen non habent nisi valorem temporarium et non-catholicos quandoque a veritate Christi plene agnoscenda impediunt.

Caput III – De religionibus non christianis

Cum viri scientifici historiae comparativae religionum periti nostris diebus omnes agnoscant magnas religiones non-christianas plura elementa valoris authentice religiosi continere et cum habitus mere negativus erga easdem homines bonae voluntatis a sola vera religione catholica potius avertat quam ad eam conducat, inspecto insuper emolumento quod pro vero bono naturali ac supernaturali humanitatis obveniret ex consociata omnium religionum reluctatione adversus atheismum nostra aetate grassantem, in votis est ut Concilium, reiterata monitione de indifferentismo in re religiosa vitando, nihilominus etiam declaret in religionibus, etiam non-christianis, agnosci posse influxum gratiae supernaturalis, immo et « praeparationem evangelicam » (cf. iam S. Iustinus, *Apol. II,* 13; *MG.* 7, 466).

Caput IV – De libertate conscientiae non-catholicorum in re religiosa.

Propter motiva eadem ac ea, quae in capite praecedenti relata sunt, inspectis insuper non tantum adiunctis hodiernis in quibus vix detur natio homogenee catholica et in quibus modus sese gerendi catholicorum erga non-catholicos in natione ubi catholici maiorem partem civium constituunt necessario influit in modum sese gerendi non-catholicorum erga catholicos in nationibus ubi non-catholici maiore numero exstant, sed inspectis etiam, et quidem praesertim, principiis catholicis de obligatione sese conformandi conscientiae bonae fidei ac de libertate et charactere supernaturali fidei, exoptatur ut Concilium publice et sollemniter proclamet fidem catholicam non posse imponi vel conservari quavis coercitione quae integritatem conscientiae et libertatem fidei laedat, ita ut manifeste appareat dignitatem personae humanae, quam Dominus Noster Iesus Christus per Incarnationem suam mundo plene revelavit, ab Ecclesia Catholica in omnibus hominibus perfecte agnosci.

PARS II

VOTA RENOVATIONEM LITURGIAE ROMANAE ET PRAXIM PASTORALEM SPECTANTIA

Caput I – De lectione divina et praedicatione

Traditio doctrinalis asserens salvificam Verbi Dei virtutem in privilegiata sua forma quae Scriptura Sacra nuncupatur originem in Ecclesia primitiva ducit partemque integram theologiae in Ecclesia Catholica traditionalis constituit. Optatur ut Concilium illam veritatem traditionalem in memoriam fidelium revocet.

Praedicatio fidelibus facta directe ex ipsis Sacrae Scripturae libris manifestius profluere deberet. Optatur insuper ut divina librorum sacrorum lectio explicite fidelibus catholicis commendetur qui de illa lectione modo serio et religioso facienda instruendi sint.

Caput II – De renovatione liturgiae romanae

Exoptatur ut renovatio liturgica feliciter inchoata ad finem speratum debita cum diligentia protrahatur effugiatque tum periculum reconstitutionis archeologicae, quae tantum reditum materialem ad antiquitatem christianam significaret, tum periculum historicismi, quo conservari optarentur traditiones, decursu saeculorum assumptae, sed nunc utilius relinquendae intuitu tam spiritus liturgici authentici quam facilitatis pro Ecclesia missionaria sese adaptandi illorum ingenio populorum qui nuper Ecclesiae Catholicae aggregati sunt.

In specie exoptatur:

§ 1. *De Sacro Sacrificio Missae.*

Ut in celebrando Sacrae Missae Sacrificio, Canone tamen excepto, lingua vernacula uti liceat, quod in primis valet pro partibus ante Offertorium quae ita munus suum cathecheticum utilitate fidelium reassumerent.

§ 2. *De administrandis sacramentis.*

Ut sacramenta integre, salvis ipsius formae verbis, administrari possint lingua vernacula.

§ 3. *De breviario romano reformando.*

1° Ut in Matutinis unum tantum Nocturnum retineatur, quo in casu tamen lectiones, bene selectae, longiores possint fieri.

2° Ut semper liceat facultative recitare « officium de feria ».

3° Ut per tempus Quadragesimale et per Adventum de festis Sanctorum nihil fiat nisi commemoratio.

4° Ut magna cum cura lectiones ita seligantur ut mentem instruere ac vitam spiritualem alere valeant:

— Sacra Scriptura partem praecipuam lectionum praebeat.

— Notitiae biographicae Sanctorum ita redigantur ut tum conformes sint veritati historicae, tum solidae devotioni possint inservire.

— Excerpta e scriptis Patrum novo examini subiiciantur.

— Etiam quaedam lectiones e scriptis auctorum recentiorum introducantur.

5° Ut in recitatione privata Officium divinum facultative sive in lingua latina sive in lingua vernacula, ope translationis ab auctoritate ecclesiastica ad hoc approbatae, recitari possit.

6° Ut deleantur pro recitatione privata ea quae formam habeant alterni sermonis (v. g. « Dominus vobiscum »; responsoria).

7° Ut quattuor breviarii romani partes quae nunc appellatione desumpta ex quattuor anni temporibus quae tantum in quibusdam Orbis terrarum regionibus exstant nuncupantur, scilicet pars hiemalis, verna, aestiva atque autumnalis, ad melius manifestandam mentem Ecclesiae Catholicae universalem, potius designentur nominibus mutuatis ab anni *liturgici* temporibus, v. g. pars natalis, paschalis, pars temporis post Pentecosten prima, pars temporis post Pentecosten secunda.

PARS III

VOTA DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM SPECTANTIA

Caput I – De Ecclesia orientali

Tam exemplo unitatis et catholicitatis quam testimonio caritatis erga Ecclesiam Orientalem et ne praecludatur spes ad unitatem Ecclesiae reducendi magnos coetus christianorum orientalium separatorum in votis est:

1° ut praeservetur integritas rituum liturgicorum orientalium,

2° ut clericorum orientalium professores alumnos suos instituant in theologia ad mentem traditionis orientalis et Patrum orientalium elaborata, attentis etiam necessitatibus hodiernis et ratione habita progressus dogmatici,

3° ut non inducatur sine necessitate nova disciplina ecclesiastica ad mentem Ecclesiae occidentalis reformata,

4° ut non laedantur privilegia Patriarcharum Orientalium. In specie ut eis ad mentem Conciliorum Oecumenicorum, tum ab orientalibus etiam dissidentibus, tum a latinis agnitorum, primus honoris locus post Romanum Pontificem reservetur, quod forsan in praxim deduci posset aequiparando eorum dignitatem dignitati S. R. E. Cardinalium vel eos Sacro Cardinalium Collegio annumerando.

Caput II – Vota disciplinam Ecclesiae occidentalis spectantia

Votum praevium.

Ut iam nunc, sicut praescripserat S. P. Benedictus XV, Motu Proprio « Cum iuris canonicis », suis locis inserantur normae iuris novae vel immutatae quin tamen canonum numeratio mutetur, eademque occasione quaedam praescripta ad praxim hodiernam adaptentur.

§ 1. *De aetatis limite servando* (*C.I.C.,* can. 153).

In votis est ut qui munere ecclesiastico funguntur, excepto uno Summo Pontifice, certum aetatis limitem consecuti, munus suum normaliter deponant.

§ 2. *De presbyteris ad statum laicalem redactis* (C.I.C., can. 213).

In votis est ut presbyteri ad statum laicalem legitime redacti vel regressi, per indultum a Summo Pontifice obtinendum, iam facilius, si casus fert, a lege sacri coelibatus absolvantur.

Rationes huius propositionis:

1° Fere omnes illi sacerdotes sunt hodie pro Ecclesia causa dedecoris et scandali.

2° Redacti vel regressi ad statum laicalem iam eo ipso destituuntur multis mediis spiritualibus et mediis canonicis, sine quibus lex sacri coelibatus moraliter vix servari potest.

3° Similis dispensatio nunc concessa in dimissione Regularium, qui nondum sacerdotio initiati sunt, neque numerum vocationum neque aestimationem aut valorem vitae religiosae minuit. E contra haec dispensatio plura scandala suppressit et desperatis nonnullis feliciter remedium attulit.

§ 3. *De confessariis religiosarum* (*C.I.C.,* cann. 520-527).

Ut simpliciore et clariore forma redigantur praescripta iuris quae mulierum religiosarum confessarios respiciunt et caveatur ne a qualibet persona quovis praetextu prohibeantur mulieres religiosae quin libertate confitendi a iure sibi concessa utantur, imposito in visitatione canonica onere de observatione huius praescripti diligenter inquirendi.

§ 4. *De laicis* (*C.I.C.*, can. 682).

Cum laici et ipsi membra activa Ecclesiae esse debeant et plura officia, quae ad vitam Ecclesiae pertinent, maiore cum competentia exercere valeant quam clerici, v. g. quoad administrationem temporalem, quoad opera socialia et s. d. « opera paroecialia » in genere, immo quoad multa quae ad scholas spectant, in votis est:

1° ut ad laicos appelletur ad talia officia adimplenda.

2° ut in omni ecclesia plene constituta Ordinarii instituant collegium de re pastorali consultativum, cui aggregentur laici illi, qui officia maiora in operibus apostolatus laicorum exercent.

3° ut in administratione temporali paroeciae et dioeceseos laici munus activum assumant iuxta statutum ab auctoritate ecclesiastica approbatum.

§ 5. *De iurisdictione ad audiendas confessiones in itinere* (*C.I.C.*, can. 883).

In votis est ut ea, quae statuta sunt pro iurisdictione ad audiendas confessiones in itinere maritimo ac aereo, cum debitis accommodationibus ita extendantur ut omnes sacerdotes, a proprio Ordinario ad audiendas confessoines approbati, iurisdictione polleant etiam pro itinere ferroviario, immo pro omni itinere in actu itineris.

§ 6. *De aetate requisita ad sacrum presbyteratum suscipiendum* (*C.I.C.*, can. 975).

In votis est ut ordo presbyteratus non conferatur ante annum vigesimum sextum completum et ut clerici, antequam ad hunc ordinem promoveantur, saltem per unum annum ministerio activo sub ductu et vigilantia Ordinarii aut delegati eius initientur.

§ 7. *De reformando ordine diaconatus* (*C.I.C.*, cann. 948 et 1072).

Propter magnam penuriam sacerdotum praesertim in regionibus Missionum et propter sat magnum numerum eorum, qui desiderio sincero ardeant vitam suam saluti animarum consecrandi in statu clericali sed ab hoc proposito arceantur propter legem coelibatus clericis impositam, in votis est ut in hac materia pro parte redeatur ad pristinam disciplinam, scil. ut admittantur etiam in Ecclesia latina, in regionibus saltem ubi iudicio Ordinariorum adiuncta hoc suadere videntur, diaconi coniugati, qui munera liturgica huic ordini adnexa, et alia munera ecclesiastica, huic ordini adaptata, exercere valeant.

§ 8. *De impedimentis matrimonialibus* (*C.I.C.*, can. 1040).

In votis est ut maiore potestate polleant Ordinarii locorum in dispensando super impedimenta matrimonialia. Habeant v. g. potestatem ordinariam dispensandi super omnia impedimenta gradus minoris (*C.I.C.*, can. 1042, § 2).

§ 9. *De abstinentia et ieiunio* (*C.I.C.*, cann. 1250-1251).

Legi poenitentiae christianae honor debitus denuo restituatur et fidelibus commendetur; curetur ut lex ieiunii et abstinentiae conditionibus vitae hodiernis adaptata non mere theoretica evadat. Fideles insuper in formis novis poenitentiae coaetaneis nostris appropriatae initientur et tempore Quadragesimali v. g. vetentur festivitatibus mundanis, solis diebus dominicis exceptis, interesse.

§ 10. *De institutione theologica in Seminariis atque in Pontificiis Athenaeis* (*C. I. C.*, cann. 1352-1383).

A) De studio theologico peragendo in genere

1. *Consideranda.*

Vita christiana maxime pendet a cognitione religiosa meliore, ut in epistulis suis a Sancto Paulo luculenter asseritur (cf. v. g. *Gal.* IV, 9; *I Cor.* VIII, 2; *II Cor.* IV, 6; *Ephes.* III, 19; Col. II, 2 s.; *Phil.* III, 10). Atqui, melior fidelium christianorum institutio catechetica intime connectitur cum formatione clericorum religiosa ac theologica.

Institutio theologica ut fiat efficacior et nostris temporibus magis adaptata requirere videtur ut duae, inter alias, tendentiae in theologica veritatis revelatae elaboratione promoveantur, scilicet:

1° ut Scriptura Sacra tamquam catholicae theologiae verus fons et inspiratrix melius apparet;

2° ut theologia speculativa fundata in instrumentis quae Sacra Scriptura, Traditio et Magisterii doctrina nuncupantur, simulque illustrata theologicis systematibus in Ecclesia Catholica receptis, ulterius etiam elaboretur ita ut, menti ac modo sese exprimendi coaetaneorum adaptata, denuo partes quae ei competant exercere valeat ad melius spiritum Christi Evangelii manifestandum ac simul catechesim contemporaneam inspirandam.

2. *Vota.*

Duplici illo scopo prae oculis habito, in votis est:

1° ut in Seminariis Sacrae Theologiae lectores, et in primis ii qui rem dogmaticam ac moralem tractant, sibi muneri teneant ut expositio

biblica sat excussa praecedat elaborationem speculativam praecipuarum doctrinae catholicae veritatum. Insuper iisdem lectoribus curae sit ut haec elaboratio respondeat menti et, ut aiunt, illis categoriis atque valoribus quae a coaetaneis non sint aliena;

2° ut in Universitariis Seminariis atque Athenaeis Pontificiis, ubi futuri lectores ad docendam theologiam instituuntur, iisdem rationibus inspectis, biblica formatio critica longius provecta provideatur; ita traditio perantiqua quae « paginam sacram » magni faciebat renovata reassumitur.

In iisdem lectoribus instituendis illa insuper accurata initiatio philosophiae et menti hodiernis provideatur qua possint veritatem catholicam et ipsi discipulis suis eo modo proponere ut expositio theologica scientifica instrumentis theologicis traditionalibus innixa et philosophia perenni illustrata, rationem etiam habeat valorum culturalium atque hodierni modi cogitandi.

B) Vota particularia relate ad clericorum institutionem in Seminariis Maioribus in regionibus Missionum.

Ad mentem plurium documentorum tum S. C. de Propaganda Fide, tum ipsorum Romanorum Pontificum et in primis recentissimae Encyclicae *Princeps Pastorum*, exoptatur ut tam clerici autochtones in regionibus Missionum quam clerici qui illis regionibus destinentur, instituantur in variis disciplinis missionologiae ac per studiorum curriculum serio incumbant studio tralaticiorum institutorum, religionum autochtonum, mentis ac peculiaris ingenii populi illius regionis, in qua ministerium suum adimplere intendunt, ita ut peculiares rationes quae inter ea christianamque religionem intercedant pernoscant ac ea, reiectis elementis doctrinae christianae adversis, ceteris autem retentis et a quavis impuritate liberatis ac christiana sapientia consummatis ac perfectis, ut semper fecit Ecclesia, in usum christianum convertere valeant.

Magnopere illis clericis etiam proderit penitiorem adipisci cognitionem illarum religionum non catholicarum ac non christianarum (ut, v. g., pro Africa Centrali, variae sectae protestanticae ac Islam) et systematum ideologicorum atheisticorum (marxismus atheisticus), quae inter illas gentes his ultimis annis sparguntur, ita ut de iis etiam rectum iudicium proferre possint ac capaces evadant, ubi casus fert, solidis argumentis integram veritatem doctrinae christianae adversus ea propugnandi.

C) Vota relate ad clericorum institutionem speciatim in Africae Seminariis Maioribus.

1° Si usquam alicubi, in Africa certe, ubi christianismus adhuc recens caret diuturna traditione, requiritur in clericorum institutione unio vitalis aeque arcta et intima cum Sede Apostolica et Ecclesia Universali, ne Ecclesiae locales periculo particularismi succumbant.

2° Philosophia, iuxta scopum suum, mentem alumnorum efformare debet ut clare concipiant, recte iudicent et logice ratiocinentur. Hac ratione prae oculis habita, simulque considerata tam veloci Africae evolutione statuque adhuc plus minusve imperfecto instructionis multis in regionibus quam mole quaestionum scientificarum in dies crescente, in votis est:

a) ut cursus proprie philosophicus nulla de causa ad duos tantum annos reducatur;

b) ut clerici ita formentur ut, philosophia scholastica nullo modo posthabita, a laicis cultioribus non superentur, in iis, v. g., quae pertinent ad philosophiae modernae historiam; propter eamdem rationem praesupposita philosophica marxismi, cuius influxus in dies crescit, accurate exponantur.

3° Africa in dies progrediente, amplior cultus animi optatur, ideoque in institutione clericorum magni aestimentur quae ad cultum animi universalem multum conferre possint, uti prosunt historia ecclesiastica, historia philosophiae, quaestiones de re sociali, etc. Etsi in mundo hodierno propter progressum scientificum et technicum, ad cultum animi adipiscendum maiores conatus requirantur, sacerdos oportet sufficienter cognoscat praecipua problemata actualia ne ab hominibus cultioribus alienetur (e. g., quaestiones physicas cum cosmologia connexas, quaestiones a biologia cum psychologia connexas). Qua de causa, etsi cultus litterarius et historicus formationi sacerdotali magis conveniant, positivae scientiae tamen ne excludantur.

4° Consideratis eis quae supra iam de Sacrae Scripturae studio dicta sunt et inspecta insuper quadam affinitate quae inter mentem semiticam et africanam intercedit, in votis est ut Sacrae Scripturae studio in Seminariis ad minimum tribuantur quatuor singulis hebdomadibus horae et hoc per quinque annos qui, ut in Africa mos viget, curriculo theologico impenduntur.

§ 11. *De censura librorum eorumque prohibitione* (*C.I.C.*, cann. 1385-1405).

In votis est:

1° Quoad processum ipsius indictionis, ut ratio habeatur et valoris ipsius « Imprimatur » quod ab Ordinario loci concessum est, et famae ipsius auctoris cui occasio sese defendendi vel, si casus fert, scriptum suum emendandi concedatur; insuper et legitimum commodum atque utilitas editorum catholicorum in nota « Imprimatur » confidentium non parvi ducatur.

2° Quoad ipsum Iudicis conceptum, ut elenchus librorum prohibitorum novo examine subiciatur; ut in specie distinctio inter prohibitos atque reservatos libros in iure introducatur.

Optatur insuper ut, inspectis necessitatibus hodiernis, licentia ad libros prohibitos legendos pertineat ad potestatem ordinariam Ordinariorum, qui per delegationem pro suo prudenti arbitrio idoneis personis, v. g. Sacrae Theologiae vel Iuris Canonici Doctoribus concessam, facilius legitimis precibus respondere possint et ita melius legis observationem urgere valeant.

§ 12. *De fidei professione* (*C.I.C., can.* 1406).

In votis est ut « iuramentum anti-modernisticum » iam rarius imponatur, ne repetitione omni privetur valore et quia qui semel vere iuravit non amplius debet illud iuramentum renovare.

§ 13. *De delictis et poenis* (*C.I.C.*, lib. V).

Attenta mentalitate populi christiani, qui hodie difficulter veram significationem poenarum et censurarum capit, proponitur ut totus liber V ad simpliciorem formam redigatur.

In specie:

— reservatio censurarum simplificetur et paucissimae tantum censurae reserventur Sedi Apostolicae (cf. can. 2245).

— nonnullae excommunicationes abrogentur, v. g. can. 2318, § 1 in legentes libros prohibitos.

Omnia ac singula haec vota, in consilio Facultatis examinata ac saltem duabus tertiis partibus suffragiorum approbata, Facultas Theologica Universitatis Catholicae Leopoldopolitanae Lovanium benigno iudicio « Pontificiae Commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico » ac Praestantissimi eius Praesidis Eminentissimi Domini Dominici Cardinalis Tardini, per intermedium Illustrissimi Domini Lucae Gillon, Rectoris Magnifici Universitatis, debita cum reverentia defert.

UNIVERSITAS CATHOLICA INSULENSIS

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE DE LILLE

Lille, le 26 mars 1960

Eminence Révérendissime,

Dans la lettre que Votre Eminence a bien voulu adresser, le 18 juillet dernier, à Monseigneur Delacroix, qui était alors recteur de cette Université, Vous avez prié l'Université catholique de Lille de présenter, en vue du Concile oecuménique actuellement en préparation, des suggestions sur les points de doctrine et de discipline qui pourraient être soumis aux Pères du Concile.

C'est un grand honneur que Vous nous avez fait en nous confiant cette mission, et au nom de toute cette Université, je tiens à en exprimer à Votre Eminence Révérendissime nos sentiments de vive gratitude.

Les professeurs, principalement ceux de la Faculté de Théologie, ont été consultés, et ont remis leurs rapports.

En rassemblant et en synthétisant ces rapports, nous avons préparé le texte que Votre Eminence voudra bien trouver ci-joint.

L'Université catholique le présente à Votre bienveillante attention, très humblement, et en toute soumission à la Sainte Eglise, espèrant avoir, par ce travail, apporté une très modeste contribution à la grande œuvre qui doit se poursuivre par la célébration du Concile, et sur laquelle tous les fidèles de la Sainte Eglise catholique fondent une grande espèrance pour le bien de l'Eglise et pour son rayonnement à travers le monde entier.

Je prie humblement Votre Eminence Révérendissime de bien vouloir agréer l'hommage de mes sentiments de très profond respect et de total dévouement à la Sainte Eglise.

G. LECLERCQ
Recteur

DE ECCLESIA

Sanctissimo Concilio mox benevolentissima S. S. Ioannis XXIII voluntate coadunando, humillime quae sequuntur, ex parte Catholicae Insulensis Universitatis facultatumque, theologicae praecipue, in ipsa existentium, suggestiones praesentantur.

Duo retinenda visa sunt in primis, quae definitionibus declarationibusve ab hac SS. Synodo edendis materiam praebere possent, unum ad Ecclesiam, ad anthropologiam aliud spectantia. Nonnulla postea proposita sunt quae magis ad praxim, disciplinam scilicet canonicam vel liturgiam attinent.

Summopere certe optanda, occasione proximi futuri Concilii, ut ipse Summus Pontifex non semel testatus est, omnium in Christo credentium coadunatio in unum gregem sub unico pastore; ad idque toto conatu laborandum ut clarior ac purior semper vultus manifestetur sponsae a Christo unice dilectae, omnium in se oculos provocans ac amorem. Propterea opportunum fore videretur si accuratior completiorque de ipsa sancta Ecclesia doctrina exponeretur, ad optatum finem sic opus deducendo atque schema quod a Patribus Concilii Vaticani inceptum ratione ingruentis belli incompletum remansit.

Definiatur imprimis de mysterio, ab « orthodoxis » etiam ac protestantibus, agnito et accepto, quo ut verum corpus Christi mysticum agnoscenda sit Ecclesia. Sic enim fidei evadit obiectum: quia etsi visibilis Ecclesiae Romanae constitutio ipsiusque ab Apostolis historica successio ab adversariis quoque cognosci queat, nonnisi fide creditur ipsius cum Christi mystico corpore identitas, ut non duae sed una semper agnoscatur Ecclesia quae visibilis simul et invisibilis, humana quoque ac divina, mysterium Christi quodam modo renovet ac protrahat. Inde eius dimanant praerogativae, iura ac divitiae; inde proprietates effluunt ab ipso Christo qui ei vitam, unitatem et memoriam ab intus influit, conservatae, ut sola sancta sit, una, catholica et in apostolica traditione constans; inde etiam assurgit ipsius ad salutem omnimoda necessitas, quia sicut extra Christum ita extra Ecclesiam suam unicam, nec salus nec remissio potest esse peccatorum.

Multum etiam iuvaret, ad tollendum falsos contra doctrinam catholicam praeconceptus, si de episcopali munere clara definitio daretur eiusque cum Romano primatu relatione. Nedum enim Summi Pontificis plenitudo episcoporum dignitati ant numeri officiat, suis potius fratribus, ut rite illos nominat, multum iuvat quo perfectius suo fungantur officio,

Nam sicut non soli Petro sed toti Apostolorum collegio, ita nec soli Romano Pontifici sed omnibus simul cum ipso episcopis collegialiter sumptis, cura est commissa totius generis humani ad fontem vitae adducendi et ad patriam provehendi. Omnes enim, una cum Papa, totius Ecclesiae curam sollicite debent habere, omnes simul vivum magisterium constituunt, infallibilitate eo de titulo gaudentes, qua idem pollet tam solemni quam ordinario suo in exercitio. Id vero primatus efficit romanus ut episcopatus ipse plenius securiusque semper servetur indivisus, nullo modo a iuribus destitutus vel minutus quae sibi a Christo concessa fuerunt.

Plena autem atque ordinaria est potestas qua in demandata sibi dioecesi unusquisque pollet episcopus. Etsi enim ubique terrarum dioeceseon erectio necnon et pastorum designatio qui ipsis praesint, ab eo pendant qui supremum Ecclesiae pastor constitutus est, non inde diminutam, plenam vero ecclesiae suae particularis curam suscipit episcopus. Ipse igitur pastoris et doctoris, patris ac magistri officio fungitur rationem Deo redditurus pro animabus omnium sibi commissorum, pro quibus mortem etiam subire si opus fuerit, in die consecrationis suae promisit. Non arbitrario certe modo illos pascere valet, cum intra communis fidei legisque limites actio eius contineri necesse sit; auctoritative tamen agit, ut illa quae sic ratione sibi commissae potestatis decreverit, vim habeant per se nec aliena approbatione ad hoc indigeant.

Nonnunquam vero requirere potest commissarum sivi ovium cura ut extra suae dioeceseos limites cum fratribus suis coepiscopis vires conferat, communibus quaestionibus ac insurgentibus difficultatibus communia media seu remedia inventa applicent, idque tum certae regionis ambitu tum etiam nationum seu regnorum. Quo sub lumine haud parum iuvaret si pressius natura, iura ac limites exponerentur institutionum omnium quae simili necessitati responsum praebiturae inventae sunt, patriarchatus scilicet, primatus ceterique hierarchici gradus, synodi quoque ac concilia particularia, necnon et Commissiones variae, ut aiunt, quae recenter diversis in partibus Ecclesiae surrexerunt.

De sacerdotibus qui episcopalis ordinis providi sunt cooperatores, nonnulla primo opportune declaranda forent, quo melius intima ipsorum cum episcopo unio signaretur. Pressior etiam optaretur de ipsorum statu ac conditione reflexio, qua novis sibi impositis apostolici laboris conditionibus, aptius accommodatiusque eorum ministerium evadat. Non tantum enim eorum in dies crescit numerus qui extra septa paroeciae munera sua exercent sed et ipsae paroeciae pauciores semper evadunt quae, ut olim fiebat, beneficia constituant. Quo igitur melius finis ab omnibus intentus obtineatur, provideatur, si placet, ut facilius valeant erigi paroe-

ciae, eorum fines mutari, plures in unam coadunari: ut temperetur etiam parochorum inamovibilitas, extra casum praebendarum sibi collatarum: ut canonico statu donentur sacerdotes illi qui pauperibus dioecesibus vel missionibus ad tempus dantur; seminario item in quibus ad huiusmodi apostolatus genus clerici praeparantur.

Item, eadem semper intentione apostolica, examini detur quomodo valorem resumere queant minores ordines ipseque diaconatus, non ut mere gradus ad sacerdotium habiti sed, sicut vere sunt, ordines propriam consistentiam utilitatemque habentes, sicut etiam in ecclesia fit orientali; quorum accessus illis etiam pateret qui ad ulteriora non tenderent, iuxta mentem Concilii Tridentini, sess. XXIII cap. 17; nec ita ligarentur eorum iura sicut prius fuit factum.

Fidelium tandem quos ut veri Dei populi membra laicorum nomen designat, dignitas ac momentum rite exponantur. Charactere quippe, ipsis per sacramenta baptismi ac confirmationis impresso, non ut passiva tantum membra constituuntur, sed ut gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, Christi sacerdotii in cultum christianae vitae participes effecti. Quo enim pro parte sua Ecclesiam constituunt, commissum est et ipsis munus verbi Dei disseminandi, regni Christi propagandi, vitam fratribus suis abundantius procurandi. Nullo modo tamen ex hoc confusio sequitur cum sacerdotio Novi Testamenti, cum solis Apostolis eorumque successoribus triplex commissa sit potestas docendi, sanctificandi atque regendi, ad quam nonnisi per ordinis sacramenti susceptionem acceditur. Laicorum nihilominus, rite per sacerdotes suos instructorum, sacramentorumque vi munitorum, immensa gravisque manet pars in opere Christi promovendo, eo magis quod soli ea fungi valeant, quippe qui, terrestribus rebus ac societatibus immersi, facultatem habent fermentum evangelicum ubique spargendi, adlaborandique ut non individui solum sed et societates, familiaris nempe, professionalis ac etiam politica ad normam christianae doctrinae reformentur. Cuius apostolicae sollicitudinis obiecta, leges, evercitium formasque diversas quas inter Catholica eminet Actio, magni pretii foret exponere.

DE ANTHROPOLOGIA

Nec minoris momenti foret si ab hoc Sacro Concilio constitutio ederetur in qua doctrina catholica de hominis natura, dignitate, fine ac iuribus probe exponeretur. Quamvis enim multa iam sparsim de homine, anteactis temporibus sint definita praesertim quae ad eius supernaturalem finem attinent, lapsum et impotentiam generis humani, gratiae absolutam necessitatem, necnon et ad ipsius constitutionem ac limites, in votis adhuc manet ut generalis ac cohaerens anthropologia ex professo proponatur.

Crevere enim his praesertim nostris diebus errores pestilentiores circa hanc materiam quorum mortiferos fructus homines gentesque fere omnes gustavere. Nec aliunde defuerunt documenta a Romanis Pontificibus edita, tales damnantia confutantiaque, ut sic late pateat via ad optatas definitiones.

Hominis dignitas iam a sua creatione provenit eo quod ad imaginem similitudinemque Dei sit factus. In ipso enim aliquid relucet perfectionis illius qua Deus seipsum cognoscit liberrimoque consilio de se disponit; ita et homo, propter acceptum intellectum, Dei sui cognitione capax est, immo et visione, gloriae lumine interveniente; libere etiam se ad finem suum, qui Deus est, ordinare gratiaque adiuvante, quae nunquam ei deest, pervenire valet.

Quamvis enim multis de facto subdatur determinismis, necnon et ob Adae peccatum viribus sit liberum eius arbitrium attenuatur et inclinatum, minime tamen extinctum dicendum est ideoque semper capax manet sese determinandi prout vult. In hominis ergo arbitrio est ut vitae suae rectitudinem imprimens, Deo gloriam reddat sicut oportet cum gloria sit Dei vivens homo.

Qua propter non ut individuum tantum habendus est homo, sed ut persona cuius nomen solus Deus plene scit, cuius finis a nullo alio obtineri vel suppleri potest, cuius vita in aeternum est duratura, cuius dignitas ab ipso Deo approbatur qui reliquit illum in manu consilii sui. Quae cum de homine quolibet vera sint, nullus est qui natura vel iure vel genere sese aliis praestantiorem esse credat, eo vel magis quod, iuxta Redemptoris voluntatem, nulla amplius vigere potest distinctio Iudaei vel Graeci, servi vel liberi, masculi vel foeminae quorum omnium unus est Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Reprobat igitur Ecclesia doctrinam omnem quae, racismi nomine vel praetextu, distinctionem intercedere asserens inter homines, dominantium cuidam genti vel nationi primatum super alios vindicare vellet.

Dignitatem talem sibi a Deo inditam licet homini vindicare ac tueri. Et ideo in votis est Ecclesiae ut servitute omni semota, unusquisque de se libere disponere valeat viresque omnes et facultates a Deo acceptas ad plenum expandere. Nec differentiam hac in re admittit virum inter et mulierem quae, etsi in societate domestica viro suo sicut Christo subdita, partem sibi a natura designatam impleat, parem tamen cum ipso dignitatem eademque iura possidet, ad eumdem finem et ipsa destinata.

Inter cetera bona homini a Deo collata primum locum obtinet vita ista corporalis in quam non absolutum dominium sed usum habet. Illam ergo tam in se quam in aliis revereri debet, firmumque manet Dei mandatum: de manu hominis requiram animam hominis. Ideoque omnes illae

doctrinae tentaminaque damnantur quibus ad vitam attentatur, sive parvulorum etiam in sinu matris, sive adultorum, quovis nomine vel praetextu tegantur; omnia etiam quae integritati corporis opponuntur, sicuti est sterilitas vi vel medicamenti ope procurata; violentia item quaevis illata, ad confessiones etiam sive extra sive intra iudicium extorquendas, qua torquetur ac vilipenditur homo ac si animal vel res esset. Magni foret etiam momenti doctrinam ab Ecclesia circa bellum professam definire: quomodo vix aut ne vix quidem, praesentibus sub conditionibus, legitime declarari valeat; quid etiam de « conscientiae obiectione » sentiendum sit, etc...

Ius itaque cum habeat homo ut vitam sustentet quam sibi concessit Dominus, alia comitantur ac sequuntur iura: nempe ius ad laborem ex quo necessaria sibi ad vitam comparare queat; ius ad salarium iustum quo sibi familiaeque suae sufficere valeat operarius: ius ad vitale, ut aiunt, spatium et si opus fuerit ad migrationem et colonatum, ius ut laboris conditiones nec sanitati noceant nec vires hominis excedant, nec dignitati eius vel moralitati officiant; ut semper etiam non ut res vel productionis merum instrumentum sed ut persona habeatur, nec ipse machinae unquam inserviat sed dominetur ut decet. Quae omnia ut promptius sibi ac melius obtineat, ius tandem habet quod denegari non potest, cum aliis sese consociandi, associationes efformando quibus plena illa humana promotio in obiectum sit.

Eadem valet doctrina de hominis dignitate civili seu politicae societati comparata. Non enim ipsi ut purum instrumentum subditur homo, omni destitutus auctoritate aut personalitate, cum non persona propter societatem sed societas e contra propter homines eorumque bonum commune procurandum sit instituta. Ideoque reprobanda sunt systemata omnia, quocumque nomine afficiantur, quae totalitarismum potestati civili tribuentes, omnem subditis denegant libertatem, arbitrario absolutoque modo de ipsis disponentes, summo cum detrimento individui, familiae ac religionis.

Iure etiam merito damnandi sunt errores alii huic doctrinae de hominis dignitate ac fine contrarii, materialismus nempe scientificus seu historicus, existentialismus etiam, quorum communis radix in eo stat quod Deum, principium ac finem hominis humanique generis historiae rectorem ac gubernatorem negantes, hominis iuribus ac dignitati apprime officiunt: ideo enim honore ac reverentia dignus est homo quia, ut dictum est, ad imaginem Dei creatus ad filiationem adoptivam recreatus est et imprescriptibilia iura sua a summo legislatore accepit.

Non enim, quod ad marxismum attinet, capitalismi ab ipso enuntiatum iudicium ac condemnatio, nomine ethicae cuiusvis procedit, aut

personae iurium humanisantisve conceptus societatis ac boni communis: sed a materialistico omnino conceptu provenit sive historiae (infrastructura - suprastructura) sive hominis (instrumentum productionis) societatis (rerum administratio) finis tandem, unice terrestris. Toto igitur coelo differt huius modi communismi pseudo-humanismus ab Ecclesiae doctrina de re sociali etiamsi pari iudicio liberalismum reprobet uterque. Nec distinctio vera dissociatioque est expectanda theoreticam inter marxismi doctrinam suamque praxim cum utraque unicum systema quam maxime cohaerens constituat, in quo practicum programma nonnisi corollarium est historici materialismi, quo rursus applicatio fit ad humanam historiam materialismi dialectici.

Simile ferendum est iudicium de socialismo etsi violentiae ad theses suas inferendas renutiasse videatur. Non enim cum doctrina catholica, sed nec cum theismo vel authentico spiritualismo, cohaerere potest pro quanto et ipse materialistis doctrinis fundatur, ita ut bonum commune nonnisi temporale ac materiale concipiatur, ac humanae communitatis societatisque non recta proponatur notio. Cum enim custos iusti ac promotor boni deberet esse, partes suas excedit potestas civilis cum civibus se substituens, omnem homini denegat initiativam, tam personalem quam familiarem. Nequit autem homo omnia, nedum ad ordinem oeconomicum spectantia, sed et ad educationem aliaque altiora bona spectantia, potestatis civilis arbitrio unice committere quin dignitati propriae renuntiet; quod nefas est.

Quo autem ad optatam plenitudinem pervenire finemque suum adipisci valeat homo, lege regitur tum naturali tum positiva. Utriusque vero custos ac interpres constituitur Ecclesia cum voluntatem divinam prima etiam traducat, ut Gentes quae positivam legem non habent naturaliter ea quae legis sunt faciant, sic ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis. Nec venit Christus legem huiusmodi naturalem, sicut nec Mosaicam solvere sed adimplere. Pleno igitur iure potest Ecclesia determinare quae utrique legi sunt conformia quaeve opposita. Potest etiam, hoc sub limine, iudicium ferre de valore aut rectitudine legum a civili potestate latarum illasque, si opus fuerit, denuntiare vel damnare. Nec indebito modo sic rebus politicis se immiscere vult, sed regulam moralitatis tantum enuntiat ac recolit cui omnem subiici potestatem conveniat.

Regula vero morum ut stabile fundamentum sapientissimam voluntatem Dei habet, quae rebus omnibus naturam ac finem praestitit, contra quae agere nullo modo licet; ideoque actuum moralitas non e circumstantiis tantum pensanda est sed etiam et immo ab actuum ipsorum natura ac fine intento. Maximi momenti esset inculcare doctrinam Eccle-

siae secundam quam fons primus moralitatis est obiectum actus, ita ut numquam actio intrinsece mala possit ex bono fine licita fieri.

Cavendum est igitur ab illa quae situationis ethica vocatur, quaeque originalitatem arguendo cuiuscumque casus, impossibilitatemque ad principia theoretica ipsum reducendi, addita etiam scientia casuistica, insufficientiam denuntiat ethicae generalis ad vitam quotidianam regulandam ipsam ethicam parvi vel quasi nihilpendens. Tenendum vero est, iuxta Doctoris communis sententiam, quod non in hoc stat moralis vita ut cognoscatur ac veluti mechanico modo applicetur codex quidam praeceptorum, sed magis ut iungat se homo Deo suo in praximque deducat intentiones Dei in ipsum, cum caritate, generositate ac semper in melius proficiendi cura. Prudentiae vero fructus proprius est conatus talis quo vita semper intentioni divinae se conformet, eo maxime quod per docilitatem sub Spiritus Sancti ductu compleatur.

E quibus omnibus reprobatio sequitur ac condemnatio existentialismi athei, iuxta quem nec humana proprie natura sit agnoscenda nec Deus. Esset enim homo non liber tantum sed ipsa libertas; cui contradicit Dei existentia a quo omnia iuxta praeconceptas ideas dimanarent, libertate ipso facto exclusa. Nec ulla existere excogitarive potest naturalis ethica cum valor moralis nullus sit ponendus extrinsecus cui uti regulae conformari oporteret; unusquisque vero valores suos sibi creat; situm autem vel situationem in mundo habet ratione sui corporis; et ideo creatio valorum ethicam insimul situationis importat.

Iuxta doctrinam vero christianam, nedum humana libertas Dei existentiae opponatur, in ipsa potius fundatur ac ea roboratur, cum a nullo bono creato, utpote limitato, determinari valeat, sed in bonum infinitum tota se tendat. Ideo fit ut aliqualis illa hominis transcendentia qua, dum res materiales propriis suis formis concludentur, ipse est quodam modo omnia, divinam transcendentiam requirit et arguit; sicque denuo singularis quo donatus est dignitas elucet.

DE RE DISCIPLINA

Nonnulla tandem diversi momenti ad vitam christianam, rem disciplinarem, sacramentorum praxim vel liturgiam pertinentia, qua par est reverentia, suggestionum more vel votorum hic proponuntur, eodem ac in *C.I.C.* ordine adhibito.

— Ad tres reducantur privilegiorum modi acquisitionis (can. 63) suppressa communicatione omni, ad abusus vitandos restringendumque leges privatas, ad mentem can. 613 § 1.

— Melius accommodentur cann. 445-487 pastoralis studii hodiernis

conditionibus quae modificationes imponent decanatuum paroeciarumque circumscriptionibus ex parte ordinariorum.

— Ut numericae insufficientiae clericorum subveniatur ad onera omnia sua implenda, in praxim reducantur institutiones tum antiqui diaconatus, tum Medii Aevi synodalium testium, sacerdotes episcoposque in sui ministerii exercitium assistentium. Possent diaconi, etiam uxorati, baptismum ministrare, Eucharistiam distribuere (cann. 741; 845 § 2) benedictionem SS. Sacramenti impertiri (ad mentem can. 1274 § 2), Extremam unctionem simili modo ministrare (derogando can. 938), matrimonio valide assistere (eadem de causa, et cum extensione can. 1098 2°), ac praedicare (cann. 1333 § 2; 1342 § 1)?

Per analogiam cum Medii Aevi viris probis et catholicis, synodales testes inter laicos in Actione catholica militantes accipi possent; qui consultativo saltem modo, iuxta formam de consilio consultorum (can. 105 1°) administrationi dioecesis, decanatus aut paroeciae adiumentum praebere valerent?

— Amplientur indulta de confirmatione administranda, ut sacerdotibus etiam detur facultas in orphanotrophiis, hospitalibusve, praesertim pediatricis?

— Mutetur can. 796 § 1 ut idem manere valeat patrinus baptismi ac confirmationis?

— Cum faciliores semper frequentioresque evadant inter homines communicationes ac itinera, ampliari forsan possent ad omne genus itineris quae dicuntur can. 883 1° de sacerdotibus maritimum iter arripientibus; sufficeret verbi gratia ut iurisdictionem haberet sacerdos sive ab ordinario suo sive ab ordinario loci ubi quoquo modo residet, (can. 91) ut valide ac licite quemcumque petentem absolvere valeret?

— De absolutione complicis (can. 884) explicite ac clare exponatur quid complicitas requirat (advertentiam nempe ac consensum), quando vel a quanto tempore contracta (exclusis nempe peccatis ante sacerdotium, aut in puerili aetate), quomodo actualiter conscia, tum confessori tum poenitenti; quibus tandem circumstantiis sit absolutio possibilis (suppressio in 2ª parte can. verbis « extra casum necessitatis »).

— De indulgentiis (911-936), ne ita instetur ut quibusdam puerilibus fidelium speculationibus ansa praebeatur.

— De extrema unctione ita exponatur can. 941 ut periculum mortis non ut ad validitatem huius sacramenti conditio requiri videatur?

— Quod ad matrimonium attinet, non amplius fiat mentio (can 1042) de impedimentis gradus minoris, quae fere nullius momenti esse videntur cum eorum dispensatio nullo vitio irritetur.

— Valeat in mortis periculo vel casibus urgentibus loci ordinarius,

parochus vel presbyter delegatus (ad normam can. 1098, 2°) dioecesanos vel parochianos suos sive peregrinos dispensare, tam pro celebratione quam pro convalidatione matrimonii, super omnia impedimenta iuris ecclesiastici, publica vel occulta; item et confessor, in foro dumtaxat interno?

— Gratis tribuantur dispensationes ad mentem Concilii Tridentini?

— Explicite declaretur de unitate ac indissolubilitate matrimonii quomodo ad ipsius essentiam pertineant, ut earum exclusio invalidum reddat (can. 1086), error vero non vitiet consensum (can. 1084).

— Suggerit aliquis ut in matrimoniis cum personis suae fidei baptismative infidelibus, apposita semper censeatur conditio de futuro licita, relata nempe ad contumeliam Creatoris, quae valorem matrimonii suspendat (can. 1092, 3°); quo efficietur ut pars laesa in sua erga Ecclesiam fidelitate possit coniugem canonice interpellare, sicut fit pro privilegio paulino (can. 1121) ac, si negative responderit, ad alias transire nuptias.

— De operibus servilibus a quibus diebus dominicis ac festivis sit abstinendum, pressior ratio declarari posset utrum lucri voluntate, labore vel ordinaria professione distinguantur necne.

— Optant aliqui ut moderetur, quantum fieri potest, usus ac collatio dignitatum titulorumque honorificorum, cum multis, praesertim acatholicis, vel scandalum gignant vel ut puerilia reputentur.

— De processibus: Distinctio tollatur parochorum inter amovibiles et inamovibiles, in modo procedendi in eorum remotione (can. 2157-61).

—In modo procedendi ex informata conscientia, nequeat clericus suspensione vindicativa puniri (can. 2188, 2°), nisi prius ab ordinario suo de motivis fuerit monitus illius suspensionis (ad mentem can. 2193)?

— De Poenis: Excusent ebrietas et metus gravis, sicut et ignorantia legis, a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis (can. 2229, § 3, 2° et 3°)?

— De censuris: simplificationis intuitu, supprimantur nemini reservatae (can. 2245, § 1).

— Ceterae distinguantur censurae inter censuras Apostolicae sedi reservatas (dimissa distributione triplici in simplici, speciali, specialissimoque modo) et censuras ordinario reservatas. Apostolicae sedi reservarentur quae nunc sub specialissimo modo sunt enumeratae (cann. 2320, 2343 § 1; 2367; 2369 § 1); illae etiam quae propter violationem secretorum sancti Officii et Conclavi; aliae quaedam inter eas quae nunc speciali modo inveniuntur (cann. 2332; 2333; 2334); illae etiam quae noviter, anni 1949, 1950, 1951 a Sancto Officio sunt institutae. Coeterae omnes ut ordinario reservatae, vel (ut can. 2327, 2351) suppressae haberentur.

— Aperte sic pateret eorum absolutio. A can. 2253 subtraheretur § 1

ac pars § 3. Maneret vero can. 2254 § 1 prout iacet, exceptione illa sublata can. 2388 a S. Poenitentiaria introducta.

DE RE LITURGICA

Quod ad liturgiam attinet:

— Admittatur concelebratio, certis saltem occasionibus vel diebus, ut in die Coenae, in solemnibus quibusdam coetibus, exercitiis spiritualibus, etc.; ipsius tamen modalitatibus summa cum cura determinatis.

— Solemni declaratione sacrae communionis cum missae sacrificio nexus affirmetur, iuxta Encyclicae *Mediator Dei* doctrinam (§ 115).

— Rogant multi ut permittatur, debitis semper sub conditionibus ac censura, usus linguae vernaculae in prima parte missae, in missa exequiali? etc.

— Omittantur deinceps preces genibus flexis post missam recitandae.

— Festo omnium sanctorum vigilia concedatur sicut fit pro festis S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, atque S. Laurentii.

— In officio divino, in dominicis post Pentecosten dimittatur divisio secundum menses Augusti, Septembris et Octobris, sola retenta continua serie dominicarum, etiam quandoque ultimis omissis.

— Quod in officio, ad Laudes, diebus dominicis, nonnisi primum schema servetur.

— Quod celebratio sanctorum, ad ritum usque duplicis, semper officio temporis locum cedere possit?

UNIVERSITAS CATHOLICA LUGDUNENSIS

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE DE LYON

Lugduni, 29 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Cum honore et gratia accepi Litteras Tuas, die 18 iulii 1959 datas, quibus Eminentia Tua Reverendissima rogabat ut vota exponerentur Magistrorum Facultatum Catholicarum Lugdunensium pro futuro Concilio oecumenico, iuxta Summi Pontificis desiderium.

Collatis consiliis et studiis ex materiis uniuscuiusque Facultatis, vota et argumenta transmitto quae magis pertinere videantur ad maximam Ecclesiae utilitatem et animarum bonum.

Interim, profundissimo obsequio permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
humillimus ac devotissimus servus

P. GARDETTE
Rector

FACULTAS THEOLOGICA

DECLARATIO

Humano generi in Adamo peccatori indeque diviso, Deus Iesum Christum dedit fontem omnis iustitiae et perfectae unitatis.

Praeveniente Deo, hominibusque vocationi divinae consentientibus, Ecclesia constituta est et permanet, dum homines in Christo congregat. Ille enim Iesus Christus non solum Ecclesiam olim condidit sed etiam hodie ei praeest vivens caput et semper praeerit.

Cum operetur Christus per suum Corpus Mysticum, cui Spiritum suum communicat, totum illud Corpus sociat suae propriae missioni sacerdotali, propheticae et regali.

Christi Sacerdoti participes effecti fideles cultui rationabiliter se devovent, dum totam vitam suam ut oblationem caritatis, adorationis et obedientiae in fraterna societate consecrant.

Caritate Christi compulsi fideles munere funguntur omnium hominum in conversationem huius societatis convocandorum, ideoque illis communicant verbo et exemplo evangelium Christi passi et resuscitati.

Ut universitas humani generis et omnium creaturarum ad Dei gloriam ordinentur, Christus per membra Corporis sui Mystici super totum mundum regnare contendit.

Sicut corpus nostrum, cum unum sit, plura tamen membra habet quae diversis muneribus funguntur, ita Christifideles, cum unum Corpus in Christo facti sint, multis donis secundum gratiam quae data est eis ditantur (*Rom.* 12, 4-6). Ipse Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores (*Eph.* 4, 11-12). Quae diversa ministeria ut instrumenta quaedam inter manus Eius et in virtute Spiritus Eius manent; nihil sunt, nisi ad totum Corpus relati.

Universum ministerium ecclesiasticum missionem a Christo tenet. Huius hodiernae missionis signum est derivatio legitima potestatum et munerum a corpore episcoporum, collegii apostolorum authentico herede. In quantum etenim apostolicum est munus pastorale, in tantum possunt pastoribus hodiernis applicari verba Christi (*Luc,* 10, 16; *Io.* 20, 21-23) et Ipse Christus mediantibus legitimis pastoribus fideles regit et sanctificat.

Collegium episcopale Papam habet centrum et caput munusque pastorale in totam Ecclesiam in solidum detinet. Huic collegio Spiritus Sanctus secundum promissum Christi assistit, et illud ab omni errore servat circa fidem et mores, sive unanimiter doceant episcopi dispersi, sive dogmatice definiant in Concilio Oecumenico congregati.

Boni communis alicuius ecclesiae localis personaliter curam habet quisque episcopus. Attamen, sicut peculiaris grex non est vera ecclesia nisi communione universalis Ecclesiae, ita episcopus verus Christi minister non est nisi cohaereat toti corpori episcoporum, cum quo potestatem spiritualem tenet. Secundum vero opportunitatem temporum et locorum Ecclesia institutiones determinat quae illam cohaerentiam significant et efficiunt.

Quisque episcopus in ecclesia sua a clero, praesertim a presbyteris, adiuvatur necnon a laicis.

Ex institutione Christi et iure successionis Petri, Romanus Pontifex personaliter curam habet boni communis non solum ecclesiae suae propriae sed insuper et universalis Ecclesiae, ita ut sit Pastor communis. Convenienter potestatem detinet necessariam ad illud munus implendum. Cum Deo rationem reddere debeat totius Ecclesiae, toties infallibili assistentia Spiritus Sancti gaudet, quoties salus ipsa fidelium in periculum inducitur gravi quaestione circa fidem et mores. Infallibilitatis illius subiectum est persona in quantum gerit munus: erraret ab aequa doctrina christiana qui illam haberet sive puram emanationem fidei communis absque ulla auctoritate, sive ut privilegium personae privatae et a coeteris episcopis seiunctae.

Quamquam, pastores inter et fideles habeat locum influxus descendens auctoritatis doctrinalis pastoralisque necnon sacramentalis sanctificationis, audiendi sunt tamen subiecti, non solum ut obediant, sed ut eorum fides, difficultates indigentiaeque cognoscantur et suggestiones accipiantur quandoque a Deo suscitatae. Omnibus Ecclesiae membris incumbit onus commune, superiore tamen semper statuente.

Christus qui est unicum Caput, Corpus, habet unicum, cuius cohaerentiam visibiliter per episcopale Papae adunatum collegium et invisibiliter per Spiritum Sanctum omnibus fidelibus communicatum sustinet. Una est substantialiter fides christiana, et una vera professio huius fidei. In unitate christiana manet ille qui se potestati pastorali Christi eiusque ministris subdit; ab unitate decidit qui se subtrahit authenticis instrumentis adunationis christianae. Ratio praecipua unde omnes convenire debent in unicum Ovile Petri est verbum et oratio Christi (*Io.* 10, 16; 17, 21 sq).

Cum sit unum Ovile unius Salvatoris qui omnes voluit redimere, intendere debet Ecclesia, ad omnes homines in suam unitatem congregandos. Ratione missionis a Christo acceptae, profitetur se ad omnes homines evangelizandos commissam esse, et baptizandos (*Matth.* 28, 18-20): essentialiter est missionaria.

Debet etiam Deo omnes « culturas » consecrare, ab errore eas et

idololatria et peccato purificans. Universalitatis eius non est populis imponere, simul cum fide Christi, unicum modum fidem profitendi et orandi. Consentanea ergo unitati catholicae est diversitas in « cultura » et liturgia, ita ut quaequae societas humana manere possit aliquo modo id quod est cum se convertat ad Christum.

Nullo modo potest Ecclesia ad aliquam partem civilis societatis reduci. Etsi enim membra eius et civilis societatis membra sint, unitas Ecclesiae transcendit omnem societatem humanam et habet in se omnia media necessaria ad finem suum attingendum. Sic Ecclesia societas est perfecta, neque principante Christo, ex hominibus substantialiter pendere potest.

Societates sui iuris sunt Ecclesia et civilis societas unaquaeque in suo ordine, quae fines propinquos intendunt distinctos et diversimode ad finem ultimum hominis relatos. Uti membra alicuius societatis civilis viri ecclesiastici concurrere debeant ad bonum commune. Cives et principantes catholici prae oculis habeant, etiam in actione politica, finem hominis ultimum et consequenter Ecclesiae leges.

Autonomiam societatis civilis Ecclesia observare debet; optandum tamen est ut aliquod pactum libere definiatur inter potestatem spiritualem civilemque, ad vitandos saltem conflictus.

VOTA

1. Instauretur aliquis modus secundum quem laici partem habeant in praeparatione conciliorum.

2. In memoriam revocetur, apostolatus curam, si adsint rationes legitimae quae eximant a munere secundum formas institutas, ab ipsa caritate separari non posse.

3. Cum temperatio muneris pastoralis secundum totam suam amplitudinem extra limites dioeceseos se extendat, et tamen semper sub auctoritate hierarchica manere debeat, canonice suscipiantur aliquae auctoritates amplioribus societatibus humanis convenientes (illae societates non erunt necessarie idem cum nationibus vel statibus), quae rationem reddant et maiorem vim addant decretis pastoralibus.

4. Cum graviora semper fiant officia ad bonum commune totius Ecclesiae spectantia, committantur praesulibus dioeceseon vel auctoritatibus de quibus supra (in 3) omnia quae potestati eorum competunt.

5. Cum sacramenti Ordinis diversi gradus ad bonum Ecclesiae dirigantur, provideatur secundum temporis adiuncta restauratio diaconatus, — cui annumerari possint etiam coniugati — ita ut aliquae difficultates pastorales solvantur.

FACULTAS IURIS CANONICI

A) DE RE MORALI

I. Omnibus qui non systematice recusant res prout sunt considerare, patet « ethicam christianam » et etiam « naturalem » de die in diem pessumdari, ita ut, diversis ex causis, homines plurimi, etiam baptizati, ad sensus paganos paulatim se convertant. Inde lex moralis, sensim et sine sensu, in oblivionem cadit aut ab authentico conceptu disturbatur.

Pluries iam, his recenter elapsis annis, editae fuerunt monitiones necnon damnationes ab Ecclesiae Suprema Auctoritate, ad praecavenda varia pericula doctrinae christianae imminentia. Bis saltem Summus Pontifex Pius XII, beatae memoriae, denuntiavit tanquam perniciosam sic dictam « Novam moralem » (Alloc. 23 martii necnon 18 aprilis 1952 – *A.A.S.,* vol. 44, pp. 270, 413).

Paulo post Suprema Congregatio S. Officii prohibuit et interdixit « Ethicae situationis » doctrinam doceri atque defendi (Decret. 2 februarii 1956 – *A.A.S.,* t. 48, p. 144). Item haec Suprema Congregatio damnavit librum Doctoris Hesnard, cui titulus *Morale sans péché* (*A.A.S.,* vol. 48, p. 95).

Attamen his non obstantibus, videtur perrexisse degradatio ethicae christianae, et etiam naturalis, sub forma sat nova et subtili sed non minus perniciosa, quae paucis his verbis concludi potest: « Mystica locum tenet ethicae » (gallice: « La mystique tient lieu de morale »). Sub nomine « Mysticae » intelligitur quaelibet causa, etiam bona, generosa, optima, imo sancta, ad quam defendendam vel augendam ethica perennis calcatur aut violatur: sive agatur de « mystica » scholae christianae, vel cuiuslibet pii operis, sive de apostolatu apud paganos vel apud operarios, sive de vocatione religiosa, et ita porro ... Sic afferuntur exempla concreta: Etsi experientia constet aliquem candidatum ad sacerdotium vel ad vitam religiosam non posse castitatem servare, ad hos status vocatur tamen vel dirigitur, sub praetextu quod meritorie possit orationi mentali... Ad salvandam vel augendam quamdam scholam christianam, non repudiat quis uti fraude, mendacio, furto, imo periurio (sic)... Ad favendum ministerio seu apostolatui apud operarios (« classem operariorum ») non timetur acceptatio rei prohibitae etiam a lege divina...

Sic operantur mala ut eveniant bona, quod contradicit effato Apostoli: « Non faciamus mala ut veniant bona » (*Rom.,* III, 8) necnon certissimis moralitatis principiis.

Peropportunum videtur solemnis affirmatio seu revocatio legis natu-

ralis quae talem eversionem patitur sive ex parte fidelium, sive — horrentes et flentes dicimus — ex parte sacerdotum ac religiosorum utriusque sexus.

II. Circa prohibitionem librorum

Haec ruina seu deiectio ethicae christianae radicem habet non mediocrem in pullulatione librorum pravorum necnon in spectaculis quae plus minusve ad flagitia provocant.

Porro, attentis numero et qualitate librorum cuiuslibet generis qui eduntur in variis linguis, leges antiquae de prohibitione librorum insufficientes videntur ad tuendam fidem moresque populi christiani, et meliori aptatione indigere praesentibus temporibus.

a) Prohibitio solemnis per inscriptionem in « Indicem », nonnisi paucissimos libros attingit, relate ad massam impressam.

b) Leges generales prohibitionis prout iacent in *Codice Iuris Canonici,* — etsi sapientiam et prudentiam redoleant — de facto parum applicantur, sive quia a pluribus ignorantur, sive quia fideles ancipites manent in aestimanda prohibitione. Insuper ob indolem absolutam prohibitionis, haec prohibitio non attenditur a multis, qui putant a lege excusari, vel contendunt dispensationem nimis onerosam existere.

c) Inde fit ut populus christianus sensim veneno inficiatur.

Ad aptandas leges circa prohibitionem librorum, sequentia vel aequivalentia proponuntur:

1) Damnatio solemnis per ministerium S. Officii (et inscriptio subsequens in Indice) servetur pro operibus magni momenti (ut hodie fit) et damnatio valeat pro omnibus fidelibus et clericis.

2) Attamen ad servandam et tuendam auctoritatem Indicis, expellantur ab editionibus futuris nomina auctorum seu librorum antiquorum, quae non habent amplius nocivitatem, ita ut qui remanent pro vere damnosis habeantur.

3) Pro aliis permultis operibus qui in diversis regionibus eduntur, constituantur commissiones vigilantiae in singulis metropolibus seu provinciis; qui coetus, post examen librorum in territorio editorum, dent notam pro merito uniuscuiusque, et ita pronuntient prohibitionem absolutam pro his scriptis qui periculum constituunt pro omnibus; pro caeteris vero nonnisi gradualem condemnationem ferant, sicut fit, in multis nationibus, pro productionibus artis cinematographicae, ita ut distinctione facta inter diversas lectorum categorias, fideles magis admoneantur et leges prohibitionis melius observentur.

B) IN RE DISCIPLINARI

I. De maiori concordantia statuenda inter leges disciplinares tum Ecclesiae latinae tum Ecclesiae orientalis.

Omnino optandum est ut maior concentus seu concordantia statuatur inter Codicem Ecclesiae latinae et Codicem Ecclesiae orientalis.

Sat multae enim sunt oppositiones seu deflexus, qui suscitant, etiam inter doctos, discussiones non paucas. Sufficiat heic notare recentes controversias exortas circa interpretationem canonis 105 *C.I.C.*, allegando textum can. 35 Codicis orientalis. Insuper hae differentiae seu oppositiones perturbant fidelium mentes, cum ipsis diversitates patent ob populorum transmigrationes, variarumque gentium commixtiones.

Aliae differentiae notabiles constant inter canonem 1070 *C.I.C.* et canonem 60 Iuris orientalis; item inter cann. 88 et 17; inter cann. 97 et 25, etc. ...

Insuper ad nos pervenit consuetudo (quae recenter fulcimentum doctrinale obtinuit in quibusdam dissertationibus apud ephemerides) non recognoscendi validitatem matrimoniorum apud Orthodoxos dissidentes, nisi contrahantur coram ministello schismatico. Quod non parvam mirationem excitat in partibus Ecclesiae occidentalis, ubi, usque adhuc, huic assistentiae ministri acatholici (sive haeretici, sive schismatici) nulla vis agnoscebatur ad constituendum vinculum, eo quod sola Ecclesia catholica dici potest Ecclesia Christi.

Opportunum, imo necessarium videtur decernere, occasione studiorum circa « Ecclesiarum unionem », quid remaneat sive de legibus, sive de iurisdictione apud Ecclesias separatas. Quod numquam fuit definitum aut declaratum.

II. Circa revisionem seu correctionem C. I. C.

Hac occasione « concordiae utriusque iuris » (latini scilicet et orientalis) suscipiatur revisio seu correctio *C.I.C.*, sed non immature: videlicet adhibendo modo quo idem Codex concinnatus est et auditis auctoritatibus totius Ecclesiae latinae.

III. Circa sacerdotum in Ecclesia penuriam

Ad solutionem sic dictae crisis, quae viget ad novorum ministrorum conquisitionem in ordine sacerdotali (non tantum in Occidente, sed etiam in Oriente, saltem in latina Ecclesia), aliqua remedia urgentia adhibenda sunt.

At ne discussiones in hac materia pervagentur extra viam, sedulo in antecessum notandum est (secus ac erronee affirmavit R. P. Rouquette pro Gallia, in ephemeride « Etudes » mensis maii 1959), uti constat ex experientia, necnon ex unanimi testimonio eorum qui curam vocationum habent vel earum cultui adlaborant, legem celibatus apud Ecclesiam latinam non mediocre obstaculum constituere. Constat enim partem 90% adolescentium qui seminarium deserunt fundatam habent intentionem matrimonium contrahendi.

Quid remedii ad hunc statum, cuius causa non est una?

Liceat sequentes suggestiones proponere:

a) Prima necessitas est morum reformatio in populo christiano, apud quem virginitas consecrata deteriore consideratione hodie fruitur: praeeminentia tribuitur statui matrimoniali et cultus abusivus seu excessivus rebus sexualibus exhibetur.

b) Aptior pro tempore sive intellectualis sive moralis educatio, ac praesertim virilior, detur in seminariis vel noviciatibus, iis qui ad sacerdotium tendunt, ut efficacius ad sui status obligationes praeparentur.

c) Et si, his cautionibus non obstantibus, accidit ut aliquis per errorem in ordine sacerdotali cooptetur, a suis obligationibus haud difficulter liberetur, sive per gratiam dispensationis, sive per processum ad normam iuris; ita status sacerdotalis magis fulgebit et purior apparebit, sive populis christianis, sive his qui cupiunt ad hunc gradum ascendere.

d) Ut in proximo Concilio generali non dedignetur studium circa restaurationem, saltem partialem, antiqui status ordinis diaconatus, uti plures scriptores his ultimis temporibus proposuerunt.

IV. Quoad habitum seu vestem clericalem

Fere omnes ad quos pertinet consentiunt in conservatione habitus specialis, a vestibus laicorum diversi, ad decus ordinis clericalis.

Attamen notetur hunc habitum non necessario remanere in statu immutabilitatis, attenta evolutione rerum et conditionum in quibus degitur vita sacerdotalis.

Haec vero aptatio seu evolutio fiat praesertim in sensu simplicitatis etiam pro dignitatibus, et accomodetur legibus et consuetudinibus variarum nationum.

Optatur a nonnullis ut duplex habitus adoptetur; scilicet vestis talaris pro ceremoniis cultus, et alter minus solemnis (v. g. clergyman) pro itinere vel variis laboribus.

V. Ad statum religiosum quod attinet

Valde optandum videtur ut status religiosus in fundamentalibus aptetur et reformetur, ut multoties factum est in saeculis elapsis.

Nostris vero temporibus tanta morum et mentium evolutio facta est ut quaedam formae vitae religiosae ita obsoletae apparuerunt, ut non solum existimationem fidelium vel eorum qui foris sunt aliquo modo amiserunt, sed etiam minus ad christianam perfectionem conducere videntur.

Nimis longum et arduum esset singula puncta notare. Sed in memoriam revocari possunt et etiam in editione legi relationes non paucae, quae editae fuerunt occasione Congressus religiosorum Romae habiti anno 1950: ibi defectus non fuerunt celati, et remedia proposita sunt.

Specialiter notatu digna censemus:

a) Ut in posterum nulla fundatio seu erectio nova permittatur nisi sodales provideant media sese sustentandi per proprium laborem.

b) Ut stipitis coactio (vulgo « quêtes ») maxime restringatur, etiam in Ordinibus sic dictis « mendicantibus »: tales religiosi, in rerum conditione ubi labor exaltatur, uti « otiosi » apparent populis; item sodales nimis videntur intenti ad nummos acquirendos quam ad paupertatem colendam; et ita devenitur, certis in casibus, ad opulentiam collectivam, cum individuali paupertate.

c) Ut societates religiosae magis studium habeant sese reformandi ad novos sodales sibi conciliandos, quam sibi sociare canditatos infimi valoris seu ingenii, quorum praesentia in Instituto auget magis quam frenat occasum status religiosi.

VI. Quoad matrimonii sacramentum

Attenta facilitate quacum dispensatur a certis impedimentis minoris gradus (v. g. consanguinitatis in tertio gradu), rationabile videtur ut talia impedimenta minora inter prohibentia numerentur et non amplius habeant vim dirimentem.

VII. Circa ieiunium eucharisticum

Duplex classis ieiunantium videntur ius habere ad peculiarem Ecclesiae sollicitudinem, quibus non satis per legislationem praesentem fuit consultum, scilicet:

a) *Sacerdos celebrans*. Pro his qui duas vel tres missas celebrare debent ob defectum celebrantium, optandum videtur ut tempus abstinentiae ab alimentis solidis reducatur ad duas horas ante missae initium: saepe enim non adest intervallum trium horarum inter diversas missas, prae-

sertim pro his qui ministerium pastorale exercent in dissitis locis vel in montanis, v. g., qui cantat primam missam hora 8,30, et secundam 12,30, non habet tempus sufficiens ad prandium sumendum, si tertiam missam celebret hora quarta (16[a]) pomeridiana.

b) *Aegroti,* qui, ut notavit excellenter card. Iorio, in opusculo cui titulus « Communio infirmorum », peculiare ius habent ad Ecclesiae et pastorum sollicitudinem. Ad complendum favorem iam concessum sumendi remedium etiam immediate ante communionem, peropportunum videtur restringere abstinentiam ab alimentis solidis usque ad unam horam ante communionem, pro his qui « a mense decumbunt » (ut olim statutum a S. Officio, die 7 sept. 1897, necnon can. 858 § 2).

Idem favor concedatur sacerdotibus, quorum stomachus, ex medici attestatione, non sustinet merum liquidum.

Praeterea, in favore aegrotantium, qui e domo exire non valeant, relinquetur in integro suo valore concessio facta a canone 867 § 4, id est communicandi extra tempus quo missa celebrari potest, « ex rationabili causa ».

VIII. De studiorum cura in utroque clero omnino promovenda.

Patet in orbe catholico, et praesertim in regionibus ubi penuria sacerdotum grassatur, studia ecclesiastica (S. Theologiae et maxime Iuris Canonici) pessumdari. Et hoc constat ex parvo numero eorum qui gradus academicos colunt in academiis seu universitatibus vel facultatibus canonice erectis.

Talis rerum conditio, non sine ordinis ecclesiastici dedecore, non sine doctrinae vel canonum ignorantia aut contemptu, et etiam cum animarum damno persistit. De hoc valde mirantur homines nostri temporis, qui scientia profana maxime imbuti, non animadvertunt aequalem competentiam seu scientiam in rebus sacris apud Ecclesiae pastores.

Ad excutiendum torporem seu negligentiam circa studia hodie praesertim summopere necessaria, multi sunt qui concinunt strictiorem applicationem legum quae iacent in *C.I.C.,* circa qualitates praerequisitas in canditatis ad munia ecclesiastica: « ut sit doctor, licentiatus... in S. Theologia, Iure Canonico, Scriptura sacra... », et abrogetur, tam in iure quam de facto, « tolerantia » (nisi in casibus omnino rarissimis), quae his verbis exprimitur: « aut de his rebus vere peritus, vel peritus... ». Nam constat hanc peritiam authenticam seu veram nimis saepe desiderari; hoc patet ex inquisitionibus a quibusdam Dicasteriis Curiae Romanae factis, et de hoc exstant tabulae rationales.

Inde fit ut studium sacrae doctrinae vel disciplinae apud clericos

periclitetur (nam « Ignoti nulla cupido »...), ius non colitur et iustitia non recte administratur.

Remedium apud Supremam Auctoritatem adest, scilicet apud Sanctam Sedem et Concilium generale. Etiam sine confectione novarum legum, magis stricta applicatio legum iam conditarum quamdam efficaciam haberet.

C) IN RE LITURGICA

I. Quoad novum psalterium

Maxime optandum videtur ut recens Psalterii editio, iussu Pii PP. XII facta, sedulo emendetur et corrigatur, ita ut ne amittatur omnis sensus poeticus, et magis aptetur ad cantum liturgicum.

II. Quoad libros liturgicos edendos

Pro libris liturgicis lex rigorosa promulgetur, ut deinceps nullum officium novum tamquam obligatorium imponatur nisi decimo vel duodecimo quoque anno pro Ecclesia universali, salvis indultis peculiaribus pro diversis personis et locis.

Motiva huius legislationis non videntur spernenda:

a) Nimis onerosum apparet pro personis tam physicis quam moralibus, emere novos libros liturgicos, in quibus mutationes vel additiones nimis frequentes evadant.

b) Editores huiusmodi librorum inter se contendunt et aemulantur ad quaestum faciendum per editiones « novitatum liturgicarum », aut aliquoties damna non pauca subeunt propter obsolescentiam librorum recenter editorum. Sive quaestus, sive damna solvuntur ab his qui tales libros emunt vel his utuntur.

c) Licentia edendi « novitates » liturgicas (pertinentes sive ad missam, sive ad officium, sive ad quoslibet libros officiales) ne detur, nisi postquam textus decretus fuerit tanquam obligatorie adhibendus (id est decimo vel duodecimo quoque anno).

Ex eo quod, v. g. Novum Psalterium, etsi non obligatorium, libere fuit insertum in Breviariis ope editorum, saepe quaestus avidorum, hodie quasi impossibilis evadit recitatio communis horarum canonicarum a sacerdotibus coadunatis pro exercitiis spiritualibus. Impossibilis quoque evadit cantus funeralis, quia Ritualis novae editionis psalterium novum continet, dum Antiphonaria vel libri graduales antiquum textum servarunt, et ita porro.

d) Item notari potest circa plures editiones Novi Ordinis Hebdo-

madae Sanctae. Iam mutationes in promptu videntur: v. g. ad restaurandam processionem solemnem ad delationem SS.mi Sacramenti ad altare celebrationis in Feria VI. Item necessaria videtur (ex iure divino, ob decus Praesentiae divinae debitum) restauratio ritus ablutionis manuum (Lavabo) pro sacerdote qui debet distribuere communionem post adorationem crucis et excalceationem.

III. Pro ieiunio eucharistico in quantum Liturgiam spectat

Lex quae prohibet sumptionem vini pro ablutionibus, quando sacerdos debet iterum celebrare, minus rationabilis videtur, et de facto iam in desuetudinem cadit:

a) Vis seu nervus huius legis frangitur, eo quod celebrans, si ex inadvertentia sumit vinum, non prohibetur missam iterare: permulti sacerdotes, qui hac dispositione innixi, nullum conatum faciunt ut advertant. Existimant enim legem esse levem ob concessionem factam in casu inadvertentiae, vel quia modicitas vini in ablutionibus sumpti pro nihilo reputari potest.

b) Excusantur, saltem pro parte, ex eo quod saepe saepius minister missae (qui habitualiter est puer) plerumque ignorat si sacerdos binare intendit, aut ipse non animadvertit; et, post communionem sacerdoti celebranti vinum cum aqua ad ablutiones offert.

c) Iam ab anno 1923 (16 nov. *A.A.S.* XV, p. 585) S. Congreg. Sancti Officii permiserat sacerdotibus a ieiunio eucharistico dispensatis ante secundam missam sumere ablutiones in prima missa.

d) Solutio rationabilis videtur esse vel permittere ablutiones completas, etiam cum vino, iuxta praesentem rubricam, vel mutare istam rubricam et praecipere ablutiones cum sola aqua.

Notandum tamen quod, ex pluribus saeculis, moralistae et canonistae docent (etiam tempore quo ieiunium eucharisticum erat absolutum et nulla concessione temperatum) ieiunium non obligare quando solvitur per observationem alicuius ritus liturgici; et exemplum adducunt neophiti seu catechumeni qui sal deglutit decursu coeremoniarum baptismi et communionem accipit statim post. Ex alia parte, scopus legislatoris praecipientis ablutionem primam cum solo vino, dein cum aqua mixta vino, videtur esse maior honos debitus Sacris Speciebus per absorptionem liquidi « nobilioris », vini scilicet antequam aqua adhibeatur. Et hoc rationabile esse videtur etiam hodie: nam si adhuc aliquid ieiunii servatur ante communionem ratione reverentiae erga Corpus et Sanguinem Christi, haec reverentia observanda est etiam post Sacrarum Specierum sumptionem.

IV. De Codice liturgico conficiendo

In omni summa, maxime desideratur Codex liturgicus, ad instar Codicis Iuris Canonici confecti, ut in multis consulatur rebus dubiis vel a quibusdam arbitrarie statutis. Sicque finis imponetur temerariis conaminibus et simul leges aptabuntur iuxta necessitates hodiernas fidelium.

Quae confectio seu redactio mature perpendi debet et primum (pro multis mutationibus) experimento subiicienda, ut vitentur incommoda non pauca de mutationibus textus librorum liturgicorum. Adhibeatur etiam methodus pro elaboratione Codicis I. C. recepta, id est audiantur omnes qui auctoritate vel competentia in orbe catholico sunt praediti aut donati.

Et post diligens examen statuatur via media et rationabilis de quaestionibus hodie agitatis, v. g. de vernacula lingua, de situ fidelium durante Missa, et aliis sacris functionibus, de tempore pro ministratione communionis infirmis qui decumbunt vel de domo exire nequeunt (etiam extra mortis periculum). Decretum S. Officii diei 21 martii 1960 de huiusmodi infirmis non curavit. Porro de his praesertim curant pastores animarum, qui diversis ministeriis occupati per horas antemeridianas, nonnisi horis pomeridianis libertatem habent deferendi S. Communionem infirmis, qui ecclesiam vel oratorium adire nequeunt.

V. Calendarii ecclesiastici reformatio

Huiusmodi reformatio, de qua quaestio movetur iam a multis annis, occasione futuri Concilii, provectionem posset habere, collatis consiliis cum auctoritatibus ordinis civilis, praecipue ad indictionem Festi Paschalis ad diem statutum et immobilem (v. g. ad I^{am} vel II^{am} dominicam mensis aprilis).

Qua de re decisio eo magis urget, quo recenter quaedam nationes talem afflixionem vacationum paschalium pro experimento tentarunt.

FACULTAS PHILOSOPHICA

I

Ut novus Canon addatur in Codice Iuris Canonici (Tit. XII. *De Scholis*), in legem faciens regulam iam antea positam a S. Congregatione Seminariorum et Universitatum, ut omnes clerici qui vocantur ad munus docendi philosophiam in Seminariis Maioribus et Scholasticatibus, quibus congruum videretur addere Seminaria minora, praediti sint saltem gradu licentiae in philosophia scolastica.

Usque adhuc, videtur regulam antea promulgatam a S. Congregatione Seminariorum et Universitatum insufficienter fuisse et etiam, in aliquibus Seminariis maioribus et Scholasticatibus, nullo modo observatam.

Nobis videtur quod praedicta regula maius pondus haberet, si fuisset iam in canonem Iuris Canonici facta.

Etenim insufficientia, valde deploranda, nostra tempestate, studiorum philosophicorum, cum fundamenta rationalia fidei vehementer in quaestionem ponuntur, attribui potest, ut videtur, praecipue defectui formationis scientificae magistrorum. Cui obviari solum potest per obligationem factam omnibus clericis qui vocantur ad munus docendi philosophiam, prius adquirere in Facultate philosophica saltem gradum licentiae in philosophia scolastica.

Perutile videretur insuper istam obligationem extendere ad clericos vel magistros religiosos, qui docent philosophiam in Collegiis et Gymnasiis ab Auctoritate ecclesiastica dependentibus et imprimis in Minoribus Seminariis, quatenus istis Magistri debent formare iuvenes ad philosophiam christianam, secundum principia Doctoris Angelici.

II

Ut praeter Commissionem Indicis Librorum prohibitorum, instituantur, circa prohibitionem Librorum, Commissiones dioecesanae vel nationales, quae declararent, pro conditionibus temporis et loci, periculum ex libris recentibus dimanans, eos notando, quoad mores et doctrinam, ad modum productionum cinematographicarum, cum revisione periodica Indicis librorum sic prohibitorum.

De facto est, et valde deplorandum, quod laici et aliquoties etiam clerici Catalogum Indicis Librorum prohibitorum parvi pendant.

Hoc factum certe provenire videtur a minori quadam aestimatione decisionum Magisterii ecclesiastici et earum momenti, quae insuper in multis aliis casibus viget.

Sed etiam, pro parte saltem, ista negligentia manare videtur a forma Catalogi ipsius, cum iste Catalogus:

1°) Adhuc constet ex libris hodie admodum oblitis, quorum numerus quasi attentionem avertit a libris recentius prohibitis et momentum huius prohibitionis minuit.

2°) Imprimis constet ex multis libris quorum prohibitio iustificata fuit circumstantiis temporis et loci iamdudum non vigentibus. Ex difficultate capiendi hodie causas et rationes prohibitionis horum librorum, aliquoties sequitur quaedam minor aestimatio prohibitionum recentiorum.

Quapropter, rebus sic stantibus, nobis videtur prohibitionem librorum maiorem effectum habendum, si secundum modum supra expositum fieret.

III

Ut, in materia morali, expositio quaedam christiana synthetica *Iurium humanorum,* analoga Declarationi universali anni 1948 et Declarationi europeae anni 1950, elaboretur a Concilio.

Nobis videtur hanc expositionem valde desiderabilem esse nostris temporibus, cum tam et tantae difficultates in Ethica situationum exortae sint, v. g. in quaestionibus spectantibus ethicam matrimonii, deontologiam medicalem, psychanalysim, technicas psychologicas et in genere exigentias humanae dignitatis, specialiter quoad usum quaestionis ex parte iudicum et tribunalium, etc.

IV

Ut aliquis modus participationis laicatus christiani ad praeparationem Concilii studeatur et ad effectum ducatur.

Etenim, cum laicatus christianus magis ac magis apostolico muneri Ecclesiae adsocietur, optandum videtur ut iste laicatus et ipsi praeparationi Conciliorum collaboret aliquo modo, verbi gratia votis et postulationibus.

Hoc votum constat commune esse multis fidelibus qui ad officia pastoralia Ecclesiae non solum iam de facto, pro parte sua, vere et efficaciter collaborant, sed etiam optant strictius interesse ad omnes activitates Ecclesiae Christi.

V

Ut, ad peragendam operam interruptam Concilii Vaticani, in proximo Concilio studeatur et ab eo promulgetur Secunda Constitutio dogmatica *De Ecclesia Christi.*

Etenim tres praecipuae quaestiones nobis videntur quadam urgente actualitate gaudere, scilicet:

1) Cum semper magis ac magis augeatur numerus officiorum ad bonum universale totius Ecclesiae pertinentium, quin tamen auferantur conditiones ad Ecclesias locales propriae, praesertim in Missionibus, valde importat ut Ordinarii iuribus gaudeant ad solvendas quaestiones suae iurisdictionis.

2) Cum frequenter contingat, nostris temporibus, ut decisiones pastorales magisterii ecclesiastici se extendant simul ad territoria multarum dioeceseon vel unius nationis vel etiam plurium nationum, difficile videtur quod hae decisiones totam suam efficaciam habere queant et imprimis ad perfectam unitatem executionis ducantur, nisi remittantur, salva utique auctoritate episcoporum, ad quamdam Auctoritatem, potestate requisita et praecise definienda in ambitu suae extensionis de iure gaudentem.

3) Cum magis ac magis, saltem in aliquibus nationibus, minor fiat numerus sacerdotum ad munera pastoralia vocatorum, perutile videtur institutionem praevidere pastorum auxiliarium, quasi in medio populi vitam suam degentium, qui proximitatis gratia ad populum, maiorem effectum apud istum habere valeant. Optamus itaque ut diversi gradus Ordinis, cum quisque eorum et omnes sint ad bonum Ecclesiae, valore suo proprio iterum donentur, secundum traditiones et necessitates nostri temporis, — et specialiter ut studeatur restauratio diaconatus, ita ut, certis casibus intervenientibus, Diaconatus tribui possit aliquibus christianis in statu matrimonii positis.

UNIVERSITAS CATHOLICA
LOVANIENSIS

FACULTATES SACRAE THEOLOGIAE
ET IURIS CANONICI

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

Lovanii, die 7 martii 1960

Eminentissime Domine,

Sacra Facultas Theologica et Facultas Iuris Canonici Universitatis Catholicae Lovaniensis litteras acceperunt quibus rogantur ut intuitu proximi Concilii Oecumenici in Aedibus Vaticanis celebrandi suam aperiant mentem suaque vota debita cum reverentia patefaciant quoad argumenta a Patribus Concilii examini submittenda aut quoad statuta ab eisdem promulganda, ut Ecclesiae Christi fontes vitae fideique divinae largius aperiantur novique exinde fructus sanctitatis atque zeli apostolici ubique terrarum caelo queant maturescere sereno.

Iamvero in quantum Sanctissimus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII suas intentiones Ecclesiae universae iam voluit esse notas, proximum Concilium Oecumenicum, quod felix, faustum atque a Deo uberrime benedictum optamus, imprimis coadunandum videtur ut praeclarum Urbi et Orbi reddatur fidei catholicae testimonium sicque omnibus christianis ab Ecclesia separatis via ostendatur ad portum salutis aperta, ad unicam scilicet Ecclesiam Christi, quam Christus Dominus voluit una fide, uno baptismate, uno fidelium coetu perenniter unitam. Proinde censemus non esse opportunum ut futurum Concilium nova promulget dogmata fide catholica amplectenda, quorum definitio ad fidei integritatem non sit absolute necessaria, ne eisdem christianis dissidentibus difficultas ad instaurandam unitatem augeatur. Ad hoc potius tendat Concilium ut hos fidei articulos in lucem ponat qui omnibus ostendant Ecclesiam Romanam vere et authentice eam esse quae, a Christo et ab Apostolis fundata, doctrinam Christi eiusque institutiones a temporibus primaevis usque ad nostra tempora nullo interiecto chasmate inviolatas atque integras servaverit.

Ostendat ergo proximum Concilium Ecclesiam esse *apostolicam*, quatenus Sacras Scripturas et Apostolicas Traditiones uti fontes fidei proclamat atque tuetur, ita ut ab illis numquam recedat utque ex illis duce Spiritu Sancto, iuxta Christi promissa (*Ioh.* XVI, 13), integram veritatem decursu saeculorum fideliter hauriat, custodiat et infallibiliter declaret. Apostolicam quoque ostendat esse Ecclesiam quatenus tradi-

tionale necnon fundamentale munus Episcoporum extollet. Optandum sane multis theologis videtur ut episcopatus ratio atque munus melius explicetur, scilicet determinando sacramentalem consecrationis episcopalis indolem, reservando solis Episcopis potestatem conferendi ordinis sacerdotalis, affirmando quoque Episcopum iure divino suam regere dioecesim, inculcando denique Episcopos collegiatim, una cum Summo Pontifice subque eius auctoritate, etiam extra Concilium Oecumenicum, iure etiam divino atque inalienabili, docere, gubernare munusque sanctificandi exercere. Apostolicam insuper ostendat esse Ecclesiam quatenus in sua doctrina non desinit personam muneraque Christi Redemptoris omnibus anteponere, praedicando Christum Dominum non solum uti summum divinae revelationis auctorem, sed ipsius revelationis, simul cum Patre et Spiritu Sancto, praecipuum obiectum, culmen atque quodammodo omnium dogmatum rationem explicativam, Ecclesiae quoque, mystici corporis eius, conditorem necnon rectorem, et ultimatim omnium rerum consummatorem.

Sancta quoque e proximi Actibus Concilii Ecclesia omnibus veritatem vitamque divinam quaerentibus appareat. Proinde ne graventur Patres Concilii clarius mysterium gratiae sanctificantis enucleare atque fidelibus credendum proponere. Nonne exoptare liceret ut aspectus qui dicitur increatus gratiae sanctificantis, magis quam hucusque generatim fit, in lucem ponatur ideoque, praeter efficientiam ad extra, tribus Sanctissimae Trinitatis personis communem, etiam magis earum relationes personales cum sanctificatis iustis exponantur. Sub alio quoque aspectu Ecclesiae sanctitas extollatur, quatenus scilicet docetur ei a Christo talem tantamque sanctificandi vim esse collatam ut peccata sequelasque peccatorum in dies magis magisque devincere valeat, immo ut integrum mundum in ambitum sui influxus sanctificantis assumere possit. Absit itaque mens illa quae, particulari et peiorativae vocabuli « mundi » significationi nitens, alteram negligit aut parvi pendit, iuxta quam « mundus » integrum universum accipitur a Christo Domino totaliter redemptum et ab Ecclesia virtute Christi sanctificandum. Itaque integri mundi, a Deo creati et a Christo ab originali vulnere redempti, ab Ecclesia, in hoc mundo posita, bonitas agnoscatur atque a fidelibus omnibus mundus iste ad finem suum supernaturalem cui ab aeterno praedestinatus est, strenue promoveatur.

Catholicam insuper esse Ecclesiam Concilium aperte demonstret, ostendendo eam omnibus et singulis nationibus esse destinatam singulisque temporibus accommodatam. Ut autem indoles illa catholica in dies clarius eluceat quam maxime videtur expedire ut in Urbis dicasteriis omnes gentes actu praesentes sint, — ut praedicatio Evangelii a

missionariis foveatur quin dotibus naturalibus populorum eorumque cultui et humanitati noceatur, — ut sollicitudo manifestetur praeclara de separatis aut dissidentibus christianis ad unitatem et ad veram fidem adducendis. Itaque non possumus quin exspectemus ut, ad mentem Instructionis « Ecclesia Catholica », pergant Episcopi « non solum diligenter et efficaciter invigilare actioni quae ad unitatem Ecclesiae Christi tendat », verum etiam « prudenter eam promovere et dirigere », designando verbi gratia « sacerdotes idoneos qui omnia ad motionem oecumenicam attinentia sedulo attendant » christianosque separatos edoceant « se ad Ecclesiam redeuntes nihil esse perdituros eius boni quod Dei gratia in iis hucusque est natum, sed per reditum id potius completum atque absolutum iri ». Quem in finem introducatur in omnes dioeceses Octava orationis pro unione christianorum.

Hoc quoque modo ostendat Ecclesia suam catholicitatem atque universalitatem quatenus sese exhibet ut transcendentem omnia regimina atque systemata politica aut socialia quibus societas humana ad bonum temporale meliori modo promovendum uti intendit.

Denique nostris praesertim temporibus Ecclesiae pastores atque fideles omnes solliciti sint ut universalem fraternitatem humanam in pace Christi promoveant illamque inconcussis religiosis atque moralibus principiis muniant necnon stabiliant.

Tandem ne omittat Concilium *unitatem* Ecclesiae extollere, dotem mirabilem qua veluti miraculo Ecclesia ad extra ut vera sigillatur. Ad intra unitas illa adhuc evehatur intimius quam in tempore praeterito laicos sacerdotibus in opere apostolico coniungendo. Populus christianus proinde instituendus est ut in doctrina, cultu vitaque sociali Ecclesiae partem gerat activam. Sane laicis imprimis competit ut testimonium reddant vitae integre christianae in variis vitae publicae campis in quibus ratione muneris sui versantur. Praeterea tamen vocatio eis competit exindeque ius cooperandi ad veritates Evangelii docendas vitamque christianam spargendam idque variis modis et formis constitutis, de quibus textus praeparatorii Secundi Conventus Mundialis de Laicorum Apostolatu dilucidam tradunt expositionem. Et si a divulganda falsa cuiusdam laicalis sacerdotii notione abstineri oporteat ne conceptus clari pessima aequivocatione misceantur, opportune nihilominus, tempore proprio terminisque adaequatis, doceatur laicos, virtute characteris eis sacramentis baptismi et confirmationis impressi, munere sacerdotali et prophetico Christi participando vere deputari.

Hisce principiis brevissime delineatis, a futuro Concilio ut nobis videtur imprimis in apricum proferendis, transire liceat ad quaedam vota particularia verbis exprimenda. Qua in re expedire putavimus vota

utique nostra nota facere simulque illa colligere quae frequentius nostris diebus in foliis periodicis, libellis aut libris proposita legimus aut in conventibus prolata audivimus, ut sic postulationi Sanctae Sedis fiat satis rogantis ut de iis sensibus aut motibus qui in Ecclesia sese manifestant, ei praebeatur ampla necnon obiectiva renuntiatio. Nonne facilius multa damna praecaveri poterint si auctoritati ecclesiasticae supremae semper strenuo at filiali animo tempestive vota cleri populique christiani patefacta fiant necnon, si forsan adessent, eorum gravamina. Nosmetipsos itaque censuimus obligatos ad notas faciendas quasdam etiam res innovandi voluntates, aequo tamen animo rerum novarum immoderatam cupiditatem et sterilem inertiam damnantes atque omnia iudicio Patrum Concilii quibus lumen Spiritus Sancti non deficiet, pacata mente commendantes.

Facilioris examini intuitu vota illa sedula attentione ex omni parte collecta sub forma theseum enuntianda curavimus. Sint itaque sequentia:

I

Episcopi Ecclesiam particularem nomine Christi regunt et iure divino, potestate ordinaria in suo genere completa, pascunt. Quae potestas, ratione habita universalis Summi Pontificis primatus iurisdictionis, etiam a dicasteriis romanis integra servanda est.

II

Episcopi in universali Ecclesia potestate gaudent quando cum Summo Pontifice, Ecclesiae capite, et sub eius auctoritate coadunati Concilium Oecumenicum, quod « suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » (can. 228), constituunt.

III

Unicuique etiam Episcopo munus pastorale universale concreditur quatenus « legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto, apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor » habendus est (Enc. *Fidei Donum,* ap. *A.A.S.* 1957, p. 237).

IV

Ordinariae Episcoporum potestatis exercitium nimiis conditionibus, licentiis vel approbationibus restringi nequit.

V

Munus theologiae a munere Magisterii ecclesiastici probe distinguatur quin eo theologorum auctoritas in doctrina fidei transmittenda atque explananda minuatur.

VI

Magisterii officium est in rebus fidei et morum doctrinam revelatam auctoritative exponere. Ne itaque Magisterium in rebus dubiis, controversiis seriis obnoxiis, praematuris declarationibus viam studiis theologicis praecludat.

VII

Theologiae competit sub lumine fidei e fontibus revelationis divinam doctrinam haurire eamque explicare.

VIII

Utut opportunum atque Ecclesiae saluberrimum est in Urbe ampliare atque fovere Universitates atque Scholas theologicas, aeque Ecclesiae interest ut in variis Orbis regionibus necnon nationibus instituantur et promoveantur Studia Generalia scientiae theologicae et canonicae, immo et biblicae. Nimia enim centralisatio, ut aiunt, aut aliquod monopolium non possunt nisi Ecclesiae esse obnoxia, quippe quae Instituta per integrum Orbem diffusa melius conditiones atque necessitates singularum nationum dignoscere atque institutionem eisdem adaptatam dispensare valent. Invigiletur insuper ut nonnisi Instituta indole Universitatis stricte digna nomine « Facultas » decorentur.

IX

Ut in Ecclesia latina vinculum unitatis efficacius servetur optandum est ut Sacrae Scripturae latine amplius legantur atque explicentur. Ad hunc vero finem obtinendum urget ut Vulgata versio in multis locis, praesertim quoad Vetus Testamentum spectat, corrigatur cum hodie nonnullae valde commendandae versiones in variis linguis exaratae versionem Vulgatam insufficientem ostendant.

X

Nova Psalterii versio latina ratione habita antiquioris latinitatis christianae emendetur.

XI

Datis nova versione latina Psalterii pro recitatione Breviarii in Ecclesiam latinam introducta atque versionis Septuagintaviralis in Ecclesia graeca auctoritas Vulgatae melius determinetur atque doctrina Tridentini Concilii in hac parte dilucidetur.

XII

Ad mentem Litterarum *Divino Afflante Spiritu* auctoritate Concilii primatus sensus litteralis Sacrarum Scripturarum solemniter sanciatur. Opportune quoque in memoriam revocentur nonnullae citati pontificii documenti normae pro scientifica rectaque Scripturarum interpretatione, scilicet « veram filiorum Dei libertatem » in rebus fidei ac morum non definitis aut non unanimi Sanctorum Patrum aut Ecclesiae Magisterio solutis esse « omnis sinceri fructus omnisque in scientia catholica solidi profectus conditionem et fontem », « multa remanere eaque gravissima in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen et ingenium libere exerceri potest ac debet », denique abhorrendum est ab illo nequam spiritu « quo quidquid novum est ob hoc ipsum censetur esse impugnandum aut in suspicionem adducendum », siquidem « inter multa illa quae in Sacris Litteris ... proponuntur, pauca tantum esse quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus sit, neque plura ea esse, de quibus unanimis Sanctorum Patrum sit sententia ».

XIII

Optandum est ut in seminariis duo habeantur professores ad Sacras Litteras docendas atque explicandas, ratione habita diversitatis utriusque Testamenti atque eruditionis linguisticae praerequisitae ad optime Sacram Scripturam Veteris Testamenti explanandam.

XIV

Usus linguae latinae in theologia docenda praesertim communitatibus christianis novarum regionum quae propria atque exculta gaudent lingua necnon civilisatione ne imponatur.

XV

Ne confusio oriatur in Ecclesia nova fiat revisio Librorum liturgicorum.

XVI

Usus linguarum vernacularum in sacramentorum administratione amplietur itemque in missis quoad partes populi christiani institutioni aptiores. Sed haec fiant omnia cum ordine et disciplina sub Sedis Apostolicae ductu.

XVII

Concinnior atque melior exoptanda est forma Breviarii romani: rhetoricae ampliationes recensentur, historica veritas promoveatur, pars Sanctorum ordinibus religiosis propriorum minuatur.

XVIII

Laicorum ad canonicam sanctitatem promovendorum numerus augeatur.

XIX

In mentem revocetur decretum Concilii Tridentini de invocatione Sanctorum imprimis quoad devotionum formas invigilandas.

XX

Ad rem moralem quod attinet ostendatur dari « situationem », uti dicitur, universalem, omni loco omnique tempore vigentem, quae doctrinam moralem, nullo relativismo infectam, fundat, lumine utique prudentiae ad mentem Divi Thomae doctrinae singulis applicandam.

XXI

Luculenter doceatur Ecclesiae missionem talem esse ut nullo vinculo nexuque intrinseco alicui regimini politico aut motui sociali sit alligata etsi in determinatis adiunctis subsidium suum suamque sympathiam manifestare potest.

XXII

Nostris diebus Ecclesia, considerata omnium attentione ad problemata ordinis internationalis, foveat apud Episcopos sacerdotes et fideles vividam de ordine et fraternitate populorum universali sollicitudinem, reiecta omni unius stirpis super aliam distinctione aut immo suprematia.

XXIII

Hierarchiae atque sacerdotii praestantiae et iuribus non obstat quin laicis verum agnoscatur munus apostolatus a sacerdotali munere utique clare distinguendum.

XXIV

Quod ius spectat canonicum exoptatur:

1) ut omnes valide baptizati declarentur reipsa esse membra Ecclesiae ut iuridicae societatis hac in terra;

2) ut in Ecclesia decentralisatio constitutiva quam iure divino possidet, etiam de facto servetur ita ut vera sit Episcopi residentialis in dioecesi sua autonomia, salva suprema Romani Pontificis auctoritate;

3) ut potestas Episcoporum residentialium, quippe qui iure divino ecclesiae suae sunt pastores, affirmetur atque determinetur ita ut omnes causae omnesque activitates, etiam religiosorum exemptorum, quae et quatenus populum christianum respiciunt, ab Episcoporum auctoritate dependeant;

4) ut conciliorum nationalium celebratio iure imponatur, v. g. decimo quoque anno;

5) ut in iure Codicis Iuris Canonici suppressa habeantur impedimenta matrimonialia minora in quibus semper, ad solam petitionem nulla suffragante etiam ratione, dispensatio conceditur;

6) ut lex ieiunii et abstinentiae pro Ecclesia universali unica et non perpetuis fluctuationibus obnoxia promulgetur. Sit non nimis ampla sed stricte observanda urgeatur, solummodo tamen inter catholicos domi et publice ubi commode fieri potest;

7) ut de iure et de facto semper inferioribus, verbi gratia parochis, ius sit sese defendendi contra decisiones Superiorum, verbi gratia Ordinariorum, quibus inferiorum iura laesa viderentur;

8) ne infligantur poenae canonicae praecepto solo vel ex informata conscientia sed tantummodo post legitimum processum;

9) ne ullus fidelis sive clericus sive laicus qui non notorie a fide defecerit, umquam poena aut disciplinari decisione plectatur quin prius ut audiatur vocatus sit atque, si compareat, revera audiatur;

10) ut simpliciores reddantur regulae prohibitionis Indicis Librorum prohibitorum atque ipse Index revisioni submittatur necnon ex eo opera sic dicta romanensia expungantur quae iam ipsis regulis generalibus damnantur;

11) ne ullum opus a catholico sive clerico sive laico conscriptum condemnetur aut reprobetur nisi prius audiantur ipsius auctoris Ordinarius aut Superior, atque ipsemet auctor;

12) ut Episcopis ius agnoscatur ordinarium concedendae licentiae ad libros prohibitos retinendos necnon legendos;

13) ut pressius determinetur legislatio canonica circa voluntates ad causas pias;

14) ut reformetur atque praesertim expediatur seu magis simplex reddatur legislatio poenalis Ecclesiae et legislatio processualis, et ut hae applicentur.

15) ut causae super rato celerius tractentur atque rationes denegatae dispensationis oratoribus notae fiant;

16) ut crescente longaevitate humana examini subiciantur problema de aetatis termino officiis ecclesiasticis exercendis imponendo;

17) ut formatio sacerdotum anno quinto pastoralis probationis augeatur;

18) ut religiosi et religiosae saltem per annum in disciplinis theologicis instituantur.

Quae vota devoto animo Eminentiae Tuae committentes libenter profitemur nos esse Eminentiae Tuae Reverendissimae addictissimos et obsequentissimos in Christo Domino servos.

De mandato S. Facultatis Theologicae et Facultatis Iuris Canonici

✠ HONORATUS VAN WAEYENBERGH
Episcopus tit. Gilbensis
Rector Universitatis

FACULTAS PHILOSOPHICA

Datum Lovanii, die 30 aprilis a. D. 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Libentissime obsecundans votis quae Eminentia Tua, per litteras die 18 mensis iunii a. D. 1959 datas (Prot. n. 2 C/59-25), cum Studiorum Universitatum Rectoribus communicavit, qua par est reverentia Te precor ut huic epistulae adnexas animadversiones et vota accipere digneris quae magistri nostri Instituti Superioris Philosophiae intuitu Concilii Oecumenici proxime habendi elucubraverunt quaeque iudicio Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae reverenter submittunt.

Dignetur Eminentia Tua obsequii sensus accipere quibus me profiteor

✠ HONORATUS VAN WAEYENBERGH
Episcopus tit. Gilbensis
Rector Magnificus Universitatis
Catholicae Lovaniensis

Magistri Instituti Superioris Philosophiae in Universitate Catholica Lovaniensi, se maxime honoratos existimantes litteris quas ab E.mo ac Rev.mo Dño Cardinali Praeside Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico acceperunt et quibus magnum momentum declaratur quod in Ecclesia tribuitur Catholicis Studiorum Universitatibus, officii sui esse credunt supradictam Commissionem attentam reddere ad necessitatem promovendi studia philosophica apud catholicos, imprimis quod ad psychologiam philosophicam et philosophiae partem moralem attinet.

1. De philosophiae studiorum necessitate

a) Non sane cupiunt transire in partes collegarum suorum ex Sacris Facultatibus Theologicis, existimant tamen se posse confirmare philosophiam non valere partes suas agere quae illi ex more mandantur in elaborandis disciplinis theologicis nisi in quantum ipsa praevie iuxta proprias methodos constituta sit.

b) Hoc ipso tempore quo tot homines christiani scriptis prelo editis, communicationibus radiophonicis, arte cinematographica vel televisione, necnon et contactu ineluctabili cum infidelibus versantur coram sententiis non christianis quas infideles fundatas autumant ratione naturali, institutio philosophica necessaria est ad praemuniendos hos christianos adversus auctoritatem et potentiam illarum sententiarum et ad eos iuvandos ut ipsis infidelibus proponere valeant sententias quae cum veritate christiana congruunt.

2. De studii psychologiae philosophicae necessitate

Varii progressus investigationum scientificarum in rebus quae physicam, biochemiam, geneticam, physiologiam, psychologiam scientificam spectant, hoc nostro tempore eo devenerunt ut ipsae ideae fundamentales harum scientiarum omnino renoventur quae vulgo tales exhibentur ut interpretationi mere « materialistae » ut vocant mundi ac hominis favere videantur. Homines docti ac philosophi christiani impugnare debent has sententias quibus periculum inest ne suae ipsorum cogitationes contaminentur, sed quae etiam de die in diem apud plures hominum ordines disperguntur.

3. De studii philosophiae partis moralis necessitate

a) Theologia moralis speciale momentum tribuit argumentis quae « ex ratione » hauriuntur, quae philosophia moralis praebeat oportet.

Summi Pontifices etiam atque etiam declaraverunt nonnulla ex praeceptis quae Ecclesia in re morali proponit, implicari cum iure naturali quod rationali cognitioni subest.

b) Novae constructiones artis oeconomicae atque politicae, nova reperta in rebus quae ad scientiam physicam, biologicam, medicam, psychologicam, socialem pertinent, problemata ponunt quae sunt absque dubio intricata et urgentia. Cum christiani homines in his variis rebus versentur coram explicationibus quae cum vita christiana concordes non sunt, cumque saepe cogantur has quaestiones tractare cum hominibus non christianis, institutio philosophica necessaria est ut explicationes practicae comparentur quae cum postulatis vitae christianae concordent quaeque efficaciter hominibus non christianis proponi possint.

His principiis nixi, magistri Instituti Superioris Philosophiae in Universitate Catholica Lovaniensi qua par est reverentia Pontificiae Commissioni antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico haec vota exhibent:

1. ut in Seminariis et domibus religiosae iuventuti instituendae philosophia doceatur iuxta methodum proprie philosophicam, quae differt a methodo theologica; ut haec disciplina, etsi more tradito nitatur, attendat ad problemata hodierni temporis et ad modum ea tractandi quo homines huius temporis ea aggrediuntur; ut ideo magisterium unice mandetur magistris qui philosophiae lauream aut saltem licentiam adepti sunt;

2. ut in omnibus institutis catholicis instructionis superioris pro laicis, studio philosophiae hoc momentum tribuatur quod illi in hodiernis adiunctis competit, utque hoc studium ibi mente vere philosophica ducatur;

3. ut instituta catholica instructionis superioris actu tractent quaestiones quae scientiarum progressu ponuntur et peculiariter illas quaestiones quae ad originem naturamque hominis pertinent; ut homines scientifici et philosophi in his institutis communiter eo tendant ut statum et conditionem « spiritualistam » ut dicunt in illis quaestionibus definiant utque ea inveniant quibus summam conclusionum suarum cum auditoribus frequentioribus communicent;

4. ut in ratione studiorum philosophicorum ampliores partes tribuantur studio systematice faciendo, non tantum occasione data, problematum de re morali tum sociali tum singulari;

5. ut instituta ad hoc proprie destinata enitantur ut investigatio philosophica promoveatur ad solutiones procurandas quaestionibus arduis hodierno tempore propositis, inter quas citari possunt quaestiones de re morali generali et de re morali speciali.

UNIVERSITAS CATHOLICA
LUBLINENSIS

KATOLICKI UNIWERSYTET LUBELSKI

Lublin, die 12 aprilis 1960

Em.me ac Rev.me Domine,

Gratias maximas Tibi ago, quod litteris ad me d. 18 m. iulii 1959 datis Prot. N. 2 C/59-26, Catholicam studiorum Universitatem Lublinensem ad communicanda studia et vota Commissioni, cui praees, invitare dignatus es.

Quae ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico a nobis mittuntur deliberanda, opera curaque professorum Facultatum: Theologiae, Iuris Canonici et Philosophiae Christianae Magni Athenaei Lublinensis elaborata esse velim scias.

D. 20 m. novembris 1959 omnium magistrorum Facultatum Ecclesiasticarum conventus factus est, in quo primum lectae sunt litterae Tuae, tum ii, qui aderant, quae res maximi momenti esse imprimis essent, disputaverunt, post tria singularum Facultatum consilia electa sunt, quae a singulis doctoribus decurialibus Lycei Magni desiderata, vota, sententias perquirerent et his de rebus disputarent. Quibus consiliis praefecti sunt Decani Facultatum supradictarum.

Postea Consilium Maius est creatum, in quod adlecti sunt:

1) Marianus Rechowicz, Antistes Urbanus, Rector Magnificus, qui praesidis officium implevit;

2) Rev.mus D. Ludovicus Krupa, O.F.M., Facultatis Theologicae pro-decanus, qui ab actis fuit;

3) Rev.mus ac Ill.mus D. Antonius Slomkowski, Antistes Urbanus, professor ordinarius, quondam huius Universitatis Rector Magnificus;

4) Rev.mus ac Ill.mus D. Ioannes Nowicki, Antistes Urbanus, Facultatis Iuris Canonici decanus;

5) Rev.mus D. Stanislaus Lach, Facultatis Theologicae decanus;

6) Rev.mus D. Albertus Krapiec, O. P., Facultatis Philosophiae Christianae decanus.

Consilio Maiori, cum materiam rerum et copiam uberrimam praebitam sibi a Consiliis Facultatum omnium cognovisset, perspexisset, examinasset, haec visa sunt digna, quae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico celebrando tractanda proponerentur.

Tota materia tripartito divisa est:

I. Res ad theologiam pertinentes

a) pars doctrinalis

b) vota.

II. Res ad ius canonicum spectantes

a) vota ad disciplinam cleri et populi christiani pertinentia

b) desiderata in eadem materia prolata.

III. Res ad rationem docendi et instituendi pertinentes.

Manus Eminentiae Tuae summa veneratione osculatus, prospera quaeque Tibi Commissionique, cui praees, a Dominio adprecor, dum reverenter permaneo

Eminentiae Tuae Reverendissimae
hum.mus ac dev.mus servus verus

MARIANUS RECHOWICZ
Rector

I. RES AD THEOLOGIAM PERTINENTES

a) Pars doctrinalis

1. In optatis est, ut explanetur expliceturque, quo vinculo copulentur cum Ecclesia Catholica acatholici fidem supernaturalem vel etiam caritatem habentes, eos dicimus qui « ad adspectabilem non pertinent Catholicae Ecclesiae compagem, attamen inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinantur ».

2. Magnopere desiderandum videtur, ut in doctrina de Sacramentis amplius illustretur declareturque ea cum Christo et cum Ecclesia arctissime cohaereri. Plerumque enim non satis docetur « meritum et virtutem passionis » Christi « operari in Sacramentis » (S. Thomas, *S. Th.*, p. III. q. 64 a. 3). Praeterea admonendum est hanc virtutem ex Christo per Sacramenta Ecclesiae mediante fluere.

3. Praeceptum caritatis proximi etiam ad totas nationes et societates humanas referri maximi momenti rem esse mentibus fidelium etiam atque etiam inculcandum est, ut aliae nationes sicut natio sua ab omnibus hominibus diligantur, cum omnes homines unum genus a Deo creatum et a Iesu Christo redemptum constituant. Damnentur omnes formae et species effrenati nationis suae amplificandae studii, seu pravus nationalismus qui dicitur.

b) Vota

1. Cum mysteria ad Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam spectantia cum ipsis fundamentis doctrinae christianae arctissime iungantur et cum Eiusdem cultus ab omnibus christifidelibus suscipiatur necesse sit, quis infitias ibit totius Ecclesiae plurimum ad omnium bonum interesse in symbolo fidei Nicaeno-constantinopolitano, modo et loco maxime idoneo, inserere titulum « Dei Genitrix », quo omnes Patres Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis in concilio Ephesino coadunati Beatissimam Virginem Mariam sollemniter nuncupaverunt.

2. Cum hodie Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam saepe saepius a christifidelibus ut Corredemptricem coli constet, utilissimum esse videtur, ut mysterium nostrae redemptionis a Christo in Cruce peractum, in quo Beatissima Virgo Maria eximias partes habuit, plenius cognoscatur, loco festi « Septem Dolorum B. V. Mariae », nunc in kalendario Romano die 15 septembris celebrati, institui festum « B. V. Mariae Almae Sociae Christi Redemptoris ».

II. RES AD IUS CANONICUM SPECTANTES

A) Vota ad disciplinam cleri et populi christiani pertinentia

1. Ad can. 66.

Optandum sit, ut facultates per litteras sic dictas quinquennales a Sede Apostolica Ordinariis commissae Codici Iuris Canonici inserantur, nam facultates illae quattuor formulis secundum varias regiones distinctae dantur. Singulae vero formulae non sunt omnibus Ordinariis communes, sed saepe variant ita, ut Ordinarii, etiamsi eiusdem regionis sint, aequali tamen modo in praedictis facultatibus non participent. Facultates quinquennales plerumque a clero dioecesano ignorari solent neque de illis in praelectionibus, quae in Athenaeis magnis habentur, mentio ulla fit neque raro accidit, ut ne Ordinarii quidem memoria teneant, quae ipsis tali modo commissa sint.

Hierarchia ritus Orientalis novo legum corpore edito pro Ecclesia Orientali similibus ac nonnullis in casibus etiam amplioribus facultatibus iure proprio gaudet (Pius XII, Motu proprio « Cleri sanctitati », 15 augusti 1957).

2. Ad can. 98.

Ut omnes ritus in Ecclesia eadem conditione gaudere clarius appareat, aequum est vel in minimis singulisque rebus omne legum discrimen tollere, quae rationem et modum assumendi vel mutandi ritus praescribunt.

Habeant ergo Ordinarii ritus Latini aeque ac Hierarchae Orientalis Ecclesiae, ius conferendi iustis de causis facultatem, ut baptisma accipiatur a ministro alterius ritus, removeatur etiam de can. 98 § 4 Codicis Iuris Canonici, ubi praescribitur mulieri, quae sequatur ritum viri in matrimonio ineundo vel eo durante, licere ad pristinum ritum reverti ea conditione, si iure particulari non prohibeatur. Quae conditio iam abrogata est in novis legibus de ritibus Orientalibus promulgatis 15 augusti 1957 litteris Pii XII motu proprio datis *Cleri sanctitati.*

3. Ad can. 1035.

Leges omnium rituum ad matrimonium spectantes hoc modo concipiantur, ut una eademque ratione tractentur impedimenta matrimonium dirimentia. Utilissimum esse imprimis videtur introducere in leges Ecclesiae Orientalis eandem ac in ritu Occidentali rationem computandi gradus impedimentorum consanguinitatis et affinitatis in linea obliqua. Cum enim matrimonium a fidelibus ritus Orientalis coram parocho ritus Latini, quod hisce temporibus persaepe potest accidere, contra-

hitur, periculum est, ne hoc impedimentum neglegatur in quibusdam gradibus lineae obliquae tractus inaequalis, quibus intercedentibus hoc impedimentum latius patere quam in ritu Latino quis ignorat?

4. Ad can. 1042.

Sat mira esse videntur in can. 1042, § 2 impedimenta matrimonialia gradus minoris, quae sunt vera impedimenta dirimentia, sed ob facilem quam admittunt dispensationem, in praxi fere pro nihilo habentur et plerumque parvipenduntur, quia ad obtinendum super iis dispensationem sufficit allegare quamcumque causam canonicam, quae etsi finalis et motiva potest esse falsa, attamen validitati obtentae dispensationis minime nocet (can. 1054).

Nonne magis augeatur auctoritas legis ecclesiasticae, si dicta impedimenta gradus minoris aut omnino abrogentur vel saltem in impedimenta impedientia mutentur?

5. Ad can. 1087, 1092 et 1095.

Ex usu esse videtur, ut eaedem sint leges ecclesiasticae, quae ad matrimonium contrahendum pertinent, praescripta scilicet, quibus agitur de validitate matrimonii vi et metu intercedente contracto, de matrimonio sub aliqua conditione contrahendo, de tempore vetito, de assistentia sacerdotis in contrahendo matrimonio. Etiam atque etiam contendimus leges ad matrimonium contrahendum contractumque spectantes easdem paresque sint toti ecclesiae necesse esse. Ut praecaveatur, ne plurimae causae de nullitate matrimonii ex titulo: vis et metus, quae ad tribunal Ecclesiae non raro aliquot demum annis, vel plus quam decem post matrimonium contractum deducuntur, definiendum est temporis spatium, intra quod « purgatio metus » fiat.

6. Ad can. 1083.

Abrogetur in Codice Iuris Canonici numerus secundus canonis 1083, § 2, ubi de errore circa conditionem servilem compartis dicitur, nam haec res nostra aetate iam obsoleta est revocatque tantum memoriam temporis acti, at hostibus praebet arma, quibus Ecclesiam ipsam petant. Eodem statu est res, quae can. 987 n. 4 continetur.

7. Ad can. 1099.

In can. 1099, § 1, n. 3 Codicis Iuris Canonici delenda esse videntur verba: « Orientales, si cum Latinis contrahant hac forma adstrictis », nam novo iure matrimoniali Ecclesiae Orientalis promulgato d. 12 martii 1949 litteris Pii XII motu proprio datis *Crebrae allatae sunt* fideles ritus Orientalis hoc facere prorsus non iubentur (can. 90).

8. Ad can. 1165.

Par est caeremonias, quae peraguntur cum ecclesia vel altare consecrantur, breviores fieri simplicioresque reddi, plures enim horas evol-

vuntur, ita ut nonnulli christifideles eis interesse vel non possint vel alienatis animis nolint.

9. Ad can. 1429.

Definienda est summa aetas, usque ad quam liceat sacerdoti officia ecclesiastica tenere et implere, praesertim autem curam animarum exercere. Qua norma statuta Ordinarius facilius expeditiusque removebit a paroeciis parochos provectiore iam aetate, quam ut implendis animarum curae officiis pares sint. Multis in casibus res implicatae difficilesque exsistunt atque plurimam molestiam magnumque odium Ordinario afferunt, at si bonum animarum respicitur, pastor iam senio debilitatus certe removendus est.

Codici Iuris Canonici inserantur praescripta quibus tutior reddatur vita sacerdotum morbis vel senio infirmorum. Multis in dioecesibus peculiares a sacerdotibus consociationes securitatis contra morbos, casus, senium causa institutae iam sunt, quae sub vigilantia Ordinarii loci sunt. Usu docti scimus tamen id genus consociationes suapte natura bonas utilesque non posse quod sibi proposuerunt efficere, cum in ipsorum sacerdotum arbitrio et potestate ponatur, velintne societati nomen dare et annuam stipem solvere. Ordinario non datur potestas cogendi aliquem sacerdotem, ut invitus talis consociationis sodalis fiat. Plerumque itaque fit, ut preces, adhortationes, admonitiones prorsus irritae sint. Cum apud omnes fere populos iam leges iuris civilis latae sint, quibus laicis aegrotantibus et senibus succuritur, maxime ergo necessarium est has res iure communi Ecclesiae ordinari. Quae cum ita sint, ex usu esse videtur, ut Codici Iuris Canonici inserantur normae, iuxta quas:

In dioecesibus instituantur Ordinario loci approbante, recognoscente, inspiciente, consociationes clericorum ad suppetias mutuo ferendas.

Omnes clerici dioecesani teneantur consociationi adscribi atque solvere stipem constitutam et ab Ordinario approbatam.

Ordinario autem potestas detur sanciendi poenas in contumaces et officia neglegentes sacerdotes.

10. Ad can. 1432.

Communis iam fere nunc usus in Ecclesia factus est conferendi beneficium ecclesiasticum (curae animarum) in forma, quae Codici ignota est, scilicet administrativa. Quae forma non cadit neque in parochum, qui removeri potest, neque in vicarium oeconomum. Quo fit, ut ignoretur, quae poenae inferantur et quid tali provisione quoad ius efficiatur. Cum iam pridem haec consuetudo in omnibus fere Ecclesiis invaluerit, iam satis matura esse videtur, ut nova institutio iuridica in Corpus iuris inferatur.

11. Ad can. 1519.

Valde necesse est, ut Ordinarii loci potestas augeatur in alienatione bonorum ecclesiasticorum facienda.

Experiundo enim docemur cumulatis in manu Ecclesiae plurimis bonis immobilibus fieri solere, ut potestas civilis ea usurpare conetur et ecclesia maximam partem eorum perdere neque umquam recuperare. Si Ordinarii potestas hac in re maior reddatur, facilius ratione habita et necessitatum et locorum conditionum in tempore cavebitur imminenti calamitati et bona, quae publicanda sunt, hoc vel alio modo Ecclesiae serventur.

B) Desiderata

a) *ad clerum spectantia*

1. Opportunum videtur erigere et promovere pias sacerdotum uniones, quae vitam communem cleri propagent, sanctiores sodales reddant, adiutricem mutuamque sodalibus opem ferant in explendis muneribus et officiis apostolatus sacerdotalis.

2. Sacerdotes vetentur factionibus politicis immisceri atque in eis primas partes agere.

3. Postulandum est, ut amplius retractetur Breviarium Romanum et sacerdotes etiam atque etiam admoneantur se ad cotidianam orationem mentalem officio teneri.

4. In optatis est, ut leges ad vestitum sacerdotalem pertinentes mutentur, nam clerici induantur necesse est veste, quae magis accommodetur praeceptis hygienicis, oeconomicis et practicis.

5. Ut amoveantur scandala permulta laicorum et ut minuatur numerus sacerdotum, qui animo levi, absque matura deliberatione sacrum presbyteratus ordinem susceperint, peropportunum, immo necessarium videtur non admitti ad sacerdotium candidatos nisi post expletum duodetricesimum vitae annum exclusa dispensatione super impedimentum aetatis ad presbyteratum. Inter subdiaconatum, diaconatum sacerdotiumque intercedant aliquot anni, inter quos candidatis sacerdotii detur facultas et potestas ad probandos semetipsos cum ut subdiaconi vel diaconi fungantur munere coadiutorum cleri parochialis. Probationis tempore peracto qui se idoneos ad obeunda ardua munera sacerdotii habeant, hunc sacrum ordinem suscipere poterunt.

Ceteris, qui oneribus presbyteratus impares sint, liceat diaconis manere, quorum officia possint implere, etsi non iubeantur coelibatum servare.

6. Iisdemque de causis opportunum videtur tempus professionis

perpetuae in religionibus prorogare ad duodetricesimum vitae annum completum.

7. Valde infelicibus ac miseris apostatis a sacerdotio detur reditus in sinum Matris Ecclesiae hac conditione, ut gaudeant iuribus laicorum, sed priventur in perpetuum facultate implendi officia sacerdotii.

b) *ad fideles spectantia*

Fidelium mentibus inculcandum est laborem pertinere ad religionem, mores, societatem hominum. Necesse etiam est, ut omnes doceantur quid sit ipsum ius proprietatis privatae: id non esse absolutum, sed relativum, coniungi cum officio erogandi in causas publicas non solum per modum eleemosynae, sed etiam per modum socialium obligationum.

g) *ad liturgiam spectantia*

1. Quo melius fideles ordinem Eucharistici sacrificii atque alios sacros ritus intelligant et libentius eis intersint, necessarium videtur dari ampliorem locum sermoni patrio in administrandis s. sacramentis: baptismi, confirmationis, matrimonii, extremae unctionis atque sacramentalibus.

2. Aequum est introduci in Canonem Missae nomen S. Ioseph tutoris et nutritoris Domini; addi praefationes: pro tempore Adventus, in festo Corporis Christi; omitti in fine Missae Evangelium S. Ioannis; id genus caeremonias ut genuflexiones ante episcopum, oscula inter sacros ritus, iteratas mutationes mitrae in posterum prorsus omitti; capitulum vel singuli canonici episcopo benedicente genuflectant ut ceteri clerici.

III. RES AD RATIONEM DOCENDI ET INSTITUENDI PERTINENTES

1. Qui sacrae militiae nomina dederunt, necesse est ut priusquam ad sacrum ephebeum vel religionem admittantur, et a medicis et a psychologiae peritis probentur, si ad id genus vitae idonei sint.

2. Clerici studia sacra sacerdotio recepto ne intermittant, sed magis magisque animos excolant disciplinis theologicis et litteris humanis, danda est opera, ut:

a) In metropolitarum sedibus, in eis imprimis, ubi domicilia maiorum theologiae disciplinarum desiderantur, instituta erigantur disciplinis theologiae et philosophiae tradendis, quae iure a Sancta Sede sibi concesso gaudeant conferendi saltem licentiam.

In quibus clerum doceant et instituant doctores, qui adepti sint gradum saltem magistri aggregati seu docentis in aliqua Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis. Id genus Institutis liceat esse auxiliariis sive Catholicae Universitatis sive alicuius Facultatis studiorum ecclesiasticorum gaudentis iure sibi a Sancta Sede concesso conferendi gradus academicos, etiam aggregandi atque impertiendi veniam legendi.

Quae Instituta non est dubium quin et sacerdotes qui animarum curam in paroeciis exercent, doctrinis et litteris imbuant atque fiant velut domicilia humanarum divinarumque disciplinarum, unde doctrina et veritas etiam in seminaria diocesana diffundi possint.

b) Simili ratione oportet omnis ordo vel congregatio religiosa habeat iuxta normas Codicis Iuris Canonici et Constitutionum Apostolicarum Studium generale, quod praeditum sit iure conferendi licentiam, ut in Polonia sunt Studia Patrum Ordinis Praedicatorum et Societatis Iesu.

Si ordo vel congregatio religiosa impar sit condendo his legibus proprio instituto, sacri ministerii tirones instruantur doctrinis philosophicis et theologicis vel in studio generali alicuius religionis, vel in institutis theologiae et phisolosphiae, quae in metropolitarum sedibus erigenda sunt.

3. Praedictis Institutis philosophiae et theologiae iungenda sunt Collegia sacerdotum, ubi sacrorum administri in tota provincia ecclesiastica constituti aliquot annis post quam sacerdotio aucti sunt, quandam renovationem animi et mentis subeant per tres circiter menses. Quo tempore per quinque minimum dies continuos exercitiis spiritualibus vacent, tum audiant praelectiones, quibus res tractantur peculiares, ut doceantur quibus in rebus huius aetatis theologi praecipue versentur, christianae doctrinae vindices quid et qua ratione in praesenti proponant solvendum, quo modo horum temporum christifideles a sacerdotibus pascendi sint. Conventus et praelectiones absolvantur periculis ab eis, qui intererant, superandis. Qua renovatione facta sacerdotum et debilitata divinarum rerum contemplatio recreabitur et studia sacra complebuntur et mentes recentioribus sententiis de rebus ad agnitionem animi et ad moderandam vitam pertinentibus imbuentur.

4. Ut clericorum animi uberioribus plenioribusque disciplinis theologicis excolantur, instituendae sunt bibliothecae decanales eo loco, ad quem facillime sacerdotes decanatus adeant. Libri, commentarii comparentur et conserventur pecunia ab omnibus clericis illius decanatus collata.

5. Maxime necessarium esse nobis quidem videtur, ut definiantur

et promulgentur iura hominis ut liberae personae humanae, quae et familiae et rei publicae est.

Quod ut postulemus, adducimur violatis saepe hisce temporibus iuribus personae humanae. Quis est qui aequo animo ferat culpam praestandam esse etiam insontibus, si unus ex iis aliquod facinus commiserit; in publicae custodiae locis detineri innumeras victimas, totos populos interimi nostra quidem memoria ab iis, qui plenissima absolutaque auctoritate publicam rem administrant; ibi enim, ubi omnia in rei publicae potestatem redacta sunt, persona humana nihil aliud fit nisi instrumentum et adiumentum variorum hominum, qui per vim tyrannorum more rerum potiti sunt.

6. Ex usu quoque esse videtur, ut definiatur et in memoriam revocetur recta agendi ratio, ex iustitia manans, qua populi opulenti, quorum res oeconomicae florent, tenentur adiuvare eos populos, quorum res oeconomicae infirmae nondumque adultae sunt.

Proh dolor! Fames, morbi, habitationum penuria velut pestes quaedam atrocissimae grassantur in variis regionibus orbis terrarum, at apud complures populos technicae disciplinae et res oeconomicae mirum in modum creverunt atque summum iam gradum adeptae sunt. Quae cum ita sint populi divites ex iustitia debent adiuvare populos ope indigentes; quae res prima lex esse apparet humanitatis progredientis et in unam quandam societatem nationum se constituentis. Cum Societas Nationum Unitarum iam hoc sibi faciendum proposuerit, in votis est etiam Ecclesiae catholicae hac de re vocem adhortationemque audiri.

7. In philosophiae studiis ratio illa saepius pleniusque adhibeatur, nota quidem primis christianae aetatis saeculis, a summo vero Magistro Leone XIII valde probata: « Vetera novis augere ». Philosophiae ergo praecepta necesse est vitae accommodentur, illustrentur et firmentur nostrorum temporum doctrinis et scientia, ut etiam ab huius aetatis hominibus facile percipiantur et intelligantur. Imprimis agitur de philosophiae historia. Quoniam ratio conformatioque doctrinae, quae ab huius aetatis ingeniis probantur, maximi momenti sunt ad formandos mores et de Deo, de hominibus, de religione atque rerum natura opiniones, in institutis philosophiae et theologiae, explananda sunt placita philosophorum huius aetatis luce doctrinae catholicae illustrata; si iam hoc fieri coeptum est, omnibus viribus nitendum est, ut haec materies fusius tractetur.

Cum manifestum sit his temporibus hominem se sociale animal esse in communeque genitum sibi magis magisque conscium fieri, quod elucet in omnibus partibus vitae humanae, in studiorum rationem inducatur necesse est de hominum animo disciplina, quae rationem habet societatis humanae et adiuvatur a psychologia quae experimentis con-

stat. Haec disciplina, quam nostra memoria mirum in modum progressam esse gaudemus, adiumento maximo esse potest eis, qui curam animarum gerunt et vitam hominum vere humanam reddere pollicetur.

Cum denique opiniones, quae de Deo, de rerum natura, de homine societateque humana concipiuntur, principiis latius patentibus, quae ab disciplinis rerum naturam pervestigantibus praestantur, peropportunum est in tradenda philosophia magis rationem habere earum rerum, quae recens inventae, demonstratae, probatae sunt a speculatoribus ac venatoribus naturae.

PONTIFICIA UNIVERSITAS MANILENSIS
SANCTI THOMAE

UNIVERSITY OF SANTO TOMAS

Die 12 martii 1960

Eminentissime Princeps,

Statim a receptis litteris Eminentiae Vestrae de propositionibus et suggestionibus submittendis Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici, coetum coadunavi Professorum uniuscuiusque Facultatis Ecclesiasticae nostrae Universitatis Sancti Thomae Manilanae, Philippinarum Catholicae.

Commissiones tunc efformatae, post maturam deliberationem et studium, propositiones his litteris adiunctas praedictae Pontificiae Commissioni submittendas existimarunt simul cum disquisitionibus de singulis a Professoribus elaboratis.

Tibi, ergo, Eminentissime Princeps, et praeclare Pontificiae Commissionis Praeses, has praesentare mihi accedit eximius honor.

Faxit Deus ut in maximum Dei servitium et Ecclesiae Christi gloriam et tutamen haec parva et quaecumque alia quae Eminentia tua Reverendissima Universitati Sancti Thomae ad futuri Oecumenici Concilii praeparationem committere velit cedant.

Sacram Purpuram exosculans maneo Eminentiae tuae Reverendissimae in Christo

Obsequentissimus

Fr. IESÙS CASTAÑON, O. P.
Rector Magnificus

SECTIO THEOLOGICA

1

STUDIUM

DE AUTHENTICA BIBLIORUM SACRORUM VERSIONE E FONTIBUS ORIGINALIBUS CONFICIENDA

(N. Dominguez, O. P.)

PRAEFATIO

Laetissimum ad nos usque pervenit nuntium Oecumenicae Synodi a Summo Pontifice Ioanne XXIII, feliciter regnante, indictae, iamque in Urbe celebrandae, « ea praesertim de causa ut ad Catholicae Fidei incrementum et ad rectam christiani populi morum renovationem deveniatur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodetur; quod profecto mirabile praebebit veritatis, unitatis, caritatisque spectaculum ».[1]

Unitatis igitur, quae « peculiarissimo modo Summo Pontifici in votis est »; et quidem unitatis in veritate et caritate, instantis iam Oecumenicae Synodi celebratio mirum exhibebit spectaculum quo adspectabili modo cunctorum oculis obiciatur Ecclesia; ita ut illius splendore unitatis adlecti populi, dicere quasi cogantur: « Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem » (*Is.* II, 2). Ecclesiae namque indivisibilis unitas tribus, eodem nos admonente Summo Pontifice, distinguitur atque exornatur: « unitate nempe doctrinae, regiminis et cultus ».[2]

Et ad doctrinae quidem, ceteris praetermissis, unitatem quod attinet, omnes omnino fateri necesse est illius rationem in divina revelatione, quae a Deo de caelo descendit, esse quaerendam; Civitatem enim sanctam, Ierusalem novam, vidit Ioannes descendentem de caelo, a Deo (*Apoc.* XXI, 2); quia « de caelo, inquit Augustinus, ab initio descendit Spiritus Sanctus »,[3] qui locutus est per Prophetas, qui sacris Scriptoribus divinitus inspiravit, omnemque veritatem docuit Ecclesiam, ut ipsamet, tanquam Magistra, illam veritatem et fideliter custodiret et infallibiliter

---

[1] Litter. Encycl. *Ad Petri Cathedram.* Bol. Eccl. de Filipinas, vol. XXXIII, p. 508.

[2] *Ad Petri Cathedram,* in eodem, Bol. Eccl.

[3] *De Civitate Dei,* XX, 13; *PL.* VII, 682.

doceret. Supernaturalis enim revelatio, « secundum universalis Ecclesiae fidem, continetur tum in sine scripto traditionibus tum etiam in libris scriptis, qui appellantur sacri et canonici, eo quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».[4]

Ecclesiae igitur infallibili magisterio duplex concreditum est depositum divinae revelationis, oralis nempe traditio et utriusque Testamenti libri canonici; at dum primum depositum, traditionum nempe, sibi retinet Ecclesia, paulatim sub assistentia Spiritus Sancti enucleandum, altedum econtra, Sacram videlicet Scripturam, in manibus ponit cuiusve Christifidelis; legendam utique iuxta versionem Vulgatam Sancti Hieronymi, interpretandam vero iuxta sensum « quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum ».[5]

Ita sane doctrinae revelatae unitatem, quae unitatem arguit Ecclesiae custodientis divinum revelationis depositum, omnibus palam facit instrumentum quo divina revelatio innotescit; Sacra videlicet Scriptura, quae primitus lingua hebraica et graeca, immo et chaldaica nos adloquebatur, nunc vero a temporibus Sancti Hieronymi, lingua latina quam Vulgatam dicimus, quamque Sancta Tridentina Synodus authenticam sollemniter declaravit.[6]

Nunc vero scriptura signum est et intrumentum quo veritas doctrinae innotescit et manifestatur; ideoque ipsa Scriptura Sacra eo clarius et efficacius evadet veritatis revelatae signum, quo perfectius et accuratius divinam revelationem commonstret, verumque ostendat et authenticum huius revelationis sensum: aliis verbis, quo in eius unitate et perspicuitate clarius innotescat unitas et claritas divinae revelationis. Hoc sane munere diffitendum non est textum originalem functum fuisse; haud tamen ita luculenter primaevi textus interpretationes, quae vel umbris veritatem revelatam obruere, vel revelationis sensus infeliciter depravarunt; unde et Sanctus Hieronymus, maximus Scripturae interpres, veterem latinum textum retractare sategit, a vitiis et erroribus illum expurgando, vel ad hebraicam revocando veritatem, ex indeque, tanquam fructus pacatissimus laborum Doctoris Maximi, prodivit versio vulgata, « quam Concilium Tridentinum in publicis lectionibus, disputationibus, praedi-

---

4 Encycl. *Providentissimus Deus. EB.* 66; Conc. Vat., sess. 3 c. 2,*De Revelatione, EB,* 62.

5 Conc. Vat., *De Revelatione,* cap. 2, *EB.* 62.

6 Conc. Trid., Decret. *de Canonicis Scripturis,* sess. 4, *EB.* 45 et Decret. *de edit. et usu Sacr. Libr., EB.* 46.

cationibus et expositionibus pro authentica habendam decrevit, atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo ».[7]

At praebetne Vulgata nostra textum adeo accuratum quo, primigeniorum instar, divina revelatio novis innotescat, et quo ad doctrinam revelatam accessum habeamus? Hoc proculdubio erat in votis Sancti Hieronymi, qui tamen a proposito prudenter et sapienter resilivit, « ne nimia novitate lectoribus studium terreret »;[8] unde non paucis vitiis et erroribus quae textum veteris Latinae deturpabant parcere coactus est. Et valde mirum; eadem ipsamet vitia quae in deliciis erant lectoribus quos Hieronymus prae oculis habebat, a lectione Vulgatae Hieronymianae nos terrent, tanquam scopuli qui viam ad veritatem revelatam attingendam praepediunt. Hos scopulos decursu saeculorum removere conati sunt meritissimi interpretes textus Vulgatae; et nostris nunc temporibus, feliciori forsan exitu, id ipsum assequi volunt innumerae, quae undequaque pullulant, sive latinae, sive vernaculae, versiones e fontibus originalibus Sacrae Scripturae.

Valde tamen extimescendum putamus ne huiusmodi copiam hodiernarum versionum confusionem potius quam claritatem ingerant in unitate veritatis revelatae; *quopropter persuasum habemus tempus advenisse ut ipsamet Sancta Mater Ecclesia versionem officialem et authenticam nobis praebeat, e fontibus quidem originalibus deductam, cui deinceps omnes vernaculae versiones obtemperare teneantur.* Hoc, ni fallimur, expostulat ipsamet indoles textus Vulgatae nostrae; hoc pariter spectaculum attingendum unitatis veritatis sacrae, unitatem arguens et ostendens ipsius Ecclesiae.

I - INDOLES TEXTUS VULGATAE

Neminem latet propositum fuisse Sancti Hieronymi in versione redigenda quam Vulgatam appellamus, a vitiis et erroribus purgare textum veteris latinae, seu *Italae,* quam fere ut officialem legebat Ecclesia latina inde iam a seculo secundo; at omnibus notum pariter est sat plurima veterum vitiorum et errorum adhuc reflectere vulgatam nostram; quod quidem non imperitiae, sed prudentiae potius tribuendum est immortalis Interpretis, qui detractoribus suis occurrens, criterium interpretationis manifestat, dum, inter alia, scribit ad Sunniam et Frettellam: [9] « Ubicumque

---

[7] Encycl. *Providentissimus Deus, EB.* 91.

[8] Ep. *ad Sunniam et Pretelam, PL.* XXII, 837-867; Vigouroux, *Dict. de la Bible,* art. *Latines,* 99-102; Jacquier, *Le texte du N. Test.,* pp. 146-148.

[9] In eadem Epistola, *PL.* XX, 847.

sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus ». Praestat igitur relationem aliquatenus saltem detegere inter veteris latinae textum et Vulgatam Hieronymianam.

VETUS LATINA

Notissima sunt verba Sancti Augustini: « Qui scripturas ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari ».[10] His tamen verbis, quae factum tantummodo revelant, damnare nullatenus intendit Augustinus interpretes illos, quibus subvenire propositum erat necessitatibus fidelium linguae latinae, qui graece legere non valebant.

Has inter innumeras versiones latinas, pluribus mendis depravatas, Augustinus primatum tribuit *Italae,* cui maxima accessit auctoritas in Ecclesia Occidentali ante promulgationem Vulgatae; et licet solecismis ceterisque locutionis latinae vitiis illam inficiatam scirent, ea omnia parvipendebant, dummodo sano intellectui nihil detraherent, ita quod ipsemet Augustnus, in libro II *de Doctrina Christiana,* « mallet cum barbarismo legi: Non est absconditum a te *ossum meum,* quam *os meum,* quod est minus apertum quia magis latinum ».[11] De cetero neminem latet sic dictam Italam servilem esse versionem textus graeci Alexandrini, cum omnibus suis mendis et vitiis, et linguae graecae vulgaris Novi Testamenti; linguam vero latinam in quam vertit textum graecum interpres, popularem esse et rusticam, quae de orthographia parum sollicita est, ad declinationum et coniugationum flexionem non satis attendit, vocales et consonantes absque ratione quandoque permiscet, classicum parvipendit usum praepositionum aliarumque particularum, ac tandem hellenismis oneratur et hebraismis, quin loquamur de mendosis translationibus, quibus sensus vel occulitur, vel infeliciter depravatur.[12] Horum exempla multiplicari possunt, prae oculis habitis citationibus veterum scriptorum, licet textum integrum veteris versionis latinae non amplius habeamus.

VULGATA LATINA

Indefessis meritissimisque Hieronymi laboribus in lucem prodivit Vulgata nostra. Prius, circa annum 383, Damasi Pontificis mandato, Novi

---

[10] *De Doctrina Christiana,* II, 11. *PL.* XXXIV, 43; in libro autem *Confessionum* conquaeritur ipsemet Augustinus de innumeris barbarismis aliisque imperfectionibus quibus scatebat Biblia Latina, *Confess.* III, *PL.* XXXII, 686.

[11] *Loc. cit.,* Doct. Chr. II, 16.

[12] L. FILLION, *L'Etude de la Bible,* pp. 178-180. Paris, 1922.

Testamenti recognitionem aggressus est, « non ut aliquid de Dominicis, aut corrigendum putaverit, aut non divinitus inspiratum: sed ut Latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad Graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, revocaret ».[13] Et adversarios suos, quos *bipedes asellos* appellat, redarguens, haec subiungit: « Illi legant: spe gaudentes, tempori servientes. Nos legamus: spe gaudentes, Domino servientes: Illi adversus Presbyterum accusationem omnino putent recipiendam. Nos legamus: adversum Presbyterum accusationem ne receperis, nisi sub duobus, aut tribus testibus: peccantes autem coram omnibus argue. Illis placeat: Humanus sermo, et omni acceptione dignus; nos cum Graecis, id est, cum Apostolo, qui Graece locutus est, erremus: Fidelis sermo, et omni acceptione dignus ».[14]

Ad Graecam pariter originem unde translati fuerant, revocavit etiam libros Psalmorum, Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici et Maccabaeorum; sed hoc non fuit nisi quoddam praeludium ad ingentem assiduumque laborem, quem deinde in rure Bethlehemitico aggressus est, ad veritatem hebraicam revocandi Vetus Testamentum.

Criteria interpretationis

Linguis graeca et hebraica valde peritus, peritissimus vero lingua latina, primum quod animo proposuit Hieronymus fuit restituere linguae puritatem versioni latinae Sacrae Scripturae. « Et nos hoc sequimur, ut ubi nulla est de sensu mutatio, latini sermonis elegantiam conservemus ». Et adhuc clarius: « Eamdem igitur interpretandi sequenda est regula, quam saepe diximus: ut ubi non sit damnum in sensu, linguae in quam transferimus *euphonia* et proprietas conservetur ».[15]

Fatendum est tamen in sua versione valde sobrie et caute huic canoni Hieronymum obtemperare: quod, de cetero, ipsemet candide confitetur: « Et nos, inquit, emendantes olim Psalterium, ubicumque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoribus studium terreremus ».[16] Et in eadem epistola ad Sunniam et Pretelam iterum reperit: « Noluimus immutare quod ab antiquis lege-

---

[13] Annis 383-385 *Romae* retractavit veterem textum latinum Novi Testamenti et Psalterii; annis 387-390, *in Bethlehem* Veteris Testamenti libros retractavit iuxta Vers. Septuaginta; demum annis 390-405 Vetus Testamentum ex hebraica in linguam latinam transtulit in Bethlehemitico monasterio.

[14] Ep. 27 *ad Marcellam, PL.* XXII, 431.

[15] Ep. 106, *ad Sunniam et Pretelam, PL.* XXII, 837.

[16] *Loc. cit., PL.* XXII, 848.

batur, quia idem sensus erat: et nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare noluimus ».[17]

Proprietatem ergo quaerens verborum, serviliter litterae nullatenus se adstringit Hieronymus; elegantiam quaerens, a litterae sensu recedere aufugit; semper ob oculos praeceptum retinens Horatianum: « Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres ».

Attamen fatendum est criterium hoc, quo nihil prius erat Hieronymo, valde, ut diximus, temperatum apparere in vulgata versione, et spiritu tolerantiae erga traditionem, et spiritu caritatis erga illos qui scandalo perturbari poterant dum novam viderint interpretationem. Utique, tanquam *pharisaeorum,* potuisset Hieronymus tale despicere scandalum; sed si prae oculis habemus auctoritatem qua tunc temporis inter fideles habebatur versio Alexandrina, potius ut scandalum *pusillorum* praeveniendum erat. Communem siquidem illius temporis opinionem circa auctoritatem versionis Septuaginta, exponit Rufinus in sua Apologia, ubi haec habet: « De quo ut omittam illud dicere, quod Septuaginta duorum virorum per cellulas interpretantium unam et consonam vocem, *dubitandum non est,* Spiritus Sancti prolatum, et maioris id debere esse auctoritatis, quam id quod *ad uno homine, sibi Barraba aspirante,* translatum est ».[18] Fabulam certe cellularum verissime explodit Hieronymus; et licet nunquam versioni Septuaginta virali authenticitati, sive auctoritati deroget, eam negat divinitus inspiratam. Nihilominus opinio illius temporis aliter sentiebat; quod prae oculis habens Sanctus Augustinus graviter admonet interpretem Sanctum Hieronymum: « Perdurum erit, inquit, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius ceperit lectitari, quod a Graecis ecclesiis latinae ecclesiae dissonabunt, maxime quia facile contradictor convincitur, graeco prolato libro, id est, linguae notissimae ». Ideo concludit ipsemet Augustinus: « Omnes intelligant propterea me nolle tuam ex Hebraeo interpretationem in Ecclesia legi, *ne contra Septuaginta auctoritatem,* tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbetur plebs Christi, quarum aures et corda illam interpretationem audire consueverunt ».[19]

Nec praetereundum existimamus Sanctum Hieronymum, licet linguis graeca et hebraica valde peritum, prudentia tamen et humilitate ductum, mutationes inferre noluisse de quarum veritate ipse solus testimonium reddere sciebat; hoc siquidem eius attentioni afferebat non minus prudenter ipsemet Augustinus. « Huc, inquit, accedit, quia etiam consulti

---

[17] *Loc. cit.,* ibid.

[18] RUFINUS, *Apologia,* lib. II, *PL.* XXI, 612.

[19] Ep. 71, *PL.* XXXIII, 242; et Ep. 82, *PL.* XXXIII, 291.

Hebraei possunt aliud respondere: *ut tu solus* necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere ».[20] Et de facto haud pauca Hieronymi perspicacitatem aufugerunt, quae seriori tempore, plures aliis lingua hebraica magis periti, collatis, et difficultatibus excussis, veritatem hebraicam in lucem tandem attulerunt.

Morem igitur Augustino gessit Sanctus Hieronymus; ideoque ad Sunniam et Pretelam scribens aperte declarat: « Hoc quod Septuaginta transtulerunt, propter vetustatem in ecclesiis decantandum est »; simul tamen meritum proprii laboris et utilitatem asserit: « et tamen sciendum est quod Hebraica veritas habeat propter notitiam Scripturarum ».[21] Immo ad ipsum Augustinum scribens, declarat scopum propriae interpretationis fuisse, « ut scirent nostri quid Hebraica veritas contineat » [22] proculdubio dum legere pergunt textum veteris latinae; quem quidem spiritum tolerantiae et conciliationis acceptans, Augustinus proprium facit criterium interpretationis Hieronymi, dum scribit: « Contra ignota signa propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinae quidem linguae homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis linguis ad Scripturarum cognitionem opus habent, hebraea scilicet et graeca; ut ad exemplaria praecedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas ».[23]

Hoc ceteroquin quod ut magnum remedium contra *ignota signa* Italae versionis suadebat Augustinus, efficacissimum et pene necessarium reputatum est temporibus subsequentibus ad ignota signa enucleanda Vulgatae Sancti Hieronymi; ad cuius intellectum praestat prae mente habere quae in Enc. Providentissimus suadebat imm. memoriae Leo XIII. « Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, auctore Augustino proficiet ».[24]

Vitia et menda textus Vulgatae

Mirari ergo nullatenus debemus, dum lectionem aggredimur textus Vulgatae, si non omnia clare et perspicue nobis illuceant: iam enim nos

[20] Eadem Ep. 71, *PL.* XXXIII, 242.
[21] Ep. *ad Sunniam et Pretelam, PL.* XXII, 837.
[22] Ep. 112, *ad Augustinum, PL.* XXII, 929.
[23] *De Doctr. Christ.,* 1. II; c. 11: *PL.* XXXV, 42.
[24] Encycl. *Providentissimus,* EB. 91.

ipsemet Sanctus Hieronymus praemonet non omnia veteris Latinae vitia, ob rationes superius allatas, emendare ei vel corrigere licuisse. Immo quod a priori suspicari nefas nullatenus erat, palam facit ipsius textus attenta lectio.

Equidem magnae fuit curae Hieronymo latini sermonis inhaerere « elegantiae, euphoniae et proprietati verborum »; scimus tamen, ipsomet fatente, laborem interpretationis suscepisse nullatenus immemorem debitae erga veterem traditionem reverentiae: quapropter « ne novitate verborum lectorum studium deterreret », zelum haud semel repressit in removendis vitiis veteris textus latini. Quin de libris canonicis quorum textum retractavit iuxta versionem graecam, in libris etiam quos directe transtulit ex hebraeo innumera detegimus quae vel sensum obnubilant, immo quandoque inintelligibilem reddunt, vel sensum ipsum, licet nunquam quoad substantiam, prorsus immutant. In omnibus fere libris lingua popularis et dialectalis, cum omnibus eius vitiis, parcitur ab interprete; textus sacer hebraismis et hellenismis scatet, et ambiguis locutionibus obscuratur litterae sensus; quae omnia nedum ad amorem lectionis fideles alliciant, ab illa potius deterrent: nec tantum simplices fideles, verum et theologos ipsosmet, qui auctoritates Scripturae haud semel refugiunt timore perculsi textus sacri ancipitis sensus.

Locutiones et modi linguae popularis et dialectalis innumeri sunt;[25] hebraismi et hellenismi, haud raro difficiles intellectu, puritatem et claritatem latinitatis quamfrequenter deturpant. *Melior est misericordia tua super vitas; Addidit furor Domini irasci; Cum consummasset comedere; sermo quem fecisti,* pro *rem* quam *fecisti; Plorans ploravit; A fructu frumenti, vini et olei; iuravit dicens*: *Si videbunt homines isti; Quibus iuravi in ira mea*: *si introibunt in requiem meam; Potestatem habeo crucifigere te*... et alia sexcenta, quae hic recolere otiosum penitus esset.

VITIA INTERPRETATIONIS

Sensum fideliter reddere propositum fuit Hieronymi in nova versione perficienda; nec ipsum spes fefellit, prout testimonium refert sapientium et declaratio docet Ecclesiae. Negari tamen non potest occurrere textus, sive in libris ex hebraeo translatis, sive in illis quos interpres retractavit iuxta versionem Alexandrinam vel popularem Novi Testamenti, quorum littera haud facile reddit sensum auctoris sacri, prout in lingua detegitur originali; in cuius confirmationem non pauca exempla possent afferri.

---

[25] « La liste pourrait remplir des pages entières », FILLION: *L'Etude de la Bible,* p. 180.

Enimvero libros per ordinem inspicientes, historicos, propheticos et sapientiales, haec tantum exempla seligere volumus. *Paradisus voluptatis a principio* (*Gen.* II, 8); *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* III, 15); *Ruben, principium doloris mei* (*Gen.* XLIV, 3); *Et dux de femore eius* (*Gen.* XLIX, 10); *Et erit sepulchrum eius gloriosum* (*Is.* XI, 10); *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae* (*Is.* XVI, 1); *Generationem eius quis enarrabit?* (*Is.* LIII, 8); *Et dabit impios pro sepultura, et divitem in morte sua* (*Is.* LIII, 9); *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII, 14); *Et in novissimo die de terra surrecturus sum* (*Iob.* XIX, 25); *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit populus eius qui eum negaturus est* (*Dan.* IX, 26); etc.

Quoad si vitia haec, aliaque plurima, reperiuntur in translatione quam Hieronymus fecit ut veritas hebraica eluceret, quid dicendum de libris quorum textum latinum tantummodo retractavit iuxta versionem Alexandrinam, vel graecam popularem? Quid de Psalterio, cuius vitia emendare sategit in revisione *romana,* deinde in revisione gallicana; quod demum ad veritatem hebraicam conformavit, et cuius translationem, ad scandalum vitandum, reicerunt Ecclesiae? Hic liber, qui olim in deliciis erat, ut liber precationis divinitus inspiratae, hodie a fidelibus non legitur; et a quibus legendum et precandum imponitur onus potius quam inexhauribilis fons pietatis et doctrinae spiritualis reputatur.

Evangelia quoque, fontes purissimi revelatae doctrinae et vitae spiritualis nonnunquam itidem difficultatibus huiusmodi difficilia nobis evadunt. Ita, ut alia praetermittamus, in Oratione Dominica idem verbum *epiousion,* apud Matthaeum est *supersubstantialis* (*Mt.* VI, 11); dum apud Lucam vertitur, *quotidianus* (*Lc.* XI, 3); in verbis consecrationis, verba graeca *touto estin* redduntur per *Hic est sanguis* (*Mt.* XXVI, 28 et parall.); *Spiritus ubi vult spirat* (*Io.* III, 8) ancipitem reddit sensum; Spiritum Sanctum a Filio procedere et communicari, ipsemet Christus declarat apud Ioannem (VII, 37-39); sed ambiguitate lectionis textus sacri vis non apparet divinae Christi declarationis.

Sancti Pauli Epistolae, in quibus, teste Apostolo Petro, « sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant » (*II Petri,* III, 16); difficiliores adhuc evadunt lectoribus Vulgatae nostrae, quae, fatentibus cunctis, pressum dicendi genus apud Graecos, vel attingere nescit, vel infeliciter mutat: quod quammaxime contingit ubi de rebus dogmaticis disserit Apostolus. Omnibus siquidem notum est doctrinam de peccato originali, de iustificatione, de filiatione divina in epistola quam ad Romanos scripsit, magis elucere in textu graeco quam in Vulgata latina. In Epistola ad Thessolonicenses (I. IV, 10), Mortui qui in Christo sunt, *resurgent primi,* dum *primum* potius legere deberemus;

magnum denique mysterium ab ipsomet Apostolo revelatum in Epistola ad Corinthios (I. XV, 51), iuxta litteram graecam in hoc sistitur, quod nempe, *Non omnes moriemur, sed omnes immutabimur.*

Quid tandem dicam de Apocalypsi, de prophetica illa revelatione, cuius lectoribus divina promittitur beatitudo. Culmen revelationis novissimus exhibet ipse liber Sacrae Scripturae, quem Apostolus Ioannes, divinitus edoctus, ad nostram redegit fidem roborandam ad patientiam in tribulationibus excitandam et ad fiduciam erigendam assequendae victoriae cunctis *victoribus* promissae; sed liber Apocalypsis non legitur, quia *graece* scriptus est, graecitate utique Ioannea, et praesertim quia occlusus adhuc remanet sigillo nondum reserato linguae latinae, cuius indoles non satis detegit mentem auctoris sacri, Iudaei nempe qui hebraice cogitat et graece loquitur, lingua utique copiosa licet valde incompta, et aliquando etiam incorrecta.

His omnibus prae mente habitis, iam, ne fallimur, satis apparet necessitas textum Vulgatae revocandi ad graecam et hebraicam veritatem immo et latinitatis puritatem quam in votis habuerat Sanctus Hieronymus, ita ut veritatis revelatae unitas, quae unitatem ostendere nata est Ecclesiae in instrumento divinae revelationis scripto cunctorum oculis apprime luculenteque resplendeat.[26]

Hanc ceteroquin Scripturae versionem, Ecclesiae auctoritate munitam, peropportunam existimamus ad altissimum attingendum scopum universalis, iamque imminentis, Romanae Synodi.

II - UNITAS DOCTRINAE NOVA VERSIONE CLARESCET

Unitas ergo doctrinae adspectabilis praeprimis obicitur in libris canonicis Sacrae Scripturae, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et prout habentur in vulgata latina editione, « quam uti authenticam habendam et in docendo et orando usurpandam esse constituit sacrosanta Tridentina Synodus ».[27] Quod cum ita sit, fateri nihilominus cogimur Vulgatam ipsam expertem nullatenus esse vitiorum, quae non tantum veritatis revelatae claritati nocent, verum et ipsam quandoque obnubilant unitatem: quod quidem nec ipsosmet latuit Concilii Tridentini Patres, qui, simul ac textum Vulgatae authenticum declarabant, in votis habebant novam aggredi ex textibus originalibus versionem Sacrae Scripturae. Cum enim textus officialis et authentici promulgandi imperfectiones nec ignorare possent nec dissimulare vellent, praeter

[26] Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram;* loc. cit.
[27] Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus*: *EB.* 91.

votum Sedi Apostolicae prolatum Vulgatam ipsam expurgandi a vitiis et mendis quae in ea decursu temporum irrepserant, illorum pariter fuit versionem e textibus originalibus conficere, cui praeire debebat editio expurgata textus hebraici et Alexandrinae versionis.[28] Utrumque votum libenter excepit Sancta Sedes; at cum ageretur de gravi opere perfungendo, gressus comprimere coacta est usque dum hora sonaret illud ad exitum feliciter perducendi; quam pro revisione Vulgate perficienda advenisse novimus die 30 aprilis an. 1907 Patribus Benedictinis illa concredita est perficienda, dum pro versione textus sacri ex originalibus textibus, adhuc in votis manere satis constat.

Versionis praeparatio maturitatem iam attigit

Obstacula quibus meritissima impegit interpretatio Hieronymiana, et quibus Maximus ipsemet Doctor praeventus est ne accuratam omnibusque numeris absolutam perficeret textus latini ad hebraicam sive hellenicam veritatem, extimescenda non amplius obiciuntur aetate nostra: iam non est « *solus* et *necessarius* Hieronymus qui adversarios possit convincere » (August); iam non est « tanta vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant, dum magis pulchros habere volunt codices, quam emendatos ».[29] Hodie e contra vitia non placent, et magis quam *pulchros,* habere volunt fideles codices emendatos et perspicuos, ut eorum amor et devotio erga Sacram Scripturam magis magisque excitetur. Aliis verbis, nec doctores desunt qui translationem accuratam facere possint, nec ullum adest periculum quominus « magno scandalo perturbetur plebs Christi » (Aug.).

Declaratione scimus Leonis XIII quod, « In locis Divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, *iudicium Ecclesiae maturetur;* quapropter ipsamet Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae nequaquam retardat aut coercet, sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem ».[30]

Nunc vero, maternis hisce stimulis et adhortamentis Ecclesiae incensi, acriter et alacriter multum operae ac laboris in artibus critica et philologica consumpserunt interpretes, cum antea, tum etiam post tempora Concilii Tridentini, ut textus originalis Sacrae Scripturae fideliter,

---

[28] Ep. Em.mi Card. Rampolla ad Rev.mum P. Abbatem Primatem, O.S.B., *de Vulgata restituenda. A.A.S.* 446-448.

[29] *Praef. in librum Iob,* I et II: *PL.* XXVIII, 1079; XXIX, 61.

[30] Encycl. *Providentissimus, EB.* 94.

pro posse, legentibus obiiceretur; atque tanquam huiusmodi zeli scriptorum ac laboris, fructus prae manibus habemus « quum versiones Bibliorum antiquas, tum Polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime editas sincerae investigandae sententiae peraptas ».[31]

Commentatores quoque alacriter insudarunt in sensibus et littera detegendis Sacrae Scripturae; ita ut merito asserere potuerit ipsemet Pontifex, « nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iis rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit. Neque, ex illa demum aetate, prosequitur Leo XIII, desiderata est nostrorum solertia, cum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, Sacrasque Litteras *contra rationalismi commenta,* ex philologia finitimisque disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint ».[32]

Novos demum stimulos addidit ipsemet Summus Pontifex, dum in Litteris Apostolicis *Vigilantiae* studiosos ad laborem prosequendum sequentibus adhortamentis excitabat: « Ii multum operae in excolenda philologia doctrinisque finitimis, earumque persequendis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consueverit Scripturarum oppugnatio exsistere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. Similiter danda est opera, ut minori in pretio non sit apud nos, quam apud externos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicum maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis ».[33]

Pontificis autem verborum stimulis concitati, maiori adhuc studio in discrimen accinctos novimus scriptores nostros, qui, philologiae et critices artibus perscrutandis se accingentes, brevi tempore, cunctis super vota fluentibus, Sacri Codicis textum iam emendatum proferre nobis ceperunt, linguis praesertim vernaculis; in tantum ut, qui prius calcaribus egebant, frenum iam egere continuo detectum fuerit. Constat enim Pontificem ipsum Leonem XIII, paucis annis a promulgatione Encyclicae *Providentissimus,* in Constitutione Apostolica *Officiorum et munerum,* die 25 ianuarii 1897 promulgata, haec prae mente ab omnibus haberi voluisse: « Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; *versiones omnes* in lingua vernacula etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur,

---

[31] *Loc. cit., EB.* 83.
[32] *Loc. cit.*
[33] Litt. Apost. *Vigilantiae, EB.* 133.

nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus ».[34] Quae quidem verba, tanquam tutissima norma perducti, nedum a labore desisterent, maiori adhuc studio sacri textus emendationem prosecuti sunt interpretes, quorum opera tot tantaeque versiones ex textibus primigeniis, praesertim nostris temporibus in lucem salubriter prodiere.

Opportunitas novae versionis

Ad veritatis claritatem et unitatem efferendam plurimum facit unitas et claritas linguae vel scripturae quae illam veritatem significat et ostendit; quapropter merito concludendum est Scripturam divinitus inspiratam, quae, ut ait Apostolus, utilis est *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia,* ut perfectus sit homo Dei, et ad omne bonum instructus,[35] eo efficaciorem esse ad huiusmodi pertingenda quo accuratior et intimior appareat relatio inter veritatem revelatam et litteram Sacrae Scripturae.

Haec sane accurata intimaque relatio aderat proculdubio inter supernam veritatem et verba scripta primigenii textus; at possumusne eodem iure affirmare illam pariter existere inter veritatem revelatam et illius textus versiones? Huic quaestioni affirmative respondendum est, et quoad Vulgatam, quae *iuridica* gaudet authentia, et quoad versiones ex originali quae, praeter iuridicam, *criticam* etiam supponuntur exhibere. Attamen neque Vulgata neque aliae posteriores versiones criticae utraque authentia taliter ornantur ut perfecte et accurate obicere queant spectaculum unitatis doctrinae revelatae, nec proinde ipsammet unitatem Ecclesiae.

Vulgata Latina

Illam ut authenticam habendam *in docendo et orando* usurpandam esse constituit Concilium Tridentinum, prout breviter et nervose testatus est Summus Pontifex Benedictus XV in sua Enc. *Spiritus Paraclitus;* at, experientia teste, nec doctrinam theologicam satis, nostris praesertim temporibus, informat Sacra Scriptura, nec fidelium spiritum orationis penitus, prout antiquitus notum est contigisse, spirat amplius et nutrit. Huius vero rationem si velimus inquirere, forsitan illam inveniemus in facto, quod theologi nempe authenticum desiderant *et iuridice*

---

34 Constit. *Officiorum et munerum, A.A.S.* XXXI, p. 264; *EB.* 124.

35 *II Tim.*, III, 16 ss.

et critice textum sacrum; fideles vero textum qui sponte respondeat intimis animi sensibus, et clare eis detegat inenarrabiles gemitus Spiritus Sancti.

Iam vero huiusmodi incommoda nullatenus fugiebant Pium Papam XII, sanctae memoriae, qui tamen illis remedium afferre non omisit in sua Enc. *Divino afflante Spiritu.* « Hodie igitur, scribit Summus Pontifex, postquam critices textualis ad tantam pervenit perfectionem, rei biblicae studiosorum munus est honorificum, etsi non semper facile, omni ope curare, ut quamprimum a catholicis opportune apparentur tam sacrorum librorum, quam antiquarum conversionum editiones ad has normas redactae, quae nempe cum summa sacri textus reverentia accuratam coniungant omnium legum criticarum observationem. ... Vulgatae in rebus doctrinae auctoritas minime vetat — immo id hodie fere postulat — quominus eadem haec doctrina ex primigeniis etiam textibus comprobetur et confirmetur, atque etiam quominus passim in auxilium iidem textus vocentur, quibus recta Sacrarum Litterarum significatio ubique magis in dies patefiat atque explanetur ». In fine vero ita concludit: « At ne quidem Tridentini Concilii decreto prohibetur, quominus nempe ad Christifidelium usum et bonum, et ad faciliorem divini eloquii intelligentiam, conversiones in vulgatas linguas conficiantur, eaeque etiam ex ipsis primigeniis textibus, ut iam multis in regionibus, approbante Ecclesiae auctoritate, laudabiliter esse novimus ».[36]

Versiones criticae

In votis igitur erat Summi Pontificis ut imperfectionibus et incommodis textus Vulgatae remedium afferrent « conversiones etiam ex ipsis primigeniis textibus » gaudebatque de hoc quod tales versiones iam exstitissent in multis regionibus. Experimento nihilominus constat illas versiones, licet approbatas auctoritate Ecclesiae, procul adhuc abesse ab illa perfecta unitate et consensione quae veritatem revelatam apte et dilucide reddere queant; quin enim loquamur de dissensionibus quae inhaerent versionibus in linguas vernaculas indolis penitus diversae, omnibus notum est ipsasmet versiones in eamdem linguam vernaculam multa secum afferre quae adhuc ad unitatem revocari postulant. Quae proculdubio extitit ratio cur Pontificia Commissio de Re Biblica, die 30 aprilis 1934, *negative* respondit sequenti dubio, proposito ab Exc.mo Episcopo Buscoducensi, nomine etiam ceterorum Exc.morum Episcoporum provinciae Ecclesiasticae neerlandicae: « Utrum permitti possit

---

[36] Encycl. *Divino afflante Spiritu, A.A.S.* vol. XXXV.

in ecclesiis populo praelegi pericopas liturgicas Epistolarum et Evangeliorum secundum versionem non *ex veteri vulgata latina editione,* sed ex testibus primigeniis sive graecis sive hebraicis? ».[37]

Eadem tamen P.C.B., die 22 augusti 1943, *de Versionibus Sacrae Scripturae in linguas vernaculas,* ut magis declararet decretum diei 30 aprilis 1934, sequentia docet: « Quandoquidem a Leone XIII f. r. Pontifice Maximo, in Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* commendatum fuit, ut ad penitiorem cognitionem et declarationem uberiorem verbi divini adhibeantur primigenii Bibliorum textus; eaque commendatione, sane non in solum commodum exegetarum et theologorum facta, visum est, ac videtur propemodum consultum, *ut iidem quoque textus* in linguas communiter notas seu vernaculas, utique sub vigili competentis auctoritatis ecclesiasticae cura, iuxta probatas scientiae sacrae adaeque profanae leges vertantur ». Et quia ex Vulgata latina, quam Concilium Tridentinum authenticam declaravit, « desumptae ut plurimum sunt pericopes biblicae in liturgicis Ecclesiae Latinae libris ad Sacrosanctum Missae Sacrificium et ad Officium divinum publice legendae », duo haec declarat eadem C.P.B.:

1. Versiones Sacrae Scripturae in linguas vernaculas sive ex Vulgata sive ex textibus primigeniis factae, dummodo competentis auctoritatis ecclesiasticae licentia editae sint ad normam can. 1931, *a fidelibus pro privata ipsorum pietate rite adhiberi et legi possunt;* atque etiam, si qua versio, diligenti tum textus tum adnotationum examine a viris biblica et theologica scientia excellentibus peracto, magis fida et apta inventa sit, *hanc Episcopi sive singuli sive in conventibus provinciae vel nationis suae congregati, fidelibus suae curae commissis peculiariter, si placuerit, commendare possunt.*

2. Sacerdotes S. Missam celebrantes, pro consuetudine vel pro opportunitate, post lectum textum liturgicum possunt eumdem legere lingua vulgari, sed quae « textui latino, nempe liturgico, conformis sit, integra manente facultate illam ipsam versionem, si expediat, ope textus originalis vel alterius versionis magis perspicuae apte illustrandi ».[38]

Haec sane prudenter et sapienter ordinata sunt, prae mente habitis non tantum perspicuitate versionum ex textibus primigeniis, verum et *diversitate* et indole quam unicuique versioni imprimit auctor eiusdem versionis vel lingua; quam quidem diversitatem contemplari non solet Auctoritas ecclesiastica dum approbationem largitur.

---

[37] *A.A.S.,* XXVI, p. 315.
[38] *A.A.S.,* XXXIV, pp. 270-271.

Versio Officialis, critice authentica

Haec iam exspectatur et desideratur, sed ab Ecclesia facienda et Ecclesiae auctoritate obfirmanda; equidem iudicium Ecclesiae ad maturitatem existimamus iam pervenisse, et desiderio Christifidelium et laboribus interpretum Sacrae Scripturae; unde sequentia et ardenter et reverenter efflagitamus:

a) *Unitas et perspicuitas Litterae spectaculum sit claritatis et unitatis revelatae veritatis.*

b) *Una sit Littera, non tantum in textu sacro, verum et in formulis liturgicis Sancti Sacrificii Missae et Divini Officii.*

c) *Una sit forma precandi et Ecclesiae et singulorum Christifidelium.*

d) *Una demum sit Littera cuius sensus non amplius aufugiat theologos et oratores sacros.*

Haec sunt vota quae reverenter audemus proferre, una cum votis pro felici exitu instantis iam Oecumenicae Synodi, cuius scopum attingendum novimus *unitatem roborandam et efferendam Sanctae Matris Ecclesiae.*

2

STUDIUM

LEX POENALIS IN CONSCIENTIA OBLIGANS DECLARANDA

(Iesus Diaz, O. P.)

Lex mere poenalis illa dicitur quae excludens culpam moralem obligat solumodo ad poenam. Origo incerta legis poenalis doctrinae miraque discrepantia inter auctores dum eius naturam elucidare curant, dubium animo inserunt de eius veritate et validitate. Sunt qui huius legis notionem ab Henrico Gandavensi † 1291 inventam fuisse contendunt; alii plurimi a quodam textu e Constitutionibus Fratrum Praedicatorum desumpto et aliter atque aliter interpretato, derivari autumant. Incertae origini legis poenalis accedit magna divisio inter auctores dum eius naturam atque vim obligandi definire satagunt. Sequentes etenim pullularunt theoriae temporum decursu:

1. Theoria « non sine causa » vel theoria culpae iuridicae, vel, in foro exteriori. (Vid. Vermeersch, *Theologia Moralis*, ed. 3, vol. I, n. 172,

ad 3, pag. 175; Van Hove, *De Legibus Ecclesiasticis,* Mechliniae-Romae, 1928, vol. II, n. 149, pp. 156-157).

2. Theoria St. Alphonsi sic legem poenalem definientis: « ... alia est pure lex poenalis quae nullum dat praeceptum, v. g.; qui hoc fecerit solvat poenam. Et haec non obligat in conscientia, etiamsi poena sit gravissima ». (*Theologia Moralis,* Romae, 1905, vol. I, *De Legibus,* n. 146, p. 126).

3. Theoria disiunctiva seu alternativa: Lex pure poenalis, vel ex poenali et praeceptiva constans: disiunctive imponit praeceptum aut poenam. (Salmanticenses, *Cursus Theologiae Moralis,* ed. 5, Matriti 1718, vol. II, n. 42, p. 34).

4. Theoria hypothetica, i. e. lex poenalis « solum habet unum praeceptum quasi hypotheticum sustinendi talem poenam vel incommodum si hoc vel illud fiat etiamsi de actu substrato tali conditioni praeceptum non imponatur ». (Suarez, *De Legibus,* Antuerpiae 1614, lib. V, cap. IV, p. 311, n. 2).

5. Theoria ministerialis, iuxta quam lex poenalis cogeret iudicem ad poenam pronuntiandam et officiales ad illam applicandam cui subditus tenetur parere. (Vid. Jansen in « Ius Pontificium », t. 4, 1924, p. 126).

6. Theoria mixta ex synthesi theoriae disiunctivae et hypotheticae resultans. (Bucceroni, *Institutiones Theologiae Moralis,* ed. 4, 1900, vol. I, p. 110).

7. Theoria auto-dispensationis. (Woroniecki apud « Angelicum », XVIII, 1941, pp. 379-386).

Propter multiplices sententias allatas, in dies crescit numerus moralistarum qui, hac notione penitus praetermissa, sententiam contrariam amplectuntur, scilicet:

Lex poenalis obligat in conscientia

Huius sententiae meritum ex modo dicendis patebit.

A) Ex natura legis

Leges ab homine latae, sunt iustae aut iniustae et non datur medium. Quae iustae sunt leges obligant in conscientia seu ad culpam theologicam, ceterae vero non obligant quia iniustae. Igitur si lex poenalis iusta foret, et ipsa obligaret in conscientia et non tantum ad poenam.

Lex quaecumque iusta est si in bonum commune ordinatur, potestatem illam ferentis nequaquam excedit et proportionem servat « in gravaminibus impositis et oneribus ferendis pro republica ». Lex in uno ex

his deficiens, limites rectae rationis excedit et proinde non iusta sed iniusta est pronuntianda. Unde lex poenalis si his tribus conditionibus sit indulta erit iusta et in conscientia obligans; secus, erit iniusta, nullam proinde obligationem in conscientia inducens, nisi « forte propter vitandum scandalum vel turbationem » (I-II, q. 96, a. 4).

Haec vero amplius vindicantur ex sequentibus:

« Ille qui resistit potestati in his quae pertinent ad ordinem potestatis, Dei ordinationi resistit, sed ordinatio Dei imponit necessitatem in foro conscientiae, ita quod quis incurrit peccatum resistendo, igitur et qui resistit legi et potestati humanae ordinatae.

« Conclusio ista fundatur in hoc quod est derivari a lege aeterna et non in derivari a lege naturali quia ut patuit q. 95, a 2 in fine, determinationes principiorum legis naturae non habent vigorem ex lege naturali, nec ex ea deducuntur quae determinationes constituunt per legem humanam, praesertim civilem et positivam. Sed tamen ut lex aeterna est causa et principium omnium legum, a qua omnes derivantur, quae et instituit gubernatores hominum et dedit auctoritatem concedere leges et per eas obligandi, ideo lex humana per virtutem quam habet ut derivatur a lege aeterna, habet vim obligandi in conscientia » (Conradus Koellin, *Commentaria in Primam Secundae,* Venetiis 1589, q. 96, a 4 p. 767).

B) Ex natura poenae

Culpa et poena sunt termini correlativi, i. e. culpa postulat poenam et poena insequitur culpam. Si igitur lex quam poenalem dicunt aliquam statuit poenam, hoc fit ad culpam efficatius praeveniendam; ideo, praeterquam quod omnis lex iusta obligat in conscientia, nulla datur lex quae sit pure poenalis.

Declaratio. Sumitur hic poena formaliter et simpliciter prouti est nociva et contra voluntatem patientis et « sic semper habet ordinem ad culpam propriam » (I-II q. 87, a 7). Poena igitur statuta in lege silente de culpa intenditur ad obligationem in conscientia firmandam minime vero ad illam extenuandam (Cf. I-II q. 95, a. 1, 2; q. 92, a, 2).

C) Lex pure poenalis non obligans in conscientia ducit ad absurdum

a) In ordine morum nulla datur actio humana indifferens; unde si revera existeret lex mere poenalis, agens contra illam esset simul auctor actionis bonae et reus poenae statutae. In hypothesi namque de lege mere poenali haec non ligat ad culpam sed ad poenam; ideo eius violatio

esset plane meritoria cum non detur medium inter actionem bonam et malam in ordine practico morali, et nihilominus poena statuta punienda. Quam vero absurde haec asserantur nemo est qui non videat.

b) Lex humana tum in ordinis socialis tutamen cum in boni communis promotionem fertur; tamen per legem poenalem securitas ordinis socialis minatur et bonum commune in discrimen de facili adducitur; ergo lex poenalis non obligans in conscientia est reicienda tanquam fictitia et bono communi contraria. Neminem fugit quot sint astutiae ad quas homines in mendacium atque hypocrisim nimis proclives confugiunt ut legem quam poenalem dicunt, laedant et tamen impunes evadant. Nec iterum nemini latet quomodo littera legis torquetur ut eius spiritus et vis actu dissipetur cum gravi scandalo tam fidelium quam non fidelium.

D) Adversarii legis poenalis

Non desiderantur auctores doctrina et experientia praestantes qui decursu saeculorum hanc de lege poenali doctrinam impugnarunt. Et sic constat de Soto dicente: « profecto non video unde haec plus quam vulgaris opinio prodire potuit quod leges obligantes ad poenam non obligent ad culpam » (*De Iustitia et Iure,* q. 6 a. 5). Michael de Benavides, Archiepiscopus Manilanus et S.ti Thomae Universitatis institutor gloriosus, illam pariter reiecit his verbis: « Es mala doctrina en la fe catholica decir que la ley que pone pena no obliga a culpa » (Cf. *Duda Resuelta por el Señor Arzobispo Benavides*: *Si es licito a los Governadores tratar por lo menos en otro Reyno — Introducción, transcripción y notas* de Fr. Jesus Gayo, « Unitas », Año 22, N. 2, Abril-Junio 1949; pp. 406-418). Denique theoriam de lege poenali tamquam damnosam interdixit Claudius Acquaviva, Generalis Societatis Iesu, et ideo praecepit P. Gregorio Lopez, Provinciali Societatis in Insulis Philippinis, ut proprios subditos moneret ne eam sed potius contrariam tenerent, « por ser en si falsa y no la haver tenido theologo ninguno de nombre » (Ibid. p. 412). Eiusdem mentis videntur fuisse inter veteres Sylvester in *Summa* v. Inobedientia; Sanctus Bellarminus, *De Membris Ecclesiae Militantis,* lib. III, De Laicis, c. 11; Petrus de Aragon, in *De Iustitia et Iure,* q. 62, De Restitutione a. 3. Inter modernos autem citantur Gillet *Conscience Chretienne et Justice Sociale* (Paris 1922), p. 452 sq. —; Menendez-Reigada, *La Teoria Penalista en Sto Tomas,* in « Ciencia Tomista » (vol. 64, 1941, q. 273, 292); Antonio de Luna, in *Moral Professional*: *Curso de Conferencias* (Madrid, 1954), p. 279; Santamaria, Alberto, *¿Existe la ley puramente penal?* in « Revista Escolar de

Derecho », Manila, 1921. Idem auctor studium amplissimum atque doctissimum, nondum typis editum, exaravit, doctrinam de lege mere poenali vehementer impugnans.

E) DIFFICULTATES

a) Quaedam tamen exsurgit difficultas contra doctrinam propositam ex norma in Constitutionibus FF. Praedicatorum iam a primordiis Ordinis inducta, videlicet: « Volumus et declaramus ut Constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam sed ad poenam, nisi propter praeceptum vel contemptum ».

Sed revera non agitur de veris legibus sensu pressiori sed de ordinationibus conventionalibus praesertim cum nulla requiritur confirmatio ex auctoritate ecclesiastica superiori. Poena adiicitur quia licet « verum est — ut ipsae Constitutiones notant — quod poena non debet infligi sine culpa nolenti, sed volens bene potest obligare se ad poenam sine culpa. Et sic faciunt Fratres qui voluntarie se subiiciunt huic legi », lato sensu. (Cf. *Expositio Magistri Humberti Super Constitutiones Fratrum Praedicatorum,* ed. Berthier, Romae 1889, vol. II, cap. XIII, pag. 47).

Alia interpretatio sic se habet: « Constitutiones quae non obligant ad culpam non sunt vere leges neque praelatus proprie imperat, neque exigit obedientiam, sed potius habent modum admonitionis et consilii quam legis; proprietas enim legis est obligare ad culpam » (Medina, *Expositio,* in. I-II, q. 96, a. 4).

b) Auctoritas S.ti Thomae ex II-II q. 186 a 9 desumpta, est pensanda ex contextu locorum in quibus per universa opera de hac egit re. In articulo allato Sanctus Doctor tantum probat monachum non peccare mortaliter ex transgressione regulae.

F) CONCLUSIO

Unde, omnibus rite perpensis, in mentem redit conclusio: *lex poenalis obligat in conscientia.*

3

VOTUM

UNIFORMITAS QUAERENDA

(V. Vicente, O. P.)

A) IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIAE

I. *Principia.* Canon 888, § 1 I. C. dicit: « Meminerit Sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo institutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat ».

Et D. Thomas scripserat (IV Sent., Dist. 19, in fine exp. textus): « Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione quasi medicus vulnus et iudex causam ».

Etsi confessarius plura munera *intra actum* confessionis exerceat, hic est principalitatis ordo: *Primarium* est officium *iudicis* quia essentialiter competit ministro sacramenti Poenitentiae instituti sub forma iudicii; *consequenter* confessarius officio *medici* ornatur, vulnera poenitentis sanando atque remedia opportuna vel efficacem medicinam propinando, siquidem iudicium in tribunali confessionis non dicitur condemnatorium sed liberativum et in utilitatem poenitentis institutum, neque tantum ad peccata commissa delenda, verum ad futuros lapsus praecavendos ordinatum; *per accidens et occasionaliter* ad cognitionem causae, confessor debet munera cum *doctoris* per instructionem et monita elargienda tum *patris* ut disponat et praeparet corda poenitentium ad absolutionem fructuose et licite accipiendam.

In quocumque munere exercendo, confessarius debet quaerere bonum *sacramenti* magna cum diligentia huius validitatem et liceitatem procurans ac honorem Dei, et bonum *poenitentis,* ut meliori modo quo possit sacramentum eiusdemque fructus homo recipiat, necnon et bonum *publicum,* cavendo ne aliquid minus rectum in exercitio talis muneris scandalum aliudve malum causet in communitate.

Uti *iudex,* confessarius ante omnia tenetur servare iustitiam seu aequitatem qua solvat et liget, non quidem pro suo arbitrio sed sicut a Deo est praeceptum; deinde nec quasdam negligere obligationes, *per se graves* inter quas ab omnibus auctoribus hae citantur:

1) interrogare poenitentem morali diligentia atque prudentia

quoties probabiliter putet eum sive culpabiliter, sive inculpabiliter, quaedam forsan omittere scitu necessaria ab absolutionem;

2) inspecta causa, ex sufficienti accusatione vel, si necesse sit, ex supplementaria interrogatione prudens iudicium de ea sibi efformare, de peccatis omissis et de dispositionibus poenitentis.

Omnem igitur defectum sacerdos strenue vitare studeat quo illud iudicium infirmetur simul ac amoris paternalis carentia apud confessarium manifestetur, veluti sunt: *Impatientia* quae facile posset impedire integritatem confessionis peccatorum; *praecipitatio* qua, omissis interrogationibus ac monitis necessariis aut utilibus, sententia aequo citius pronuntiatur; *durities*: durus enim confessarius vel terrebit poenitentes, qui ideo graviora peccata non aperient, vel nimis aggravabit onus confitendi quod de se pluribus valde grave videtur; *acceptatio personarum*: ad exemplum siquidem S. Pauli confessarius omnibus omnia se faciat, imo miseros prae aliis optet et foveat eo quod in eorum cura maior labor, sed minus periculum, maius Deo placitum, copiosior animarum fructus et uberius meritum obtineatur.

Qua de causa hae regulae proponuntur:

1) si casus difficilis occurrat, *ne sit praeceps* in definiendo, sed omnes facti circumstantias diligenter inquirat; nec interrogatus, inconsiderate respondeat, sed attente, mature omnia penset ac etiam, si opus fuerit, tempus petat ad deliberandum et virum doctum consulendum;

2) aequaliter devitet nimiam laxitatem aut nimium rigorem, sed haereat *in sano et tuto medio;*

3) in seligendis, pro directione poenitentis, opinionibus, ante omnia inquirat quid exigat bonum spirituale poenitentis, nec tamen *rigidiores imponat,* nisi necessarium sit ad vitandum proximum periculum peccati formalis;

4) in casibus perplexis confessarius faciat id quod, attentis omnibus circumstantiis et invocato Dei lumine, credit esse faciendum; nec postea sit inquietus, quia forsan erraverit, equidem prudenter processit, ideoque apud Deum iustificatur.

Secunda regula exigit adhaesionem in sano et tuto medio; quod cum saepius difficiliter adinveniatur, hodie recursus fit multis in casibus ad theoriam sic dictam « *exaggeratae clementiae* » (« current practice of clemency »), quae melius deberet appellari « nimiae misericordiae », quae propterea nullatenus intra limites huius virtutis contineri potest. Quo pacto via et aperitur ad aliquos abusus intra tribunale confessionis atque sternitur ad laxismum in absolutione impertienda.

II. *Declarantur frequentiores casus in quibus nostris diebus ac non*

quidem in una determinata regione theoria « exaggeratae clementiae » applicatur.

a) Ex relatione facta ab aliquibus sacerdotibus diversae nationalitatis apparet aliquos confessores sine ulla dubitatione ac timore, necnon cum facilitate absolutionem dare immediate atque modo absoluto fidelibus: vel qui confitentes sua peccata intervallo quindecim dierum in successivis confessionibus declarant seipsos cohabitare cum personis diversi sexus extra legitimum matrimonium; vel qui in tribus aut quatuor confessionibus menstrualibus manifestant idem peccatum, scilicet communionis sacrilegae ob mundanum respectum sive verecundiam; vel qui ligati vinculo matrimoniali fatentur singula confessione bimenstrua peccatum adversus « bonum prolis » cum fere semper impedimentum apponerent adversus conceptionem prolis mediis artificialibus; vel qui in pluribus confessionibus annualibus sese accusant de lectione ephemeridum aut librorum acatholicorum, aut de adimpletione studiorum in schola acatholica ubi falsa sive nulla religio traditur; vel qui in confessione septimanae revelant adivisse spectacula cinematographica graviter periculosa sive contraria regulis moralitatis. Ratio generalis qua illi confessores taliter agunt adducitur haec: in casibus allatis, iuxta illorum opinionem, non est quaestio de consuetudinariis vel de recidivis formalibus, cum ibi non dentur omnes conditiones quas noviter aliqui moralistae ad consuetudinarium vel recidivum formalem exigunt.

b) Ab aliquibus sacerdotibus apertum fuit nonnullos confessarios: aut consulere confessionem sic dictam « genericam » peccatorum sive venialium sive mortalium ab ultima confessione patratorum; aut frequenter interrumpere accusationem peccatorum si audiant fideles qui regulariter seu periodice hoc sacramentum recipiunt quolibet mense aut post quindecim dies. Qua de causa hoc faciunt? Quia, aiunt, multoties magna adest congregatio poenitentium; aut quia ad validitatem sacramenti sufficit declaratio generalis peccatorum; aut quia confessores his in adiunctis perfecte aut sufficienter cognoscunt aut discooperiunt conscientiam poenitentis.

c) Adinventum quoque fuit quosdam confessores in confessione ex. gr. annuali fidelium omittere interrogationes circa horum obligationes sic dictas « status » aut « professionis » ad verecundiam poenitentium vitandam; quosdamque vero nec admittere interrogationes et dubia ex parte confitentium. Aut quia iudicant illa dubia et problemata facilius securiusque extra confessionem solvi posse; aut quia excusationem petunt a quamplurimis aliis negotiis et occupationibus quibus nostris temporibus sacerdotes, et etiam confessor, incumbere debet.

d) Ex testimonio poenitentium constat non deesse confessarios qui permittunt reos peccati mortalis accedere ad Sacram Communionem praemisso actu contritionis perfectae absque receptione praevia sacramenti Poenitentiae, et quidem dum non occurrit urgens necessitas et inopia confessoris. Quoniam, opinantur illi confessores, sive magnam inconvenentiam evenire dum fideles privantur per aliquot dies a receptione Eucharistiae, sive grave incommodum secum ferre quod ab aliquibus fidelibus exigatur receptio sacramenti Poenitentiae pluries intra mensem aut septimanam.

III. *Pericula timenda.*

1. Si in casibus litterae *a*) contentis non agatur de occasionariis aut recidivis formalibus, tunc oportet introducere novum conceptum moralem sive « occasionarii » sive « recidivi formalis ». Si autem illi poenitentes vere censeantur occasionarii aut recidivi formales, licet rationabiliter dubitare de validitate aut liceitate absolutionis collatae in citatis casibus.

2. Si confessor manifestetur et facilis in absolvendis occasionariis et recidivis formalibus, poenitentes utique frequentius atque maiori cum fiducia accedunt ad ministrum sacramenti, attamen hoc periculum occurrit: quod illi poenitentes sint proni ad idem peccatum patrandum utpote confisi vel securi de absolutione obtinenda, quo et omnis timor reverentialis etiam admittitur.

3. In omnibus casibus allatis apparet confessores conferre interdum absolutionem antequam sufficiens iudicium circa dispositiones rei adquirant vel prius quam gaudeant certitudine morali qua possint discernere an revera in reo verus et sincerus dolor detur exigens absque dubio firmum propositum emendationis.

4. Confessores illi tali modo procedendi faciliter admittunt sensum responsabilitatis suae dignitatis gravissimique muneris simul ac rationem quam de cura animarum Deo reddere debent maxime dum non laborant modo illis possibili ad fructuosam receptionem sacramentorum ex parte fidelium.

5. Confessores quoque, praecipue parochi vel coadiutores, in illis adiunctis maxime debent vitare cupiditatem erga subsidia materialia quasi recursum facientes ad usum « exaggeratae clementiae vel misericordiae » ut possent semper, occasione cuiuscumque funtionis cultus divini, locum sacrum contemplari totaliter plenum, atque efficacius adquirere ab ipsis paroecianis adiutorium in pecuniis aliisque materialibus donis.

6. Confessarii tali praxi faventes facile oblivioni tradent illam regulam ab omnibus moralistis recordatam: « Magnum concursum poenitentium non excusare ab integritate materiali confessionis ».

IV. *Petitio*. Quibus omnibus perpensis, a Patribus in Concilio adunatis humiliter deprecantur quaedam normae directivae quibus maior uniformitas criterii atque constantior modus procedendi ab ipsis confessariis in absolvendis peccatoribus, sive valide in aliquibus enarratis casibus sive licite in ceteris aut similibus casibus, servetur.

B) RELATE AD INSTITUTIONEM ATQUE DIVULGATIONEM DEVOTIONUM ERGA CHRISTUM IESUM, B. MARIAM V. ET ALIOS SANCTOS.

(F. Vacas, O. P.)

Scopus huius voti est exponere quomodo post tam frequentes monitiones Magisterii Ecclesiae, factas verbis quidem comminatoribus, praxis in populo christiano relate ad multiplicationem novarum devotionum, ad divulgationem seu contaminationem earum iam exsistentium et ad usum emblematum etiam legitimorum, aeque et magis lamentabilis est quam describitur anno 1937 a *Suprema Sacra Congregatione S. Officii, his verbis*: « Dolendum tamen est tot tamque gravibus supremae Auctoritatis Ecclesiasticae monitionibus atque iniunctionibus non plene hucusque obtemperatum esse. Quin immo neminem latet iam novas huiusmodi cultus et devotionis formas, nonnumquam ridiculas, plerumque aliarum similium iam legitime statutarum inutilem imitationem vel etiam contaminationem, his potissimum postremis temporibus, pluribus in locis, acatholicis maxime mirantibus acriterque obtrectantibus, in die multiplicari atque inter fideles latius propagari ».[1]

Re quidem vera ubique terrarum sparguntur novae devotiones quae non sunt conformes cum principiis theologicis et doctrina Ecclesiae; legitimae iam habitae deturpantur ex *influxu subiectivismi,* qui, contemnens primarios fines cultus, *egoismum spiritualem* inducit; denique nova emblemata conduntur perverse exprimentia veritates vel mysteria repraesentata.

Satis frequens est, exempli gratia, praxis eorum putantium liberatos esse a peccatis mortalibus visitatione vel processione, semel vel bis in anno peracta, insignioribus imaginibus vel reliquiis Christi Iesu, B. Mariae Virginis aut aliorum sanctorum.

Insuper, expositione SS. Sacramenti exercitium Viae Crucis aliquando peragitur; vel novendiales preces erga Sanctos habentur eadem expositione vel Missa perdurantibus.

---

[1] *A.A.S.,* XXIX (1937), p. 305.

Saepe Christifideles non curant de adimpletione praecepti audiendi Missam integram diebus dominicis vel festivis de praecepto ecclesiastico, si fideliter servant exercitium habitum erga SS. Cor Iesu, in primis sextis feriis cuiuslibet mensis; et quod peius evadit, ducti erronea interpretatione promissionis de salute eorumdem, in hac devotione implicata, incidunt in *laxismum religiosum,* quia putant salutem aeternam adipisci certo possunt, si praedictum exercitium fideliter faciunt, licet praecepta Dei non servent.

Relate ad secundum genus devotionum. Est sermo de adprobatis a S. Sede, quia in se sunt licitae devotiones, immo maxime commendandae; tamen ex defectuosa praxi inducuntur errores quandoque in cultu.

Hi defectus procedunt ex eo quod obiectum materiale devotionis a formali separatur; vel ex eo quod permiscentur devotiones ita ut perfectiores inferioribus subdantur seu aequales inter se subordinantur.

Exemplum prioris magis frequens hoc est. Cultus erga SS. Cor Iesu, qui est in se maxime commendandus, quandoque ex eo quod honoratur SS. Cor praecisum vel separatum a persona; vel etiam quia consideratur in eo amor humanus tantum, de facili deturpatur et cedit in laxismum religiosum.

Insuper, S. Congregatio Inquisitionis edidit decretum [2] quo asseritur: « Cultus erga sanctissimum Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam eucharistiam, neque alius a cultu erga sanctissimum Cor Iesu ».

Certo S. Congregatio memorata loquitur de symbolis SS. Cordis in Eucharistia; sed symbola adhibentur propter significationem. Hac de causa nobis videtur quod ratio vel mens S. Congregationis est reprobare devotionis formas in quibus non servatur debitus ordo theologicus. Proindeque videtur nobis esse contra mentem S. Congregationis agglomeratio devotionum erga Christum Iesum et B. Mariam Virginem, si non servatur quidem fundamentale principium cultus, scilicet quod errores in populo christiano non oriantur.

Praxis ideo existens instituendi processionem erga Christum Regem et deferendi in ea Christum Iesum in sacramento Eucharistiae atque ostendendi ubique emblemata SS. Cordis Iesu nobis apparet contra mentem Congregationis; non praecise, quia cultus praedictus theologice loquendo non sit licitus, sed quia confusionem in populo non culto potest causare.

Denique, in ordine ad imagines iam Sacrosanta Tridentina Synodus

---

[2] *A.S.S.*, XXIV, p. 573.

solemniter monebat:[3] « Ut, si quos forte in has sanctas et salutares observationes abusus irrepere vel irrepsisse comperissent, solerter curarent Episcopi eos prorsus aboleri, ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuerentur; omnis superstitio in Sanctorum invocatione et imaginum sacro usu tolleretur; omnis turpis quaestus eliminaretur; ac nihil demum inordinatum aut praepostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareret ».

Codex Iuris Canonici, can. 1279 et *Sacrae Congregationes S. Officii* et *Rituum* explicitis verbis damnaverunt falsi dogmatis imagines. Sed dolendum est cum S.C.S. Officii non plene hucusque obtemperatum esse.

Omni in loco divulgantur imagines nonnunquam ridiculae, ne dicamus falsi dogmatis symbola. Turpis quaestus ex parte vendentium apparet, etiam excludendo in illis intentionem deturpandi veritates vel dogmata quae male significantur.

Pius Pp. IX, per Decretum S. Officii,[4] suprema Sua auctoritate, iam mandavit: « Monendos esse scriptores qui ingenia sua acuunt super argumentis quae novitatem sapiunt ac, sub pietatis specie, insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa Fidei dogmata et ansam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati ».

Quod monet Pius IX scriptores debet intelligi de artis pictoriae cultoribus, nostris diebus praesertim, et de domibus editoribus; quae quidem spargunt imagines, magna in quantitate, sine debita cautela.

In particulari loquendo, propria quidem est observatio theologi Zubizarreta:[5] « Cum in cultu SS. Cordis Iesu totus Christus adoretur, vitandae sunt omnino representationes, in quibus Cor Iesu separatim depingitur vel a corpore Christi quomodocumque avulsum apparet, vel ab ipso Christo manu gestatum offertur fidelibus ».

Emblemata frequenter publice proposita, in quibus SS. Cor avulsum a corpore vel persona apparet sunt reprobanda, quia principiis theologicis non sunt conformia; nam separant *obiectum materiale partiale* ab *obiecto totali,* et de facile *obiectum formale speciale* a *generali.*

---

[3] Sess. XXV, *De invocat., venerat. et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus; Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini Canones et Decreta,* tertia edit., Parisiis, 1910, pp. 296-297.

[4] Die 13 ian. anno 1875; *A.S.S.,* VIII, p. 269 et 270.

[5] *Theologia Dogmatico-Scholastica; De Verbo Incarnato,* q. LX; Vitoria 1948, vol. III, p. 484.

His consideratis peropportunum iudicamus votum deferre proximo Concilio Oecumenico celebrando, ut aliquas normas practicas statuat, cum principia sint firma, relate ad vitandum abusus tum quoad originem novarum devotionum et earum divulgationem, tum quoad imagines seu repraesentationem veritatum vel dogmatum supernaturalium. Inde profluet sancta uniformitas in cultu catholico et conservabitur libertas filiorum Dei.

4

VOTUM

DE CONVENIENTIA URGENDI PRAEDICATIONEM VERBI DEI UTI OBLIGATORIAM IN OMNIBUS MISSIS CORAM FIDELIBUS CUIUSCUMQUE CONDITIONIS DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO CELEBRATIS

(V. Vicente, O. P.)

I. *Obligatio praedicandi et audiendi verbum Dei.*

a) Obligatio *praedicandi verbum* Dei. Christus Dominus praebens per tres annos « testimonium de veritate » ore et exemplo, saepius munus diffundendi semen evangelicum Apostolis suis, ideoque etiam omnibus qui sunt participes ministerii apostolici et sacerdotalis, commendavit. Dixit illis: « Euntes in universum mundum, praedicate evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15); et antea: « Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis » (*Io.* 15, 27); iterum ante Ascensionem: « Et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae » (*Act.* I, 8).

Conscii huius obligationis Apostoli idem testificantur: Ex. gr. S. Paulus scripsit: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (*Rom.* 10, 17); et: « Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare » (*Act.* 6, 2), alibi ait; Timotheo suo discipulo iussit: « Praedica verbum, insta opportune, importune » (*II Tim.* 4, 2).

Testimonia Romanorum Pontificum nec desunt talem obligationem confirmantia. Innocentius III in professione praescripta Waldensibus statuit: « Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus » (*Denz.* 426). Benedictus XV in Encyclica *circa praedicationem verbi divini,* festo SS. Cordis Iesu anno Domini 1917 edita, hoc modo incipit: « Humani generis Redemptionem Iesus Christus in ara crucis cum consumasset, velletque adducere homines ut, suis praeceptis obtemperando, compotes fierent aeternae vitae, non alia usus est via quam

suorum voce praeconum qui, quae ad salutem credenda faciendaque essent, hominum universitati denuntiarent » (*A.A.S.* 2 iulii 1917, pag. 305).

Nihil ergo mirum si iam Concilium Tridentinum, cap. IV, sess. 24, *De reform.,* hoc speciale mandatum imposuisset Episcopis: « Mandat (S. Synodus) ut in Ecclesia sua ipsi (Episcopi) per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis officium assument; in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopis (impensis eorum qui eas praestare aut tenentur aut solent) deputandos, in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem dominicis et solemnioribus diebus festis... sacras Scripturas divinamque legem annuntient. Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat ».

Quod praeceptum erga parochos expressius in Iure Canonico invenitur: « Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare » (can. 1344, § 1). Quae obligatio, iuxta Commentatores, uti gravis censetur (quasi graviter conscientiam parochorum onerans) et graviter peccent parochi qui per unum mensem successive aut per tres menses cum interruptione praedicationem verbi Dei omitterent.

Nobis finaliter constat aliquos Episcopos hodiernis temporibus « Sub gravi » praecepisse praxim pie sermocinandi diebus dominicis et festis de praecepto omnibus parochis et rectoribus saecularibus vel regularibus ecclesiarum intra suas dioeceses erectarum.

b) Obligatio *audiendi* verbum Dei. Absque dubio obligatio praedicandi necessario secum fert obligationem correlativam audiendi praedicationem. Quod et Sacra Scriptura asserit: « Aut quomodo credent quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante »? (*Rom.* 10, 14), cum praedicatio ad homines dumtaxat sit destinata, non quidem ad bestias aliasve creaturas.

Ex Historia Ecclesiastica cognoscimus quod in primaeva Ecclesia non celebrabatur « agape » seu congregatio christianorum sic dicta eucharistica ad fractionem panis sine praedicatione seu explicatione alicuius veritatis evangelii aut revelationis.

Postremo, auditio verbi Dei dicitur necessaria refectio spiritualis qua anima iusti vivit, roboratur, crescit et defenditur adversus inimicos salvationis.

Merito ergo canon 1348 dicit: « Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris concionibus frequenter intersint ».

II. *Facta notanda.* Imprimis valde frequens est omissio praedicationis in Missis celebratis aut coram subditis propriae paroeciae aut coram reducta congregatione fidelium sive sororum aut monialium sive alumnorum in collegiis pro educatione iuvenum feminei vel alterius sexus commorantium ad quod multi sacerdotes moventur quia Cappellani, dicunt, non adstringuntur obligatione homiliam aut alium sermonem faciendi.

Aliud etiam factum, lamentabile et non raro insolitum, est quamplurimos fideles effugere hodie verbi Dei auditionem, etsi per decem minuta solummodo protractam, ita ut si revera plures Missae in uno oppido vel civitate celebrentur eadem die quarum quibusdam adiungatur praedicatio homiletica ceterisque tamen sacra sermocinatio minime addatur, permulti paroeciani sive fideles seligunt Sacrum audire quod brevius persolvitur ex omissa praedicatione.

Negari neque licet quaedam at quidem gravissima mala ordinis moralis provenire, saltem partialiter, ex ipsa carentia instructionis religiosae. Sufficiat, inter alia, recordare sequentia: ipsamet ignorantia veritatum religionis catholicae et principiorum moralium, conceptus erronei circa quasdam normas moralitatis, absentia sensus moralis et responsabilitatis in iuvenibus, ut comprobatur ex plaga dictione vulgari appellata « iuvenis delinquentia », transgressio iustitiae in multis occupationibus et negotiis commercialibus aut industrialibus absque minimo scrupulo, inoboedientia erga superiores vel legitimam auctoritatem, abusus matrimonii inter coniuges, recursus ad divortium qualibet ex causa necnon et ipsamet infidelitas coniugalis.

III. *Petitio.* Ut divina voluntas praedicandi et audiendi verbum Domini facilius exsequatur, ut fidelium mentes clarius illuminentur circa veritates fidei et morum, ut sufficienter conscientia hominum recte efformetur et educetur, ut radicitus sanentur quoad partem infirmitates ordinis moralis supra memoratae, ut demum canon 1354: « Optandum ut in Missis quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis celebrentur, brevis evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat, quod si loci Ordinarius id praeceperit opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis » fructuosius et efficacius observetur, suppliciter exoramus ut imponatur tanquam obligatoria praedicatio verbi divini in omnibus Missis celebratis pro fidelibus cuiuscumque conditionis christianae tum diebus dominicis tum festis de praecepto:

a) sive quae celebratio Missae est *optima* simul ac *opportunissima* occasio cum sit tempus in quo maior concursus fidelium in locis sacris

coadunetur ad celebrandum mysterium Unitatis seu Eucharisticum sub specie fraternitatis universalis tanquam membra eiusdem familiae;

b) sive quia pro ingenti numero animarum *unica* occasio visitandi ecclesiam ideoque audiendi sermonem dominicum est dum accedunt ad praeceptum de auditione Missae satisfaciendum;

c) sive quia, parochorum et rectorum ecclesiarum exonerata conscientia mandato proponendi et tradendi doctrinam catholicam tanquam pascuam ovibus suis, utique acommodatam audientium mentibus, atque supposita ex alia parte indigentia spirituali ovium ad cibum doctrinalem frequenter accipiendum, hae quasi exigere debent ut tempore convenientiori et aptiori veritates fidei et morum aperiantur ac illis proponantur.

5

VOTUM

AMPLIOR FACILITAS ADIMPLENDI PRAECEPTUM DOMINICALE POSTULATUR

(C. De La Pinta, O. P.)

Inter praecepta Ecclesiae primum locum tenet praeceptum audiendi Sacrum diebus dominicis et festis de praecepto. Sunt quidem permulti catholici qui de facto huiusmodi praeceptum non implent, vel quia nolunt aut negligunt, vel quia, etiamsi velint, aliquando nequeunt facile adimplere, et hoc sive propter penuriam sacerdotum, sive quia ecclesiae aliquando non valent continere multitudinem fidelium, praecipue in magnis urbibus et si agatur de regionibus catholicis. Optandum igitur ut sacerdotes et ecclesiae multiplicentur, sed cum hoc non sit ita facile, liceat nobis proponere sequentes solutiones ad tempus pro faciliori impletione praecepti Dominicalis:

I. Ut, servatis servandis ad inconvenientia vitanda, *Missa possit celebrari extra Ecclesiam,* saltem quando hoc postulat numerus fidelium, qui non possunt facile accomodari intra Ecclesiam, praesertim si hoc frequenter eveniat.

II. Si agatur de his qui facile non valent audire Sacrum die dominica vel festo de praecepto, pro eorum consolatione detur ipsis opportunitas implendi praeceptum dominicale *alia die durante hebdomade.*

Cum finis praecepti audiendi Sacrum sit sanctificatio diei Domini

vel alicuius Festi, nobis non latet, non adesse eamdem rationem ut tempus impletionis huius praecepti protrahatur per totam hebdomadem eodem modo ac extenditur tempus impletionis praecepti Paschalis ad maiorem partem anni vel etiam ad totum annum, sicut de facto habetur in aliquibus regionibus.

Praedictae solutiones fuerunt propositae in favorem tot fidelium pro faciliori impletione praecepti Dominicalis.

SECTIO CANONICA

1

STUDIUM

REFORMETUR TEXTUS CAN. 132 § 1, CODICIS IURIS CANONICI, ITA UT APPAREAT CLARE OBLIGATIONEM COELIBATUS CLERICORUM IN SACRIS PROVENIRE, NON EX VOTO, SED EX LEGE ECCLESIASTICA

(A. Santamaria, O. P.)

I - QUAESTIO

1. Leges circa hanc materiam. – Can. 132 § 1: « Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint, salvo prescripto can. 214 § 1 ».

Can. 214 loquitur de redactione ad statum laicalem clerici, qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit.

Can. 1072: « Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti ».

Can. 2388 § 1 infligit poenas propter negligentiam impedimenti dirimentis, de quo in can. 1072.

2. Praescriptiones can. 132, et eius sensus. – Haec duo non esse in canone clare expressa, habetur ex eo quod dum aliqui [1] ponunt in canone contineri haec tria: *a*) arcere a nuptiis, seu obligationem coelibatus; *b*) obligatio servandi castitatem; *c*) votum annexum castitatis; alii [2] e contra ponunt haec tria: *a*) abstinere a nuptiis; *b*) perfectam servare castitatem; *c*) qualificatio per sacrilegium. Et tamen videtur quod tantum duo contineantur: *a*) obligatio coelibatus, cum consequenti obligatione perpetuae castatis; *b*) specificatio violationis castitatis tanquam sacrilegium.

Relate ad sensum magna est differentia Auctorum: dum aliqui, etiam illi defendunt obligationem *ex voto,* dicunt: *Codex silet de tali*

---

[1] Ojetti, *Commentarium,* III, ad can. 132, p. 104. Regatillo, *Institutiones Iuris Canonici,* I, n. 246, p. 160. Regatillo-Zalba, *De statibus particularibus,* pp. 75-76.

[2] Arregui, *Summarium Th. Mor.,* ed. 3, p. 278. Fanfani, *Manuale Th. Mor.,* III, n. 305, p. 427.

emissione;[3] *nulla fit mentio de voto;*[4] *Novus Codex non loquitur de voto*; [5] alii e contra, ut CORONATA,[6] CHELODI,[7] NOLDIN,[8] COCCHI,[9] VERMEERSCH,[10] et praecipue GASPARRI,[11] qui magnam auctoritatem habet relate ad Codicem, cui toto conficiendo continuo adlaboravit, dicunt quod *Codex noluit dirimere quaestionem* antiquam inter varios auctores, et eam intactam reliquit. Immo CHELODI [12] ait quod ipsa latinitas canonis prodit *studium eludendi quaestionem*: facilius enim esset dicere: « *et servandae castitatis voto perpetuo tenentur* ».

Ex alia parte, dum plures [13] deducunt obligationem coelibatus *ex voto* ex verbo canonis *sacrilegii* in ipso clare contineri, LEITNER [14] e contra, forsitan ex eodem verbo, dicit quod iste canon clare *mere ex lege* enuntiat obligationem perfectae castitatis, praeter absentiam voti.

3. NECESSITAS NOVAE REDACTIONIS CANONIS. – Cum obligatio coelibatus praecipua sit inter obligationes clericorum in sacris, eiusque gravitas augeatur ex eo quod procedat *ex voto* potius quam *ex sola lege,* clericorum multum interest clare cognoscere naturam istius obligationis, et ideo tempus est ut ea discutiatur et clare enuntietur in ipso textu canonis.

Utique GASPARRI [15] dicit quod haec quaestio « *revera in praxi parvi momenti est* », forsitan potius attendendo ad ipsum impedimentum, quod etiam acceptat CHELODI,[16] sed ex modo loquendi aliorum auctorum apparet momentum ipsius. Ita SANCHEZ [17] *Nec aestimet quispiam, parum referre ad rem moralem, unum vel alterum dicere; nam multum refert;* et applicat ad dispensationem absque causa, quia tunc si esset *ex voto,* nulla esset dispensatio ad matrimonium contrahendum; non

---

[3] BLAT, *Commentarium textus,* II, 2 ed., n. 69, p. 86.

[4] FANFANI, *loco citato.*

[5] FARRUGIA, *De Matrimonio et causis matrimonialibus,* n. 176, p. 316.

[6] CORONATA, *Institutiones Iur. Can.,* I, n. 191, p. 222.

[7] CHELODI, *Ius de Personis,* n. 117, p. 189.

[8] NOLDIN, *Summa Th. Mor.,* III, ed. 1920, p. 668; ed. 1938, n. 576.

[9] COCCHI, *Commentarium,* ad can. 132, p. 105.

[10] VERMEERSCH, *Theologia Moralis,* III, ed. 3, p. 32.

[11] GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio,* ed. 1932, I, n. 600, p. 365.

[12] CHELODI, *loco citato.*

[13] BADII, *Institutiones Iur. Can.,* ed. 3, I, p. 104. FERRERES, *Instituciones Canónicas,* I, n. 289, p. 113. VERMEERSCH, *loco citato.* FANFANI, *loco citato.*

[14] LEITNER, *Handbuch des kathol. Kirchenr.,* 1918, I, 219, citatus a CHELODI, *loco citato.*

[15] *Loco citato.*

[16] CHELODI, *Ius matrimoniale,* ed. 1919, n. 82, p. 97.

[17] SANCHEZ, *De Matrimonio,* Lib. VII, Disp. XXVII, n. 9; p. 97.

quidem quoad validitatem, cum impedimentum sit clare ex lege ecclesiastica, sed in genere quoad liceitatem, et specifice quoad liceitatem petendi debitum contracto matrimonio. ARAUXO [18] ait: « Unde eo ipso quod quis voluntaire Ordinem sacrum suscepit, voluntarie quoque vult Ordini sacro adnexa, ac proinde castitatis *votum,* quod est illi ex statuto Ecclesiae adnexum; alioquin si velit Ordinem sacrum recipere, et neutiquam *castitatem vovere, peccabit mortaliter* frangens Ecclesiae praeceptum in materia gravi ».

Item aliqui imponunt *obligationem emittendi expresse votum,* sive illis qui ex ignorantia illud omiserint,[19] sive illis qui illud excluserunt ex voluntate contraria, ita ut « *quamdium differrent, tamdiu peccarent* »;[20] « *clerici isti gravi et perpetua obligatione tenentur mutandi hanc voluntatem et emittendi votum* »;[21] « *iuxta plures Theologos, Ecclesia praecipit emissionem voti castitatis illi, qui, promotus ad subdiaconatum, expresse noluit se ad castitatem obligare* ».[22] Quae omnia, cum sint causa plurium scrupulorum, nequeunt dici parvi momenti, ac propterea multum necessarium videtur ut clare Ecclesia exprimat suam definitivam sententiam.

Adest quidem auctor [23] qui ait: « S. Sedes non solet imponere explicite ea quae ex legis interpretatione genuina de se habentur; hinc non potest expectari *explicita impositio voti* ». Lex illa nullibi apparet; interpretatio autem aliquorum verborum legalium, cum sit apud auctores satis contraria, nullo modo potest altera dici genuina. Hinc optime CHELODI [24] ait: « Unde concludendum controversiam, saltem in iisdem terminis iuris ac antea (*Codicem*) reliquisse; nisi quis ex omnimodo silentio deducendum censeat votum tacitum, si usquam recentiore iure fuit, prorsus sublatum fuisse. Quod voluit expressit ».

4. SENTENTIAE CIRCA ORIGINEM OBLIGATIONIS. – Quoad hanc quaestionem, auctores solent proponere, non computata sententia quae provocat ad *legem divinam,* vel tantum *duas sententias, ut faciunt* SCOTUS, SANCHEZ, ARAUXO, BILLUART, S. ALPHONSUS, LEHMKUHL,

---

[18] ARAUXO, *Variae selectae Decisiones,* Coloniae Allobrogum, 1745, Tract. II, Quaestio III, p. 93.

[19] GURY-FERRERES, *Comp. Theol. Mor.,* ed. 6, 1918, vol. II, n. 56, p. 36; citans S. Alphonsum, lib. 3, n. 200.

[20] BILLUART, *Summa, De Ordine,* Diss. III, art. IV, Petes 4.

[21] VERMEERSCH, *loco citato.*

[22] BOUQUILLON, *Theol. Mor. fundamentalis,* n. 115, p. 298.

[23] BERTRAMS, *De voto castitatis clericorum saecularium;* apud *Periodica,* XLIV, 1955.

[24] CHELODI, *Ius matrimoniale,* n. 82, p. 97.

VAN HOVE, scilicet altera *ex lege ecclesiastica*, altera *ex voto*. Generaliter auctores ponunt *tres sententias*, scilicet: *ex lege ecclesiastica, ex voto,* vel simul *ex lege et ex voto,* quamvis hoc explicent diversimode. S. BONAVENTURA autem indicat *quatuor sententias,* prima *ex voto adnexo,* secunda *ex voto tacito,* tertia *ex lege Ecclesiae,* contra quas proponit difficultates, et quarta, quam ipse proponit et explicat, *ex lege Ecclesiae et ex voto.*[25]

5. QUALIFICATO HARUM SENTENTIARUM. – Sententia *ex lege divina,* probabilis vocabatur ab AZORIO; de illa tamen LEHMKUHL dicit quod *perperam proponitur.*[26] Sententia quae dicit provenire obligationem *ex voto,* scilicet implicito vel tacito, proponitur *verius,* iuxta S. ALPHONSUM, *probabilius,* iuxta BILLUART, est *opinio hodie magis recepta,* iuxta VAN HOVE. Sententia autem quae simul *ex lege et ex voto,* vocatur a S. ALPHONSO *probabilior et communior;* a PRÜMMER *probabilior, a* FERRERES, *verior et communior, communior et certa; a* CORONATA *probabilius et verius* proponitur. Sententia vero quae tantum *ex lege Ecclesiae* vult provenire obligationem *probabilis* vocatur a S. ALPHONSO.

CHELODI dicit: « *Olim certissime* votum expresse emittebatur »; BLAT: « Hoc vero servandum esse ex voto *iubet* C. GREGORIUS »; VAN DE BURGT: « *certum est* S. Ordini coniunctum esse votum solemne castitatis », quod CHELODI ait dicere « nimis confidenter ».

6. PLURES SENTENTIAE ASSIGNANDAE. – 1) Praeter sententiam quae sustinet *iure divino* annexam esse continentiam Ordini sacro, sive simpliciter ut tenet MAIOR, WALDENSIS, FRANCISCUS TORRENSIS et CELAYA, quam *probabilem* vocat AZORIUS; sive cum quadam moderatione, scilicet distinctione facta quoad matrimonium contractum ante vel post susceptionem Ordinis sacri, ut distinguunt CLICHTOVAEUS et METINA, quam late exponit SANCHEZ,[27] plures aliae possunt sententiae assignari, quae in IV classes distribui possunt.

I. *Prima classis* includit illas sententias, quae potius verbum quam rem tenent in verbo *Voti.*

2) Aliqui Glossatores, afferendo fontes iuris, in quibus *praecipiebatur coelibatus* ordinatis in sacris, utebantur formula: *Solemnizatio Voti per receptionem Ordinis sacri.*[28]

---

[25] S. BONAVENTURA, in *IV Sententiarum,* dist. 37, a. 1, q. 3; in ed. *Breviloquii,* Friburgi in Brisgovia, 1881, p. 596.

[26] LEHMKUHL, *Theologia Moralis,* ed. 8, 1896, II, n. 619.

[27] SANCHEZ, *De Matrimonio,* lib. VII, Disp. X.

[28] HUGUTIO, TANCREDUS, IOANNES DE DEO, apud Ioannem de Friburgo. S. RAYMUNDUS, *Summa de Matrimonio,* tit. V, pag. 531; IOANNES DE FRIBURGO, *Ad Summam de Poenitentia S. Raymundi,* tit. VIII, p. 56.

3) Alii illam formulam acceptant, sive modo precario, ut S. THOMAS: « *ut quidam dicunt* » et « *dicitur a quibusdam* »,[29] sive simpliciter, ut ipse S. THOMAS posteriori tempore, S. BONAVENTURA, VINCENTIUS BELLOVACENSIS, BONAFACIUS VIII, IOANNES XXII, et plures alii.[30]

4) Hinc sunt plures auctores antiqui qui loquuntur directe de *voto Subdiaconi.*

5) Item alii *de voto susceptioni sacri Ordinis annexo,* ut S. THOMAS, S. BONAVENTURA, BOLSENHEIM, VITORIA, CAPREOLUS, ARAUXO.[31]

Aliqui tamen hanc locutionem modificabant, nam SCOTUS dicebat: *votum non proprie dictum, sed quasi annexum,*[32] et NAVARRUS: *late votum habet annexum.*

6) Alii modo contrario ad istum loquebantur, sequentes locutionem Conc. Carthaginensis II, an. 390, can. 2: « Gradus isti tres (*Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus*) conscriptione quadam *castitati* per consecrationem annexi sunt ».[33]

Ita ROLANDUS BANDINELLI, postea ALEXANDER III, dicebat: « *Voto solemni annexa* quaedam inveniuntur, quae sine voti praestatione minime tradi debent, quaeque si fuerint absque eo tradita, proinde habentur, acsi votum sit praestitum, utpote Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Devotio et Professio, vestis quoque viduitatis ac virginitatis, et forte alia ».[34] Ita etiam RUFINUS: « Postea vero ... *adiectus est* etiam

---

[29] S. THOMAS, *In IV, Dist. 38,* q. 1, a. 2, q. 1 a. 3.

[30] S. THOMAS, *Comm. posterior,* in IV, Dist. 38, q. unica, art. 3; *Summa,* II-II, q. 88, a. 7; S. BONAVENTURA, *Centiloquii Quarta Pars.* sectio LV; VINCENTIUS BELLOVACENSIS, *Speculum doctrinale,* Lib. X, cap. 70; BONIFACIUS VIII, cap. un. *Quod votum, De voto et voti redemptione,* III, 15, in VI; IOANNES XXII, cap. un. *Antiquae, De voto et voti redemptione,* tit. VI, in Extrav. Ioannis XXII.

[31] S. THOMAS, *Supplemento,* q. 53, a. 4, obi. 2; a. 3, in corpore; S. BONAVENTURA potius illam reiicit ubi in Nota 25; *Tractatus fratris Barth. de Bolsenheim, in quo...,* apud « Archivum O. P.» , V, 1935, p. 140; VITORIA, *Comm. in II-II,* q. 88, a. 7; Salamanca 1934, vol. IV, p. 376; CAPREOLUS, qui intelligit non de *actu interiori voluntatis,* sed de *debito et obligatione ad ea quae sunt voti, Defensiones Theologicae,* Turonibus 1906, vol. VI, p. 541; ARAUXO, *loco citato,* p. 92.

Et notandum est quod S. THOMAS dicit: *quidam ordines sunt qui habent votum continentiae annexum, ut ex littera patet*; Magister autem Sententiarum, in loco citato in altero *Sed contra,* tantummodo loquitur de Ordinibus, *in quibus nullatenus potest contrahi coniugium.*

[32] SCOTUS, *Oxon.,* IV, Dist. 37, nn. 2-3; apud MONTECORVINO, *Summa,* vol. VI, Romae 1903, p. 540. NAVARRUS, *Summa,* cap. 22, n. 18, citatus ab ARAUXO, ut Nota praecedenti.

[33] Cap. 3, *Cum in praeterito,* D. 84.

[34] ROLANDUS, *Sententiae,* apud ed. GIELT; in LESAGE, *L'Accession des Congrégations à l'Etat Religieux Canonique,* Ottawa 1952, p. 55.

institutis *continentiae alius gradus,* scilicet Diaconorum... Denique... tertius gradus est, utique Subdiaconorum ».[35]

II. *Secunda classis continet illas sententias,* seu potius *modos explicandi* illam formulam: *Solemnizatio voti per receptionem Ordinis sacri.*

7) Cum ex se *votum annexum* nihil *explicet*: potest enim a lege ita adnecti ut *expresse* emittatur, ut nunc occurrit cum votis religiosis; S. BONAVENTURA [36] proponit tamquam solutionem varias *sententias,* excludendo omnino *votum tacitum*: quia esset *idem impedimentum* ac impedimentum voti, quod etiam postea dixit SCOTUS.[37] Sed S. BONAVENTURA utitur verbo *voti* externa ratione: « quoniam *auctoritates canonum* inveniuntur, quae utrumque sonare videntur, ut quod in susceptione Ordinis est *solemnizatio voti* ». In quo tamen decipiebatur (erant enim Canonistae qui hoc dicebant, non ipsi Canones), et explicat de *obligatione continentiae spontanee* acceptata. « Sic Ordo apud Latinos ex *ecclesiastica constitutione* habet inseparabiliter *continentiam annexam*; et ideo qui illum suscipit, *spontanee se obligat,* ita quod illa obligatio procedit *ex statuto pariter et ex voto* ». Et hoc modo explicant existentiam voti SCOTUS, VITORIA et CAPREOLUS.[38]

8) In eodem sensu alii loquuntur simpliciter de *continentia annexa sacris Ordinibus,* ut S. THOMAS, HENRICUS GANDAVENSIS, ARAUXO, VITORIA, FERRARIS.[39]

9) Alii potius loquuntur quasi ageretur de voto *secundum virtutem*, ut S. THOMAS, SYLVESTER, VITORIA, TOSO, et inter ipsos videtur deberi adnumerari S. BONAVENTURA (*emittit votum consequenter*), et HENNO (*votum similitudinarie pro lege Ecclesiae*).[40]

---

[35] RUFINUS, *Summa Decretorum,* ed. SINGER, 1902, p. 63, citatus ab OJETTI, *Comm. ad can. 132,* p. 112.

[36] S. BONAVENTURA, ut Nota 25.

[37] SCOTUS, citatus a CAPREOLO, ut in Nota 31.

[38] In locis supra citatis.

[39] S. THOMAS, *Suppl.* q. 53, a. 4, obi. 2, in aliquibus exemplaribus; *Comm. posterior,* Dist. 38, q. unica, a. 3; S. BONAVENTURA, ut in Nota 25; HENRICUS GANDAVENSIS, *Quolibetum V,* apud CARREOLUM, ut supra, p. 524; ARAUXO, *loco citato,* p. 92; VITORIA, ut supra, a. 7, n. 11: *Obligatio ad castitatem est annexa Ordini sacro*; FERRARIS: *susceptioni Ordinis sacri annexam esse obligationem castitatis perpetuae*: *Prompta Bibliotheca,* v. *Votum,* art. I, n. 15.

[40] S. THOMAS: *ex hoc ipso tamen, quod Ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisse*: *Suppl.,* q. 53, a. 3; quae verba ex ipso citantur a SYLVESTRO, *Summa Sylvestrina,* v. *Matrimonium,* VIII, 11; VITORIA: *ex quo virtualiter videntur facere votum castitatis*; loco citato; TOSO: *Ordinis maioris susceptio vim habet voti solemnis perpetuae castitatis*: comm. ad can. 132,

III. *Tertia classis* est eorum qui loquuntur, quamvis diversimode, de *vero voto theologice* considerato, circa quod tantum quinque infrascriptae sententiae:

10) Aliqui loquuntur de voto *tacito,* alii de voto *implicito, alii* de voto *tacito et implicito;* inter quos ponendi sunt fere omnes qui obligationem coelibatus affirmant esse *ex voto.*

11) Tamen separatim apponendi sunt illi qui dicunt quod *Ecclesia cogit ordinandos in sacris ad vovendum,* quasi ageretur de aliquo facto, scilicet emissione voti, *expresse* ponendo ab ipsis candidatis. Ita loquuntur ARAUXO, BILLUART, S. ALHPONSUS, GURY-FERRERES, VERMEERSCH, CAPPELLO et alii.[41]

12) Immo CAPPELLO [42] dicit quod tale votum est *tacite emittendum.*

13) Alii vero sunt contenti cum *voto plus minusve negativo,* ut habent VERMEERSCH et REGATILLO.[43]

14) Sed BILLUART [44] ponit obligationem emittendi *votum explicitum,* ita quod eius defectum suppleat *votum implicitum.*

---

p. 93; S. BONAVENTURA, ut Nota 25; HENNO, *apud* BILLUART, l. c. qui obiicit hoc non dici de ceteris legibus ecclesiasticis; hic tamen agitur de aliqua lege *voluntarie* accepta, quod includit elementum votivum, ut videbimus. VALENTIA, iuxta SANCHEZ, aiebat obligationem continentiae iure ecclesiastico inductam *appellari votum continentiae implicitum* (loco citato, p. 98).

[41] DE BILLUART, S. ALPHONSUS, GURY-FERRERES, VERMEERSCH, iam supra, ut in Notis 19 ad 22. ARAUXO: « alioquin, si velit Ordinem sacrum suscipere, et neutiquam castitatem vovere, peccabit mortaliter frangens Ecclesiae praeceptum in materia gravi » (loco citato). CAPPELLO: « Promovendis ad Ordinem Subdiaconatus iniungitur, ut, saltem tacite, votum perfectae castitatis emittant » (*Summa Iuris Canonici,* I, p. 204).

[42] Cf. ultima verba Notae praecedentis.

[43] VERMEERSCH: « Nullatenus ergo voto essentiale est ut, audita Episcopi ordinantis *invitatione,* ordinandus physice consueto passu accesserit » (*Theol. Mor.,* ed. 3, tomo III, p. 33). REGATILLO: « Ordinandus tenetur in ordinatione votum emittere, i. e., intentionem contrariam non apponere. Si apposuit, votum non existit, sed manet obligatio talem intentionem retractandi » (*Inst. Iuris Canonici,* ed. 1948, vol. I, n. 247, p. 162).

[44] BILLUART: « Si suscipiens Ordinem expresse *nollet vovere...* videtur quod non teneretur voto (*ad servandum castitatem*), quod esse non potest sine consensu saltem implicito; ... neque ut videtur lege ecclesiastica, quia non datur lex apud Latinos immediate de observanda castitate, sed de emittendo voto castitatis; teneretur autem vi istius legis statim emittere votum, et quamdiu differret tamdiu peccaret... Qui ignoraret votum continentiae esse annexum Ordini sacro, ad illam servandam teneretur... ratione *voti impliciti;* quia qui vult aliquod officium, implicite vult ea quae sunt illi anexa » (*De Ordine,* Diss. III, art. IV: *De continentia annexa sacris Ordinibus*).

15) Tandem aliqui, cum DILGSKRON, ponunt *votum commune,* ab Ecclesia emissum et ab ordinando acceptatum.[45]

IV. Ultimo habetur *quarta classis, scilicet*:

16) Illi qui ponunt obligationem castitatis perpetuae simul et directe tam *a lege ecclesiastica quam ex voto.*[46]

17) Est sententia illorum qui tenent explicite quod obligatio continentiae perpetuae et coelibatus tantum habetur *ex lege ecclesiastica.*[47]

Praeter omnes istas sententias, quarum inter se diversitas forsitan non ab omnibus admittetur, quaeque multum minuit numerum eorum qui adducuntur pro obligatione *ex voto,* sunt praeterea auctores qui non audent aliquam sententiam admittere in hac discussione.[48]

Relicta prima sententia, quae obligationem deducit ex iure divino, quam nullus amplius sequitur, pro explicatione sententiarum primae classis, aliqua debemus specialiter explicare.

II - PRAESUPPOSITA

7. « SOLEMNIZATIO VOTI PER RECEPTIONEM ORDINIS SACRI ». – Quoad Canonistas antiquiores, qui hac formula usi sunt, nescimus quales textus iuridicos adducerent ad illam confirmandam. Habemus tamen aliquos Canonistas serioris aetatis qui infrascriptos textus adducunt.

Textus ex Concilio Ancyrano, an. 314, can. 9: [49] « Diaconi quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerint se velle coniugio copulari, quia sic manere non possunt, hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint et susceperint manus impositionem, professi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt ». Hic textus adducitur ad prae-

---

[45] Apud WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* tomo II, p. 122.

[46] Sunt plures qui adducuntur ab auctoribus, ita ut COCCHI vocet *communem sententiam doctorum* (ad can. 132, ed. 1922, p. 105).

[47] Pro ista sententia iam afferebat SANCHEZ (*De Matrimonio,* pp. 98-99) 22 auctores, quibus si addantur moderniores ab aliis citati, numerus facile perveniet ad 50.

[48] Inter istos NOLDIN, *Summa Theol. Mor.,* III, art. 13, 1920, p. 668, ed. 1938, n. 576; iste cum DE SMET, *De sponsalibus et Matr.,* n. 573, et CHELODI, *Ius Matrimoniale,* n. 82, citatur a REGATILLO, *loco citato.*

[49] Cap. 8, *Diaconi,* Dist. 28.

dictam formulam confirmandam a BERNARDO PARMENSI [50] et a TOSTATO.[51]

Textus ex Conc. Carthaginensi II, an. 390, can. 2:[52] « Cum in praeterito Concilio de continentiae et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitati per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, et Diaconos ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus: ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes, etiam ab uxoribus abstineant ». Item adducitur a BERNARDO PARMENSI et a TOSTATO.[53]

Textus ex Conc. Carthaginensi V, an. 418, can. 3:[54] « Placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus abstinere; quod nisi fecerint ab ecclesiastico removeantur officio: ceteros vero clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesiae consuetudinem observari debere ». Hic textus adducitur a TOSTATO.

Textus ex Conc. Martini Bracarensis, an. 649, cap. 39:[55] « Diaconus qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit, et ordinatus fuerit, et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio, et vacet a clero ». Textus hic adducitur a BOLSENHEIM.[56]

Cum hic BOLSENHEIM etiam afferat generaliter « Dist. 28 in multis locis », eius Editor, MEERSEMANN [57] affert sequentia Capita: Cap. *De iis,* ex Conc. Toletano II, an. 527,[58] ubi habentur haec verba: « et promissionem castimoniae suae absque coniugali necessitate spoponderint servaturos »; Cap. *Nullum,* ex S. Gregorio Magno, an. 591, pro

---

[50] In cap. *Rursus,* X, *qui clerici vel voventes,* IV, 6.
[51] *In Numeros,* cap. XXX, q. 61.
[52] Cap. 3, *Cum in praeterito,* Dist. 84.
[53] *Locis citatis* in Notis 50 et 51.
[54] Cap. 13, *Placuit,* Dist. 32.
[55] Cap. 1, *Diaconus,* Dist. 27, sub nomine Martini Papae, 649-653.
[56] In *loco citato* Nota 31.
[57] Ut Nota praecedenti.
[58] Cap. 5, *De iis,* Dist. 28.

Sicilia,[59] ubi: « qui se victurum caste promiserit »; Cap. *Quando Presbyteri,* ex Conc. Toletano IV, an. 633,[60] ubi: « oportet primum professionem Episcopo suo facere, ut caste et pure vivant », quae verba referuntur, non ad ipsam ordinationem, sed ad « constitutionem eorum per paroecias ».

In istis textibus habetur: *Professio tacita continentiae* (C. Ancyrano); vel *ab uxoribus abstineant* (C. Carthag. II); vel *ab uxoribus abstinere* (C. Carthag. V); vel *in ordinatione tacuerit et ordinatus fuerit;* qui tacite admittit quod debet *in castitate permanere* (C. Martini Brac.); in certis fontibus: *promissio vel professio expressa continentiae.* Ex praedictis textibus habetur: a) *lex continentiae;* b) *admissio tacita legis continentiae;* c) *promissio vel professio expressa continentiae.* Difficultas potest esse quoad ultimum. *Promissio* facta Episcopo non est Votum, scilicet: *Promissio Deo facta,* ut nunc solet accipi. *Professio,* vero, ex se, nihil aliud est quam *manifestatio modi vivendi,* sive verbis sive factis aut habitu.

8. EXPLICATIO FORMULAE A S. BONAVENTURA. – « Verumtamen quantum ad modum dicendi, sive intelligendi, inter doctores diversos diversitas opinionum resultat. QUIDAM enim dicunt, quod Ordo sacer impedit matrimonium propter *votum annexum,* ad quod obligatur qui suscipit Ordinem sacrum. Sed quoniam in susceptione Ordinis *non videtur voti emissio,* aut, si est emissio, haec est quantum *ad factum,* quamvis non sit quantum *ad verbum;* sed non videtur tunc differre *ab impedimento voti,* quod falsum est...; ideo ALIORUM est opinio, quod Ordo praestat impedimentum *ratione statuti ecclesiastici,* quod ligat clericos suscipientes Ordines ad nunquam contrahendum. Sed quoniam *auctoritates canonum* inveniuntur, quae utrumque sonare videntur, ut quod *in susceptione Ordinis est solemnizatio voti;* ideo dicendum est melius, quod... apud Latinos impedivit et *ratione statuti et ratione voti.* Sicut enim Ordo Monachorum et habitus *continentiam habet annexam* per illum qui habitum instituit, et Regulam dedit monachalem; ideo

---

[59] Cap. 1, *Nullum,* Dist. 28, quod est inclusum in cap. *Ante triennium,* Dist. 31; eius statutum ad Calabriam postea extensum fuit in Epist. ad Episcopum Regiensem (cap. 9, *Subdiaconis,* Dist. 32).

[60] Capt. 3, *Quando Presbyteri,* Dist. 28. Iuxta GOÑI, *Caelibatus ecclesiasticus in Hispania,* Pampilone, 1914, p. 81, ratio illius professionis castitatis erat maius periculum in oppidis quam in civitate, ubi Presbyteri habitabant simul cum Episcopo et aliis Clericis, vel saltem sub Episcopi vigilantia. Forsitan erat idem ac *professio obedientiae* erga Episcopum, de qua in Epistola 8 S. Zachariae Papae, art. IV: *De Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Episcopis...* (MIGNE, *PL.,* vol. 89, col. 933).

qui profitetur, et suscipit habitum, dicitur *emittere votum consequenter;* sic Ordo apud Latinos *ex ecclesiastica constitutione* habet inseparabiliter *continentiam annexam.* Et ideo qui illum suscipit *spontanee se* obligat, ita quod illa obligatio procedit *ex statuto pariter et ex voto* ».[61]

Circa quae verba notandum est: a) quod S. BONAVENTURA illam formulam credebat esse *ex canonibus ecclesiasticis,* dum tantum erat *ex Canonistis;* quod illum cogit deserere opinionem suam circa *solum statutum ecclesiasticum;* b) quod ita explicat *votum* tanquam *spontaneam obligationem* procedentem ex lege, in quo habetur elementum votivum: *Votum dicitur a voluntate,* ut dicit S. THOMAS.[62]

9. PERPLURES SIGNIFICATIONES VERBI « VOTI ». – Ad intelligentiam sive illius formulae *solemnizationis voti per susceptionem Ordinis sacri,* sive etiam explicationis ipsius datae a S. BONAVENTURA, aliqua, quamvis brevissime, debemus adnotare circa significationes verbi « voti », quas apud antiquos et medii aevi auctores invenimus.

1) *Etymologia verbi « voti ».* – Quamvis, iuxta FACCIOLATI et alios auctores, hoc verbum, quod participium est verbi « voveo », a graeco ὄω seu οἴω veniat, quod dicit significare *deferre, offerre,*[63] cum praedicto verbo Grammatici potius tribuant significationem *Propositum habere, velle;* melius videtur dicendum cum S. THOMA, quod *votum dicitur a voluntate.*[64]

2) *Significationes.* – Hic apponimus *Schema Votorum* deductum ex auctoribus, qui vel passim vel rarius illas afferunt, quorum allegationes omittimus brevitatis causa. Ex praedicta etymologia statim habemus tres priores significationes iuxta numerum appositum in Schemate: *Propositum* (n. 1), *Desiderium* (n. 2), et *Beneplacitum* (n. 3). Neque

---

[61] Ut in Nota 25.

[62] S. THOMAS: « Votum de sui *nominis ratione* propositum voluntatis importat » (in IV, Dist. 38, q. 1, a. 1, in obiectione); « Votum in proposito voluntatis consistit, ut ipsum *nomen designat* » (*Comm. posterior,* IV, Dist. 38, q. un., a. 1, in obiectione); « Ipsum *nomen* voti videtur a voluntate assumptum: dicitur enim aliquis proprio voto facere quae voluntarie facit... Et pro tanto votum a voluntate *nomen* accipit, quasi a primo movente » (II-II, q. 88, a. 1, ad 1, et in obiectione 2). SYLVESTER, citans primum et tertium locum istum, ait: « Votum a voluntate dictum est, secundum S. Thomam » (*Summa Sylvestrina,* v. *Votum,* I, n. 1).

[63] DE MIGUEL, *Diccionario Latino-Español Etimológico,* v. *Voveo*; FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis,* Patavii, 1940, IV, p. 1040, v.*Voveo,* ubi affert etymologiam ab aliis propositam ex Sanscrito *vagh,* seu *va*: *desiderare.*

[64] Cf. ex. gr. SANESI, *Vocabolario Greco-Italiano,* Pistoia, 1899, p. 598, 599: *proporsi, avere in animo, volere.*

hic applicare debemus dictum S. THOMAE: « In significatione nominum, aliud est quandoque *a quo* imponitur nomen ad significandum, et aliud *ad quod* significandum nomen imponitur », quasi non esset attendendum amplius ad etymologiam; nam et ipse tantum dicit *quandoque,* et alibi admittit *praeter etymologiam* etiam *aliam significationem,* ut dicit de verbis *medicinae* et *iuris.* Plures ex istis significationibus etiam nunc ab auctoribus adhibentur.

Ex *Propositio* simul cum *Beneplacito,* saltem tacite et implicite adhibitis, habemus *Votum commune,* seu *Votum necessitatis* (n. 4), circa Baptismum (generaliter ab auctoribus), circa Poenitentiam (IOANNES DE FRIBURGO), quod S. THOMAS etiam applicat ad votum Iacob. Aliqui negant proprietatem vocis « quia in Baptismo nihil promittitur », sed si attenditur ad significationem *Propositi,* quod in Baptismo et Poenitentia est necessarium, propria dicenda est ista locutio. Etiam ex illis, votum dicitur *Lex Ecclesiae* (n. 5), scilicet voluntarie recepta in baptismo; ex qua significatione *ieiunia quadragesimalia* vocantur *votiva.* Item, eadem ratione, *Lex Coelibatus* (n. 6) in ordinatione Subdiaconi; item *Obligationes Status* (n. 7), ex qua etiam *Status clericalis* (« *votum christianae legis* », Imp. CONSTANTINUS), et etiam ad similitudinem *Professiones saeculares* (n. 9: « saecularia vota » *Pont. Romanum*), et etiam *Professio religiosa* (n. 10), quae pluries vocatur « Monasticum votum »; et etiam ipse *Status religiosus* (n. 11; « Monachatus est quoddam votum »: PANORMITANUS), et variae *Professiones Monachorum* (n. 12), de quibus loquitur CASSIANUS, et in Const. O. P.: « unius professionis voto vivimus ».


Ex solo *Proposito* habemus *Machinationes* seu *Tentamina* (n. 13: Imp. CONSTANTIUS et PRUDENTIUS), et etiam *Dictamen Consultoris* (n. 14), quod etiam nunc adhibetur, forsitan quatenus est iudicium practicum, in quo partem voluntas habet.

Ex *Proposito* simul et *Desiderio* invenimus *Suffragium electoris* (n. 15), quo sensu etiam adhibetur in Codice et communiter.

Ut *Desiderium* aliquod ad praxim reducatur, fiunt *Preces* seu *Petitiones* (n. 16), inter quas et *Orationes ad Deum* (n. 17), et inter istas etiam *Preces Sanctorum* (n. 32); ad illas autem reducuntur *Hymni sacri* (n. 18).

Ad dictas *Preces* seu *Petitiones* obtinendas fiunt *Promissiones* (n. 19); hinc definitio voti a S. RAYMUNDO: « Votum est alicuius boni cum deliberatione promissio », vel aliorum *Iuristarum,* de qua S. THOMAS. Inter *Promissiones* autem praecipua est *Promissio Deo facta* (n. 20), de qua in can. 1307, et *Tria vota religiosa* (n. 21), de quibus in canonibus *De Professione* et *De obligationibus Religiosorum.* Immo, ut CALE-

PERPLURES SIGNIFICATIONES VERBI « VOTI »



PINUS et FORCELLINUS, etiam veniunt nomine voti sive *Res voto promissa* (n. 22), quae solent vocari *Ex-vota, Votiva donaria,* seu etiam *Anathemata;* sive *Res voto obtenta* (n. 23), ex quo dicitur « damnare aliquem voto vel voti ».

Inter *Promissiones,* etiam ab aliquibus vocantur vota *Promissio obedientiae* a Presbytero ordinato (n. 24: ARAUXO), et etiam *Votum Episcopi* (n. 25), scilicet eius responsiones in Examine seu Scrutinio in Consecratione (S. THOMAS). *Promissiones B. Virgini et Sanctis* factae (n. 26), quamvis aliqui insistentes notioni theologicae (ut n. 20) illa negant esse vota; inter quas etiam vota vocatae fuerunt *Agapes* (n. 27), promissae fidelibus in honorem Sanctorum.

Inter *Promissiones* item veniunt apud aliquos auctores ipsa *Sponsalia* (n. 28; COELESTINUS III), et *Promissiones coniugum* (n. 29) etiam nunc communiter; immo metonymice et ipsae *Nuptiae* (n. 30), quia ex voto seu desiderio utriusque coniugis plerumque fiunt, ut habet S. AMBROSIUS cum Iure Canonico et Civili. Immo ipse S. AMBROSIUS ipsum *Gaudium* ex nuptiis celebratis vocat vota, quae denominatio potest applicari ad quodcumque *Desiderium impletum* (n. 31).

Ad *Preces* reducuntur *Suffragia pro defunctis* (n. 33), quae, sicut et *Agapes* (n. 34), fidelibus oblatae in suffragium defunctorum, etiam veniunt nomine votorum. Item ad *Preces* seu *Petitiones* obtinendas solent fieri *Oblationes,* scilicet *Ad aras* (n. 35) inter paganos, quae inter christianos dicebantur *Ad altare* (n. 36), seu pro personis ecclesiasticis; inter quas habemus *Oblationes in Missa* (n. 37), de quibus pluries in Secreta, immo et ipsa *Missa* (n. 38; PRUDENTIUS), et praecipua Oblatio christiana, quae est *Eucharistia* (n. 39), quae a S. AUGUSTINO vocatur *Votum maximum.*

Praeterea habemus oblationem vitae, scilicet *Martyrium* (n. 40), de qua in Oratione S. Laurentii: *votiva martyria.* Similiter *Votum parentum* in *Oblatione puerorum* (n. 41) facta Monasterio, de qua RABANUS MAURUS, *Liber de oblatione puerorum.* Etiam oblationes fidelium occasione administrationis Sacramentorum, quae nunc veniunt uti *Iura Stolae* (n. 42) aliquando veniunt nomine votorum; sicut et ipsae oblationes factae Imperatoribus vel aliis Palatinis, quae solent vocari *Strenae* (n. 43), de quibus in Titulo Iuris Civilis Romani, *De oblatione votorum.*

Quibus significationibus, quae in *Schemate* apparent, adhuc et aliae possent addi: *Res desiderata,* seu quae voto petitur et optatur; *Dictamen in Consilio,* et *Suffragium in Consilio; Formula* ipsa nuncupandi vota: *Oblationes pro Ecclesia,* praeter oblationes ad altare et uti iura stolae; item tropice; *Dies* quo vota publica nuncupantur, vel tempus quo permittitur matrimonium solemne: *Dies votorum.* Item, sed diversa ety-

mologia, *Vota* illa quae cum *Brumalibus* prohibentur fidelibus in Concilio Trullano, quae, iuxta BALSAMON, sunt *Festa in honorem Panis,* qui erat protector bestiarum: *Bota* autem significant Pascua.

Ut apparet ex praecedente expositione, non omnes illae acceptiones dici possunt diversae, nam pluries altera nihil aliud est quam specificatio praecedentis; tamen et ipsae *nomine voti* apparent apud auctores.

3) *Diversa qualificatio voti.* – Ad rectam intelligentiam modi loquendi aliquorum auctorum, necessarium credimus proponere, relate ad votum, subsequentes distinctiones:[65]

I. *Votum proprie dictum* (SCOTUS, VITORIA):

A) *Expressum,* seu *per verba* (ut in can. 11), seu *in actu signato*:

1° *Explicitum,* uti tria vota in Professione Societatis Iesu, et votum Obedientiae in illa Ordinis Praedicatorum. Hoc potest fieri vel

a) *nomine proprio*, uti per verbum *voveo*, aut

b) *aequivalenter* (*I*), seu *quoad verba;* est tamen idem *quoad rem,* uti *promitto Deo* (cf. can. 34 § 1).

2° *Implicitum* (*I*), scilicet *in verbis,* uti vota Castitatis et Paupertatis in formula O.P. vel omnia vota in formulis etiam nunc usitatis apud Monachos. Hoc potest vocari *aequivalens* (*II*), seu *quoad rem* (ut in can. 11 citato), *virtuale* (*I*), seu *quoad actum* (ita BENEDICTUS XIV), et *annexum* (*I*), scilicet Verbis adhibitis.

B) *Tacitum,* seu *per facta,* aut *in actu exercito;* ita Professio tacita ante Pium IX. Hoc potest etiam vocari *interpretativum, interpretatum,* aut *praesumptum;* quibus modis loquitur S. THOMAS circa Votum et Professionem, quamvis ultimum negatur a WERNZ; sive a) *praesumptione iuris,* si in lege fundatur; sive b) *praesumptione hominis,* si fundatur

[65] Infrascriptas distinctiones apponimus ut satis faciamus quaerelae LEHMKUHL, *Theol. Mor.*, ed. 1896, II, n. 619, dicentis: « Quod autem aliqui, etiam nostra aetate, voti obligationem propterea prorsus excludere volunt, quia sacri Ordinis candidati non iam interrogentur, neque promittant caelibatum; id nititur *in neglecta distinctione* inter promissionem *expressam et tacitam.* Nam si hanc distinctionem adhibeas, facile explices, quomodo voti obligatio exsistat etiam in eo, qui *expresse* non voluerit, immo qui de voto emittendo *ne cogitaverit* quidem expresse ». De cetero, ipse auctor, quamvis commemorat, non tamen applicat ad casum.

Aliquid simile dicit CAPPELLO: « Quod autem nonnulli voti obligationem propterea excludunt, quia sacri Ordinis candidati *non iam interrogentur,* neque *promittant* caelibatum, id nititur praecise in *neglecta distinctione* inter votum *expressum* et *tacitum,* seu *explicitum* et *implicitum.* Posita hac distinctione, facile intelligitur, quomodo obligatio voti existat etiam in eo, qui expresse non voverit, immo qui de voto emittendo ne cogitaverit quidem expresse » (*De Matrimonio,* n. 434, p. 492).

in natura rei, non vero arbitrario modo; aut etiam vocari potest *implicitum* (*II*) scilicet in ipsis *factis*. Huius voti taciti materia intelligi debet illa ad quam referatur votum expressum.

II. *Votum annexum* (*II*), scilicet *factis* aliquibus:

1° non facto *alieno,* quoad quod SCOTUS: « eo quod antiqui voverunt »;

2° sed facto *proprio,* aut saltem *mixto,* ut esset Ordinatio voluntarie recepta:

a) et quidem *de facto proprio,* seu propria obligatione;

b) non *de facto alieno*: tunc votum esset nullum (FERRARIS);

3° vel *muneri, officio, dignitati,* etc.; tunc annexio debet fieri:

a) vel *ex natura facti* ipsius;

b) vel *per legem,* uti Vota annexa Professioni. Hoc potest vocari *aequivalens* (*III*), seu *virtuale* (*II*): quoad *obiectum actus* (*utrumque a* VITORIA), vel *similitudinarie sumptum* (HENNO). Huius voti annexi materia sicut in expresso, modus vero expresse vel tacite.

Hinc apparet varia intelligentia alicuius verbi seu qualificationis. Sic:

Aequivalens:
1. *quoad verba,* et est Explicitum,
2. *quoad rem,* et est Implicitum; utrumque Expressum,
3. *quoad obiectum* actus, seu *Similitudinarie,* aut *annexum factis.*

Virtuale:
1. quoad actum ipsum, et est Expressum-Implicitum,
2. *quoad obiectum* actus, seu *similitudinarie,* aut *annexum factis.*

Implicitum:
1. *in verbis,* et est Expressum, seu per verba,
2. *in factis,* et est Tacitum, seu per facta.

Annexum:
1. *verbis,* et est Expressum-Implicitum,
2. *Regulae,* vel *Legi Ecclesiae,* scilicet *similitudinarie* sumptum, supposito scilicet *facto proprio.*

10. VOTUM ANNEXUM, TACITUM, IMPLICITUM. – Votum potuisset esse annexum Ordinationi per legem ecclesiasticam, de qua tamen non constat, et tunc emissio potuisset esse sive *expressa* sive *tacita,* in susceptione scilicet Ordinationis. Expressa generaliter in Ecclesia nunquam fuit: *non videtur voti emissio,* ut dicebat S. BONAVENTURA, seu non quantum *ad verbum.*[66] Tacita, seu quantum *ad factum,* cum non appa-

---

[66] Non intelligimus quomodo possint explicari haec verba WERNZ, quibus respondet ad difficultatem de *actu interno* qui ab Ecclesia non possit praecipi: « Nequaquam enim Ecclesia conditionate et directe praescribit votum castitatis mere

reat annexa *per legem,* recurrendum esset ad *naturam rei,* et tunc etiam tenerentur Graeci, ut innuit ipse S. Doctor. Cum ergo non habeatur emissio voti, neque expressa neque tacita, nullo modo potest admitti illud *votum annexum.*

Quoad illam locutionem: *votum tacite emittendum,* dicenda est satis impropria; nam votum utique posset dici: *tacite emissum,* scilicet in positione actus, cui est annexum; at, quomodo potest dici: *tacite emittendum?*

Quoad votum *implicitum,* de quo aliqui loquuntur, illud votum, vel esset implicitum *in verbis,* et tunc esset *votum expressum,* quo modo generaliter in Ecclesia nullus affirmat fieri; vel intelligitur implicitum *in factis,* et tunc idem esset ac *votum tacitum.* Nec aliqua verba proferuntur, in quibus posset dici implicitum, nec talia facta ponuntur quae, vel ex lege, vel ex natura rei, includant tale votum castitatis.

11. VOTUM VIRTUALE, AEQUIVALENS, SIMILITUDINARIUM. – Quamvis votum *implicitum,* possit vocari *virtuale,* scilicet *quoad actum,* nam tantum valet quantum *explicitum,* tamen etiam potest vocari, et de facto vocatur, *votum virtuale* ille actus qui habet eandem vim ac ipsum votum. In hoc sensu ait S. THOMAS:[67] « etiam si quis verbotenus non emittat, ex hoc ipso tamen, quod Ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, *intelligitur emisisse* »; quae verba etiam adducuntur SYLVESTRO,[68] et S. BONAVENTURA[69] ait: « qui illum suscipit, spontanee se obligat, ita quod illa obligatio procedit e statuto pariter et ex voto ». Item clarius VITORIA:[70] « qui hoc ipsi sciunt, scilicet quod non debent ducere uxores, ex quo *virtualiter* videntur facere votum castitatis » et etiam: « proprie non est tale votum, nec cogitant de illo, sed est aliquod *virtuale,* quod *aequivalet voto* ». TOSO[71] etiam ait: « Ordinis maioris susceptio *vim habet* voti solemnis perpetuae castitatis ». In hoc sensu possunt etiam accipi verba S. BONAVENTURAE:

---

internum, sed *externe atque adeo publice* emittendum, quocum actus internus necessario est coniungendus. Nemo vero hucusque serio Ecclesiae negavit potestatem praescribendi actus mixtos » (*Ius matrimoniale,* vol. II, p. 226, nota 51). Nunc utique Ecclesia exigit *declarationem iuratam* acceptationis talis obligationis, ut postea videbimus, sed tunc temporis, quomodo exigebatur et *emittebatur* tale votum *externe et publice?*

[67] S. THOMAS, *Supplem.,* q. 53, a. 3.

[68] *Summa Sylvestrina,* v. *Matrimonium,* VIII, 11.

[69] In textu citato sub Nota 61.

[70] VITORIA, *In II-II,* q. 88, a. 7, ed. 1934, IV, p. 284, n. 11.

[71] TOSO, *Ad can. 132,* p. 92.

emittit votum consequenter, et verba HENNO, *votum similitudinarie, pro lege castitatem praecipiente.* Hoc utique impugnat BILLUART, dicens quod *nulla alia lex Ecclesiae vocatur votum;* sed hic agitur de lege *spontanee accepta,* non imposita, ideoque habet elementum votivum.

12. VOTUM SOLEMNE, SOLEMNIZATIO VOTI, SOLEMNITAS VOTI. – Quamvis verbum solemnitas a verbo solemne,[72] tamen illud est solemne quod habet solemnitatem. Ita relate ad votum loquuntur antiqui. HUGUCCIO:[73] « Solemne est quod fit interveniente aliqua istarum solemnitatum, vel susceptione sacri Ordinis, vel assumptione habitus regularis, vel publica scriptura, vel publica attestatione, idest, facta coram publica persona, vel reditione [in] manus publicae personae ». S. RAYMUNDUS: « Votum solemne est quod post votum solemnitas sequitur ».[74] IOANNES DE FRIBURGO: « Solemne vero dicitur, cui certa notificatio, vel expressa de iure, aut de consuetudine introducta adhibetur solemnitas ».[75] SCOTUS: « Solemne autem votum dicitur, non quia publicum, sed quoniam in se habet aliquam solemnitatem annexam, ratione cuius in publicum debeat necessario venire ».[76] Idem dicunt BERNARDUS PARMENSIS, BARTOLINUS, SYLVESTER,[77] et resumitur in versibus istis:

Votum solemne demonstrat quatuor ista:
Ordo sacer, scriptum, professio praestita sponte,
Et professorum vestis suscepta scienter.[78]

Quamvis antiqui plures solemnitates posuerint, tamen S. THOMAS et S. BONAVENTURA ad duas reducunt, in ordine tamen ad dirimendum matrimonium, quod postea etiam consecravit BONIFACIUS VIII,[79] addita tamen susceptione habitus, quae non est nisi tacita et praesumpta professio. TOSTATUS vero, textum desumens ex BERNARDO PARMENSI, plures iterum assignat, quod iam est contra ius bonifacianum. VINCEN-

---

[72] S. AUGUSTINUS, *Serm. I in die Pentecostes,* Operum tomo IX.

[73] HUGUCCIO, apud MUZZARELLI, *De professione religiosa a primordiis ad saec. XII,* p. 175; citatus a LESAGE, *L'accession,* p. 56.

[74] S. RAYMUNDUS, *Summa de Matrimonio,* Romae 1603, p. 531.

[75] IOANNES DE FRIBURGO, *Glossa ad Summam de Poenitentia S. Raymundi,* ut supra, p. 56.

[76] SCOTUS, *Repert. IV,* Dist. 42, n. 11.

[77] PARMENSIS, *Glossa ad cap. Rursus,* X, *Qui clerici vel voventes,* IV, 6. BARTOLINUS, *Glossa ad Inst. Lancelotti,* lib. I, tit. XXX. SYLVESTER, *Summa sylvestrina,* v. *Votum,* § 1, n. 5. Item RUFINUS, *Summa Magistri Rufini,* apud Schulte pp. 385-386; cit. a LESAGE, p. 54, *Glossa ad Summam Stephani Tornacensis;* cit. a WERNZ-VIDAL, *De Religiosis,* p. 298, etc.

[78] In Glossa PARMENSIS, ut Nota praecedenti.

[79] Cap. un. *De voto et voti redemptione,* III, 15, n. VI.

TIUS BELLOVACENSIS illam solemnitatem, forsitan magis proprie, vocat *solemnizationem.*[80]

13. SOLLEMNITAS PROPRIE EST PRO STATU. – S. THOMAS[81] ait: « Status proprie pertinet ad conditionem libertatis vel servitutis. Spiritualis autem libertas vel servitus potest in homine attendi dupliciter: uno modo secundum id quod *interius* agitur, alio modo secundum id quod agitur *exterius*... secundum autem ea quae exterius aguntur, accipitur spiritualis status per comparationem ad Ecclesiam; et sic nunc de statibus loquimur... Est autem considerandum quod quantum ad homines, ad hoc quod aliquis adipiscatur statum libertatis vel servitutis, requiritur primo quidem *obligatio aliqua vel absolutio*... Secundo requiritur quod obligatio praedicta *cum aliqua solemnitate* fiat, sicut et ceteris qui inter homines obtinent perpetuam firmitatem, quaedam solemnitas adhibetur ».

Ut supra dictum est, una ex significationibus verbi *voti* est status, sive clericalis, sive religiosus, sive etiam matrimonialis. In hoc sensu loquitur S. ALBERTUS MAGNUS: « Ad id quod contra obiicitur, dicendum, quod votum simplex et solemne quodammodo sunt aequalis obligationis, et quodammodo non. Potest enim persona considerari duobus modis, scilicet in se, et inquantum est membrum corporis mystici. Si primo modo, tunc aequalis est obligatio in utroque voto; si secundo modo, tunc non est aequalis, quia solemne *dat ei statum in corpore mystico,* quem non dat ei privatum, et ratione huius facit aliquid quod non facit simplex ».[82] Hic tamen *votum* videtur significare *professionem,* eo sensu quo S. THOMAS dicebat loquendo de voto: « unum solemne, quod hominem facit monachum vel alterius religionis fratrem, *quod vocatur professio* ». Et infra: « Aliud autem est votum solemne, quod facit monachum vel religiosum: quod quidem subditur ordinationi Ecclesiae propter *solemnitatem* quam habet annexam. Et quia Ecclesia respicit id quod in pluribus est, *professio* ante tempus pubertatis facta... ».[83]

Solemnitas ergo voti, seu status, est aliqua solemnitas *iuridica,* quae dat statum in Ecclesia, et quidem potest uti talis esse aliquis actus litur-

---

[80] VINCENTIUS BELLOVACENSIS, *Speculum doctrinale,* Lib. X, Cap. 70: *Probabilis opinio de solemnizatione voti,* Nurember, 1486. Etiam S. RAYMUNDUS loquitur, loco citato *de hac solemnitate seu solemnizatione.*

[81] S. THOMAS, II-II, q. 183, a. 4.

[82] S. ALBERTUS MAGNUS, *De Sacramentis,* Tract. II, *De matrimonio,* q. 4, a. 2; *Opera,* ed. Monasterii, 1958, vol. XXVI, p. 169.

[83] S. THOMAS, II-II, q. 189, a. 2 et 5.

gicus, *ordinatio in sacris,* vel pro statu religioso, *ipsa professio,* aut pressius in dicta professione *consecratio* seu *benedictio,*[84] ut dicebat S. THOMAS,[85] dum alii ponebant in lectione aut in subscriptione formulae professionis.[86]

14. VOTUM SUBDIACONATUS SOLEMNE. – *Solemnizatio* status secum fert solemnizationem omnium quae a statu procedunt. Ita *obligationes* status solemniter recipiuntur et constant, ita *impedimentum* matrimonii est dirimens, utique ex lege Ecclesiae, sed rationabiliter, quatenus uterque status, *clericalis et religiosus,* est incompatibilis *cum statu matrimoniali,* sive ex natura sua: matrimonium enim non potest simul stare cum *principalibus,* immo *essentialibus status religiosi;* sive ex dispositione Ecclesiae, cum *status* ordinatorum in sacris, propter munera exercenda, habet *maximam aptitudinem et congruentiam* ad coelibatum, quam *in praxim* reducit lex Ecclesiae, ut dicit S. THOMAS,[87] seu, ut alii dicunt: *dispositive* et *completive,*[88] vel etiam posset distingui: *ratio legis,* quae ex se non est lex, et *vis legis,* seu *ipsa lex.*

Nec quis dicat quod *impedimentum matrimonii* sit ipsum *votum*: hoc enim, quamvis locutiones auctorum hoc videtur velle significare,

---

[84] Formula istius Benedictionis solet inveniri in Pontificalibus antiquis. Paschalis II, an. 1113, Magistro Lanuino, Eremi S. Mariae Turrensis, dabat facultatem alios *suscipiendi et benedicendi;* in *Vita S. Brunonis,* Bruxellis, 1639, p. 409; in SANTAMARIA, *Quaenam sit solemnitas votorum,* Manila 1949, p. 55.

[85] S. THOMAS: « Oblatio fit cum quadam solemnitate *professionis et benedictionis* », II-II, q. 184, a. 5; « solemnitas habet aliquam spiritualem *consecrationem seu benedictionem* », ibidem, q. 88, a. 7; « solemnitas voti in quadam spirituali *benedictione et consecratione* consistit, ut dictum est », ibidem, a. 9; « solemnitas autem voti consistit in quadam *consecratione seu benedictione* voventis, ut dictum est », ibidem, a. 11.

[86] ANONIMUS, benedictinus: *Tractatus de professione Monachorum,* saec. XII, apud MARTENIUM, *De antiquis Ecclesiae ritibus;* cf. SANTAMARIA, *Quaenam sit solemnitas votorum,* pp. 91-97.

[87] S. THOMAS: « Et ideo Ordo de se *aptitudinem* quandam habet ad hoc quod matrimonium impediat. Sed haec aptitudo *ad actum* reducitur per Ecclesiae statutum, cuius dispositioni matrimonium et ordo subduntur », *Commentarius ad Hanibaldum,* Dist. 36-37, q. un., a. 3; ed. VIVES, vol. XXX.

[88] PETRUS DE PALUDE: « Ordo sacer impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum, non ratione ordinis absolute, sed ratione qua *sacer ordo;* et hoc *dispositive*; nec ratione voti adiuncti: quia ex nullo statuto votum potest adnecti alicui facto, nisi vovens voluntarie consentiat, etiamsi verba diceret et mente non consentiret; quia votum est mere voluntatis; sed impedit *completive* ex statuto Ecclesiae, facientes illegitimas personas ad contrahendum, postquam sacrum ordinem receperunt »; haec ex DURANDO adducit CAPREOLUS, *Defensiones Theologiae Divi Thomae Aquinatis,* Turonibus 1906, vol. VI, p. 540.

neque est verum pro *statu regulari,* nam non est praecise *votum castitatis* quod opponitur matrimonio, sed tota vita religiosa, et praecipue illa tria essentialia, non solum *castitas,* sed etiam *obedientia* et *paupertas.* Apud plures antiquos hoc impedimentum veniebat nomine *habitus,* aut *professionis;* quoad Subdiaconos etiam nunc venit nomine *ordinis.* In Codice vero, can. 1072: *Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti;* can. 1073: *Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint.* Non agitur de tali vel tali voto, sed de ipso statu.[89]

Non obstantibus praecedentibus, *votum solemnizatur susceptione Ordinis sacri;* ideo aliqui expresse, et apparenter iure, vocant illud votum Subdiaconi *solemne,*[90] alii autem *solemnizatum,* forsitan melius, quae locutiones fundantur in illa locutione Canonistarum canonizata a Bonifacio VIII, alii autem vocant illud *publicum.*[91] Nunc vero, quomodo potest fieri ut sit votum *publicum* aut *solemne,* quod nullo modo apparet coram Ecclesia, imo nec actu externo apparet? Unica responsio ad istam difficultatem est quod antiqui votum in hac materia vocabant *ipsum statum,* vel *obligationes* illius status, aut ipsas *consequentias iuridicas,* quae secundum legem proveniebant a statu *solemniter* recepto coram *Ecclesia,* scilicet *solemnitate iuridica.*

---

[89] Hoc exprimit Robertus Pullus cum dicit: « Monachus ipso vitae suae habitu, et Clericus sui Ordinis gradu, uterque absque voce continentiam reipsa profitetur... Statuta Ecclesiae eos a coniugio arcent, quorum aut *habitus,* ut Monachi; aut *gradus,* ut Subdiaconi; aut *votum* castimoniae, testimonio et iudicio Ecclesiae confirmatum, continentiam exigit » (*Sententiarum Libri VIII,* lib. VII, cap. XI, et cap. XXXVI; Migne, *PL.,* vol. 186, col. 924 et 953).

[90] Guardatus, *Iuris optice...,* Neapoli 1672, n. 1300, p. 279. Sebastiani, *Summarium Theol. Mor.,* ed. 8 minor, Taurini 1925, p. 520. Benedictus XIV, Ep. *Inter praeteritos,* 3 decembris 1749, § 41 (*Fontes Codicis,* n. 400, vol. II, p. 269; Cappello, *De Matrimonio,* n. 433, p. 492).

Votum *solemnizatum* vocat Henricus de Segusio, *Summa Aurea,* lib. III, *De voto et voti redemptione,* Venetiis, 1574, col. 1128; apud Lesage, p. 67. Item De Smet, *De sponsalibus et matrimonio,* ed. 3, Brugis 1920, vol. II, p. 90. Et Billuart: « Licet votum continentiae dicatur solemnizari per susceptionem Ordinis sacri, non sit tamen *proprie solemne,* quia ordinandus non se tradit ad continentiam, sed ad sacrum ministerium... Dicitur ergo solemne, non quod sit proprie tale, sed quia ex lege ecclesiastica annectitur alicui solemnizationi, nempe traditioni ad sacrum ministerium, quapropter debet potius dici *solemnizatum* quam *solemne* » (*Tractatus de Religione,* Diss. IV, *De voto,* art. V).

[91] « Exceptis votis *publice emissis in susceptione Ordinis sacri* aut professione religiosa tam solemni quam simplici » (Pius XI, Const. *Si unquam,* 15 iulii 1924, n. 2; *A.A.S.,* vol. XVI, p. 315; item Pius XII, Const. *Decessorum nostrorum,* 10 iulii 1949, XV, 2; *A.A.S.,* vol. XXXXI, p. 344).

15. PROMISSIO ET PROFESSIO CASTITATIS. – Supra, sub n. 7 allati fuerunt aliqui textus Canonum adducti pro formula *solemnizatio voti,* in quibus tamen solum apparet: *lex continentiae; admissio tacita legis istius; promissio vel professio expressa castitatis ab ordinandis,* quin appareat ullum verbum circa *votum.* Item aliqui auctores adducunt auctoritatem GRATIANI, qui in aliquibus capitibus sui *Decreti* adhibet verbum *voti.* Hoc quidem verum est quoad capita *Diaconus,* ibi allatum, ubi tamen tantum habetur *admissio tacita castitatis,* et *Nullum,* ubi exigitur tantum *promissionis castitatis sponsio.* Non tamen recte adducitur GRATIANUS quoad cap. *De iis* (5, Dist. 28), ad quod dicit: *continentiam profiteantur,* nec quoad cap. *Assumi* (6, Dist. 28), ad quod ait: *in coniugio constitutus ad Sacerdotium assumi non debet,* nec quoad cap. Praeterea (7, Dist. 28), ubi: *qui castitatem non profiteantur,* nec quoad § 2 cap. *De Syracusanae* (13, Dist. 28), ubi dicit: *continentiam professus.* E contra, quamvis non adducatur, in § 3 eiusdem capitis dicit: *continentiae votum susceperat,* et in § 4: *non suscipit generale votum.* Textus vero canonicus ad quem praedictae locutiones GRATIANI, non habet verbum *voti.*

Promissio utique venit apud plures nomine *voti,* ut apparet in *Schemate,* sub n. 19, non vero est votum theologicum, ut nunc solet accipi, quia non fit Deo, sed alteri personae, quamvis aliquis dicet quod mediate fit Deo, quatenus fit personae quae locum Dei habet; hoc tamen non admittunt Theologi, etiam si fiat B. M. Virgini vel Sanctis.

Restat ergo aliquid dicendum de *Professione.* Nunc indistincte sumitur in iure Religiosorum *profiteri,* et *emittere vota,* cum in ipsa formula et *profiteatur Regula,* et *emittantur vota;* at est res satis diversa. Verbum *professio* multas habet significationes, inter quas adducimus sequentes:

1) *Assertio alicuius rei*: ita apud TULLIUM: « Non me praeteribat, in tam perturbato statu civitatis, fructuosissimam esse *professionem bonae voluntatis* »[92] In hoc sensu etiam habetur *scrutinium,* vel etiam *examen,* de quibus doctores ecclesiastici antiqui, uti: « Omnis namque sacer ordo habet proprium *scrutinium* et propriam consecrationem; non enim debet consecrari quis in aliquo sacro ordine, nisi antea requisitus et *examinatus* fuerit, sicut ordo quem recipere debet expetit ».[93] Ita etiam *professio,* imo et *votum,* vocatur *Examen* Episcopi immediate ante eius consecrationem, in *Pontificali* descriptum.

[92] TULLIUS, Epist. 8, *Ad famil.*
[93] In opere citato Nota 86, p. 94.

2) *Manifestatio modi vivendi*: ita etiam TULLIUS: « Ut enim si grammaticus se *professus* barbare loquatur, aut si absurde canat si quis se haberi velit musicus, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet cuius *profitetur* scientiam, sic philosophus in vitae ratione peccans hoc turpior est quod in officio, cuius magister esse vult, labitur artemque vitae *professus* delinquit in vita ».[94] Et sensu contrario: « Frater quidam ex eodem Monasterio egressus saeculum repetit, Monachum *diffitetur...* ».[95] Item SUETONIUS: « Praeter caeteros Iudaicus fiscus acerbissime actus est; ad quem deferebantur, qui vel *improfessi* iudaicam viverent vitam vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent »,[96] scilicet christiani, qui cum Iudaeis confundebantur.

3) *Promissio* aliquid faciendi: ita CAESAR: « *Profitetur* se ad colloquium venturum »[97] et HORATIUS:

Inceptis gravibus plerumque et magna *professis...*
Sectantes levia nervi
deficiunt animique; *professus* grandia, turget...;[98] et PHAEDRUS:
Hoc vidit fieri Rusticus; non mehercule
me vincet, inquit: et statim *professus est,*
idem facturum melius se postridie.[99]

4) *Inscriptio apud Magistratum*: a) *Professio nominis,* scilicet a candidatis ad aliquam magistraturam; b) *Inscriptio in Censu,* immo et ipse *Census* lustralis; c) *Professio turpis quaestus;* d) *Libellorum inscriptio,* scilicet ab accusatore. Textus brevitatis causa omittimus.

5) *Ipsa forma* seu *modus vivendi*: de hac TULLIUS: « Vis Oratoris *professio* ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur... »;[100] « Clericus *professionem* suam et in habitu et in incessu probet, et ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quaerat ».[101]

6) Tandem *Professio regularis*: S. BERNARDUS: « Idem notum est solemniter ac regulariter *profiteri* quemque in praesentia Abbatis ».[102]

Ex praedictis apparet, quomodo bene loquentes Canonistae antiqui optime adhibebant locutionem *solemnizationis voti per susceptionem*

---

[94] TULLIUS, *Tuscul. disput.,* lib. II, cap. 4.

[95] *De rebus gestis in maiori Monasterio;* MIGNE, *PL.*, vol. 149, col. 412.

[96] SUETONIUS, *De vita Caesarum,* lib. XIII, *Domitianus,* cap. XII; ed. ROLFE, in collectione LOEB, 1950, vol. II, p. 364.

[97] CAESAR, apud R. DE MIGUEL, v. *Profiteor.*

[98] HORATIUS, *De arte poetica,* 14, 27.

[99] PHAEDRUS, *Fabularum lib. V,* fab. V, v. 23.

[100] TULLIUS, *Orator,* VI.

[101] Conc. Carthaginense IV, cap. 45.

[102] S. BERNARDUS, ep. VII ad Adam Monachum.

Ordinis sacri, et quomodo GRATIANUS adhibeat verbum *voti,* quum in ipsis textibus nihil quam *promissio* vel *professio* habeatur: utrumque enim verbum sub *voto* venit.

Etiam ex textibus allatis apparet quod *antiquitus* et quidem tantum in *aliquibus regionibus* exigebatur, ad introducendum *coelibatum* ecclesiasticum, aliqua *promissio expressa,* seu *professio,* quibus admittebatur *lex coelibatus,* qua introducta, praedicti actus expressi in desuetudinem abierunt iam a pluribus saeculis; nec facta fuit *lex generalis,* quamvis tales textus fuissent introducti a GRATIANO in suo *Decreto.*

16. QUAESTIO CANONICA, VEL MORALIS? – Sunt perplures auctores, sive Moralistae, sive Ascetici, qui hanc quaestionem pertractant, et quidem auctoritativo modo, quasi res esset proprie theologica. Utique etiam Canonistae, licet minori numero, solent tractare eandem quaestionem, sed quasi recurrendo ad argumentum auctoritatis Theologorum, quam magni faciunt. At potius videtur quod haec quaestio est stricte canonica et iuridica, ac proinde, si Moralistae eam pertractare volunt, optime facient, agendo de obligationibus moralibus Clericorum, si adeant Canonistas, qui eam pertractent oculo et criterio canonico.

Equidem, etiam illi auctores qui sustinent theoriam de voto Subdiaconi, ultimatim recurrere debent, et de facto recurrunt, ad aliquam legem ecclesiasticam tale votum imponentem. Proinde, semper agitur sive de existentia talis legis praecipientis emissionem voti castitatis perpetuae, sive de sensu praedictae legis; ac similiter de sensu quo antiqui Canonistae de lege continentiae clericalis loquebantur. Haec autem omnia proprie ad studium iuris canonici pertinent.

Tam Moralistae quam Canonistae, potius quam attendere ad *argumentum auctoritatis,* attendere debuissent ad *rationes* pro tali vel tali sententia adstruenda. Relicta tamen quaestione Moralistis, iam habemus uti praecipuam rationem *auctoritatis,* ad quam solent attendere, ita ut facilius imponatur aliqua sententia ex *maiore numero auctorum,* qui eam defendunt; quod quidem, feliciter, adhuc non obtinuit in Iure Canonico.

Ideo Canonistae bene facient hanc quaestionem tractando modo proprio, nihili vel pauci faciendo auctoritatem Moralistarum; quin potius isti ex legis canonicae Peritis debent recipere conclusiones in hac materia, ad proprias conclusiones morales adstruendas.

Non tamen debemus omnino praeterire rationes allatas ab ipsis Theologis, qui eam quaestionem de facto tractaverunt.

III - DISCUSSIO QUAESTIONIS

Ex dictis § praecedenti, iam possumus procedere ad discussionem quaestionis.

17. EXCLUDUNTUR QUINQUE SENTENTIAE PRIMAE CLASSIS. – Quamvis S. BONAVENTURA, ut dictum est N. 8, *auctoritati Canonum* tribueret illam formulam de *solemnizatione voti per susceptionem Ordinis sacri,* dum tamen erat tribuenda Canonistis, et non sine cautela primum adhibebatur a S. THOMA, illam tamen explicabat tanquam legem *spontanee receptam;* quae explicatio optime fundabatur in una ex diversis acceptionibus verbi *voti.* Hinc, sive Canonistae qui illam adinvenerunt, sive auctores posteriores qui ea utebantur, omnino excludendi sunt a *Sententia de voto,* et praecipue ipse S. BONAVENTURA, qui ab aliquibus affertur pro sententia *pro lege simul et voto,*[103] immo et *pro voto incluso in Subdiaconatu,*[104] sicut etiam S. THOMAS, qui non aliud facit quam adhibere illam formulam.[105] Eodem modo excludendi sunt sive BONIFACIUS VIII, sive IOANNES XXII, qui in textibus iuridicis eandem formulam adhibent.[106]

Eadem ratione, excludendi sunt plures auctores allati in favorem sententiae *de voto,* qui tamen solum adhibent locutionem de *voto Subdiaconi,* quin curent de quaestione adhuc non proposita. Eodem modo, excludendi sunt illi qui loquuntur de *voto annexo susceptioni Ordinis sacri,* quod ex se nihil speciale addit, praesertim cum aliqui ex istis intelligant vel *improprie* aut *late,* vel de *continentia annexa,* vel de *voto virtuali,* ut in sententiis 8 et 9 sub N. 6.

A fortiori excludendi sunt illi auctores qui, iuxta sententiam 6, modo

---

[103] Ita GURY-FERRERES, *Comp. Theol. Mor.,* ed. 1918, n. 55, p. 35; CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 432; GASPARRI, *De matrimonio,* ed. 1932, n. 600, p. 364.

[104] Ita STOCKUMS, *Vocation to the Priesthood,* transl. by GRUNDNER, 1947, cap. XV, p. 230.

[105] Ita SANCHEZ, *De matrimonio,* vol. II, p. 99; CAPPELLO et GASPARRI, ut in Nota 103. Ipsum Doctorem affert S. ALPHONSUS pro sententia: *non immediate ex lege ecclesiastica, sed ex voto,* iuxta CAPPELLO, qui ait hoc minus recte dici, ex illis verbis S. Thomae: « Non est essentialiter annexum debitum continentiae ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiae » (II-II, q. 88, a. 11), ubi attendenda sunt ipsa verba S. Doctoris, qui tantum dicit *debitum,* non vero *votum.*

[106] Cap. un. *Quod votum, De voto et voti redemptione,* III, 15, in. VI, anno 1298; cap. un. *Antiquae, De voto et voti redemptione,* tit. VI, in Extrav. Ioannis XXII, anno 1322.

contrario loquuntur, scilicet de Ordinibus *adnexis voto continentiae,* aut *adnexis continentiae.* Ita, iuxta SANCHEZ [107] *Archidiaconus,* seu GUIDO DE BAYSIO, super verbo *annexi,* cap. *Cum in praeterito,* sustinet coelibatum esse ex *lege ecclesiastica.*

18. EXCLUDUNTUR TRES SENTENTIAE SECUNDAE CLASSIS. – Simili modo excludere debemus a sententia *de voto* illos auctores, qui, quamvis utantur verbo *voti,* vel intelligunt *de lege spontanee accepta,* vel de ipsa *continentia annexa, quamvis aliunde loquantur de voto,* vel intelligunt *de voto secundum virtutem,* seu tale tantum *appellatum.* Ita CAPREOLUS explicat sententiam SCOTI, DURANDI et PETRI DE PALUDE quod « votum continentiae non potest adnecti alicui facto », scilicet quod hoc est verum *quoad actum interiorem voluntatis,* sed tamen non est verum si intelligitur verbum *voti* de « debito et obligatione ad ea quae sunt voti », seu de ipsa *continentia,* ac in hoc sensu intelligit S. THOMAM quando dicit quod « Ecclesia Occidentalis potest adnectere et de facto adnexit votum continentiae sacris Ordinibus ».[108]

19. EXCLUDUNTUR SEX SENTENTIAE TERTIAE CLASSIS. – Sub hac classe ordinatae sunt supra variae sententiae, quae in discussione defendunt *votum Subdiaconatus* sub diversis et contrariis theoriis. Haec contrarietas signum est praecedentes theorias non satisfecisse posterioribus, qui ideo novam adinvenerunt ut possint vitare inconvenientia praecedentium.

Circa istas theorias: *a*) dicit CHELODI: [109] « Olim certissime votum *expresse* emittebatur; deinde cum *id non amplius fieret,* multi *Canonistae* docuerunt *tacite* in ordinatione contineri ». *b*) CORONATA: [110] « Antiquitus *votum seu promissio* castitatis servandae in manu Episcopi ante ordinationem explicita erat *ex iure particulari*; postea desuetudine *abolita est,* et doctrina invexit (*adinvenit*) theoriam de voto tacito ». *c*) Item REGATILLO [111] « Paulatim iam ante Gratianum subintroducta fuit praxis non emittendi voti expressi, sed saec. XI denuo alicubi praescribitur. Glossatores Gratiani communiter docuerunt ordinationi sacerdotali adnexum esse votum tacitum ».

Circa ista aliqua notare debemus. Imprimis, non fuerunt Glossatores

---

[107] SANCHEZ, *loco citato,* p. 98, qui ait illum afferre Laurentium et Huguitionem.

[108] S. THOMAS, II-II, q. 88, a. 11.

[109] CHELODI, *Ius de Personis,* 1922, n. 117, p. 189. Aliquid simile apud ipsum, *Ius matrimoniale,* ed. 1919, n. 82, p. 96.

[110] CORONATA, *Inst. Iur. Can.,* I, ed. 1939, p. 222.

[111] REGATILLO, *Inst. Iur. Can.,* ed. 1948, n. 247, p. 161.

Gratiani qui doctrinam de *voto tacito* docuerunt, sed Canonistae posteriores decepti, forsitan, ignorantia significationum plurium verbi *voti*. Fuit ipse GRATIANUS qui in textibus ubi exigebatur *promissio aut professio expressa* castitatis adhibuit locutiones de voto, ut diximus initio N. 15. Haec non erat impropria locutio, si attenditur ad diversas significationes illius verbi; ita etiam S. THOMAS [112] cum dicit: « Quidam ordines sunt, qui habent *votum continentiae* annexum, ut patet ex Littera »; dum tamen littera Magistri Sententiarum quam commentatur dicit solum loquendo de Ordinibus: « in quibus nullatenus potest contrahi coniugium ». Super illud verbum Gratiani Glossatores usi sunt formula dicta: *Solemnizatio voti per Ordinis sacri susceptionem,* quae supra, N. 7 explicatur.

20. ANTIQUA PROFESSIO CASTITATIS EXPRESSA. – In textibus iuris supra allatis, Nn. 7 et 15, apparet aliquando tacita, aliquando et pluries *expressa* professio castitatis ex iure particulari exigenda ante ordinationem in sacris. Cum haec omnia exigerentur ad *introducendum coelibatum,* ne violenter imponeretur illis qui de hoc nequidem cogitaverunt, de quo dicebat S. GREGORIUS MAGNUS: [113] « quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum eiusdem continentiae non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc (quod absit) deterius cadat », semel introducta et firmata lege castitatis, non amplius exigebatur, seu desuetudine abolita est talis promissio seu professio.

21. NOVA PRAESCRIPTIO SAEC. XI. – Quatuor sunt Concilia particularia allata ab auctoribus pro *voto expresso castitatis.* Concilium Bituricense (Bourges) anni 1031, synodus Wintoniensis (Winchester) anni 1076, Conc. Rothomagense (Rouen) anni 1074, et Conc. Londinense, anni 1102. Duo priora afferuntur a CAPPELLO [114] DE SMET [115] et CHELODI [116] uti praecipientia votum castitatis ex iure particulari. Praeterea afferuntur a WERNZ-VIDAL [117] ad probandum quod Cap. *De iis* Conc. Toletani II, anni 527, et Cap. *Nullum* et *Ante triennium,* S. Gregorii M., anni 951, intelligenda sunt de voto, dicentes: « Neque ullum dubium existere potest, quin huiusmodi promissio, licet proxime in manus hominis fieret, tamen *veri voti* sive *promissionis Deo factae*

---

[112] S. THOMAS, *Supplem.,* q. 53, a. 3, obi. 2.
[113] Cap. 1, *Ante triennium,* Dist. 31.
[114] CAPPELLO, *De Sacramentis,* III, ed. 1933, n. 445, 6, p. 502.
[115] DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* II, ed. 1920, n. 571, p. 90.
[116] CHELODI, *Ius matrimoniale,* ed. 1919, n. 82, p. 96.
[117] WERNZ-VIDAL, *De Personis,* p. 120.

habuerit », et in Nota afferunt illa duo priora Concilia. Alia duo Concilia etiam afferuntur a CHELODI pro voto praecepto ex iure particulari.

Ex synodo Wintoniensi citatur Formula voti emittendi: « Ego Frater (*scilicet Canonicus*) N. promitto Deo omnibusque Sanctis eius castitatem corporis mei secundum canonum decreta et secundum Ordinem mihi imponendum servare. Domino Praesule N. praesente ».[118] Eadem formula apparet in initio codicis *Varia* saec. XI, Academiae Cantabrigensis, cum hac conclusione: « Domino praesule Wistano praesente ».[119]

Quoad ista aliqua notanda erunt. Imprimis non est satis logica conclusio interpretandi documenta Italiae vel Hispaniae saec. VI per aliquod documentum Angliae vel Galliae saec. XI. Praeterea, ut patet, agitur de iure particulari aliquarum Ecclesiarum, non vero de lege generali Ecclesiae.

Singulariter, de Concilio Bituricensi haec habet HEFELE [120] ad can. 6: « Omnis clericus debet *promittere* ante ordinationem ad Subdiaconatum non sumere uxorem aut concubinam ». De Londinensi idem auctor:[121] « Nullus potest recipere Subdiaconatum nisi antea emittat *votum castitatis* ». Sed in textu ipsius can. 6, qui affertur apud MIGNE,[122] ita dicitur: « Ut nullus ad Subdiaconatum aut supra ordinetur sine *professione castitatis* ». Hoc Concilium fuit celebratum sub S. Anselmo Cantuariensi. De Formula Wintoniensi haec dicenda: Quamvis formula apud auctores habeat speciem generalitatis, in formula MS. indicata apparet quod solum refertur ad Dioecesim *Vistanam*, seu Wintoniensem; praeterea illud *Frater*, de quo CAPPELLO interpretatur: *scilicet Canonicus*, signum est quod agitur non de Clero saeculari, sed de Clero regulari. Et quidem HEFELE [123] ita dicit ad hoc Concilium: « Post Concilium Romanum an. 1074, in quo praescribebatur strictius lex coelibatus, Lanfrancus non credidit opportunum applicare reformationem pleno suo vigore. Apposuit differentiam inter clerum paroecialem et clerum collegialem. Ultimus rigorose fuit adstrictus ad castitatem et submissus *Regulae S. Chrodegandi*. In posterum, Episcopus non ordinabit Diaconum nisi illos qui se adstringerent coelibatui; Concilium redegit

---

[118] DE SMET et CAPPELLO, locis ultimo citatis.

[119] NASMITH, *Catalogus librorum manuscriptorum...* N. CCLIV, Cantabrigiae, 1777; in *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne,* II, col. 1766.

[120] HEFELE-LECRERCQ, *Histoire des Conciles,* vol. IV, p. 953.

[121] *Ibidem,* vol. V, p. 477.

[122] MIGNE, *PL.,* vol. 159, col. 95, Nota 14.

[123] HEFELE-LECRERCQ, ut supra, vol. V, pp. 215-216.

formulam huius adstrictionis seu vinculi » (engagement). Ex quibus apparet quod illi qui emittere debebant tale votum erant *Canonici Regulares* sub Regula S. Chrodegandi, quae in duplici redactione habetur apud MIGNE.[124]

22. EXCLUDUNTUR VARII MODI EMITTENDI VOTUM. – Quoad varios modos ab auctoribus sententiarum tertiae classis, *expresse, tacite, implicite,* scilicet per verba, per facta, vel implicite in verbis aut factis, iam sufficienter dictum est supra, N. 10.

1) An forsitan agitur de aliquo *voto expresse* facto per *actum internum,* sicut supponitur in II sententia? Utique auctores huius sententiae dicunt hanc esse opinionem communem Theologorum, scilicet quod *Ecclesia iubet emittere votum,* quod in praesenti nonnisi per actum internum adimpleretur; at quomodo praedicti auctores probant hanc sententiam? Primo adducitur textus S. GREGORII, de quo supra, Nn. 15 et 20. Deinde cap. *Diaconi,* supra relatum N. 7. Praeterea cap. *Cum olim,* 6, X, *De clericis coniugatis,* III, 3, ubi INNOCENTIUS III, anno 1212 ait: « Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt... ».[125] Nunc vero, in primo fonte solum habebatur *promissionis castitatis sponsio;* in altero *tacita professio continentiae,* (« *Quicumque vero tacuerint* »); in tertio nihil amplius habetur quam *votum continentiae* iuxta modum loquendi Canonistarum, qui illum applicaverunt ad *legem continentiae* seu coelibatus, ut optime explicat S. BONAVENTURA, supra N. 8.

Praeterea adducitur textus BONIFACII VIII, cap. *Quod votum, De voto et voti redemptione,* III, 15, in VI, ubi, ut diximus N. 12, nihil aliud fit quam canonizare illam locutionem Canonistarum « solemnizatio voti per sacri Ordinis susceptionem », ideoque nullam vim habet specialem.[126] Tandem adducitur textus BENEDICTI XIV, epist. *Inter praeteritos,* 3 Decembris 1749, ubi loquendo de Poenitentiariis minoribus, negat facul-

---

[124] MIGNE, *PL.,* vol. 89, col. 1057 et 1098.

[125] Isti tres textus adducuntur a BILLUART, *De Sacramento Ordinis,* diss. III, art. V. De ultimo textu dicit VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* ed. 3, III, p. 32, quod in illo *supponitur votum.*

[126] Etiam de isto textu dicit VERMEERSCH quod in illo *supponitur votum.* SUAREZ, *De religione,* tract. VII, lib. II, cap. XIV, dicit ibidem agi de voto *castitatis,* dum melius diceretur agi de *statu solemniter accepto,* qui sive ex natura sua, ut Status religiosus, sive ex lege Ecclesiae ut Status clericalis, est incompatibilis cum matrimonio, ut diximus N. 14. WERNZ, *Ius matrimoniale,* ed. 1912, II, p. 224, dicit ibidem agi de *voto stricto sensu, non lato,* quod etiam dicit CAPPELLO, *De Matrimonio,* n. 433, p. 491, quod omnino negandum est, iuxta praedicta.

tatem dispensandi « *in votis solemnibus... in Ordinis susceptione admissis* », et citat pro aliis votis, simplicibus etiam publice factis, textum praecedentem.[127] De isto textu potest dici quod de alio simili eiusdem Pontificis, const. *Eo quamvis tempore,* 4 maii 1745, dicit DE SMET: « Benedictus XIV... videtur ad eandem opinionem accedere; eius tamen auctoritas in casu non excedit auctoritatem doctoris privati, cum hanc sententiam nullatenus imponat, nec ullo modo intendat iuris dispositionem introducere ». TOSO ex ista clausula Benedicti XIV deducit suam locutionem: « Ordinis maioris susceptio *vim habet voti* solemnis perpetuae castitatis ».[128]

2) Relate ad *votum negativum,* de quo apud auctores sententiae 13, tota vis illius reducenda esset ad *acceptationem obligationis castitatis* impositae ab Ecclesia. Immo nunc ex Instructione S. C. de Sacramentis, 27 decembris 1930.[129] sub iuramento exigitur *expressa et subscripta declaratio* quod ordinandus *clare percipit quae coelibatus lex importet,* et quod *firmiter statuit libenter explere et integre servare usque ad extremum.* Haec verba debent considerari, non uti confirmatio sententiae obligationis *ex voto* tacito, sicut dicit CAPPELLO,[130] sed potius uti antiqua formula *professionis coelibatus,* quae antiquitus expresse exigebatur. Verba autem quae iuxta *Pontificale Romanum* ab Episcopo diriguntur: *Si usque nunc inhonesti, amodo casti* (*debetis esse*), et antea: *perpetuo famulari et castitatem illo adiuvante servare oportebit,* nec est *promissio tacita,* ut dicit BLAT,[131] nec est *vestigium huius voti taciti seu impliciti,* ut habet CAPPELLO,[132] aut *aliquo modo insinuatur,* ut dicit WERNZ,[133] nec est *Episcopi ordinantis invitatio* ad votum emittendum, aut *exhortatio,* sed tantum *admonitio,* ut in rubrica praecedente expresse vocatur.

3) Illud autem *duplex votum,* unum explicitum emittendum, et aliud implicitum, de quo loquitur sententia 14, cum sit aliquid novum, est omnino reiiciendum. Sed dicet quis « Non est proprie nisi unum votum, scilicet *explicitum emittendum* praeceptum a lege; aliud vero vocatum implicitum, non est proprie votum, sed obligatio servandi castitatem

---

[127] De isto textu dicit VERMEERSCH, loco citato, quod ibidem *formaliter docetur* sententia obligationis ex voto, quod item omnino negandum est.

[128] DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* vol. II, p. 91, nota 3. TOSO, ad can. 132, p. 92.

[129] *A.A.S.,* vol. XXIII, p. 127.

[130] CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 436, p. 494.

[131] BLAT, ad can. 132, ed. 2, p. 85.

[132] CAPPELLO, *loco citato,* n. 445, p. 502. Etiam STOCKUMS, *loco citato* in Nota 102, dicit quod hic *praesupponitur votum.*

[133] WERNZ, *Ius matrimoniale,* II, p. 227, Nota 51, in fine.

perpetuam: *quia qui vult aliquod officium, implicite vult ea quae sunt illi officio annexa* », ut dicit ipse BILLUART.[134] Utique antiqui illam obligationem *spontanee* acceptam vocabant *votum,* ex quo factum est ut plures intelligerent de voto theologice sumpto, ut nunc solet accipi; praeter hanc obligationem, quae imponitur a lege, nulla alia obligatio emittendi votum habetur in iure. Sic ergo nec votum *explicite* emittendum, quia non praecipitur, nec votum *implicitum, theologice* sumptum, quia illa locutio aliud significat.

4) Quid autem de illo voto *communi* Ecclesiae, vi cuius Subdiaconi tenentur ad castitatem perpetuam servandam? Agiturne forsitan de *desiderio communi* (2 significatio verbi « voti ») Ecclesiae quae perpluribus legibus imponit talem obligationem? Tunc nulla difficultas haberetur, nisi quod nunc non est proprius modus loquendi. Si autem intelligitur de voto communi, id est, a *communitate christianorum,* emisso, per quod obligarentur *singuli ordinati in sacris* ad illud adimplendum, haberemus in contrarium doctrinam omnium doctorum, quae in can. 1310 § 1 ita exprimitur: « *Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem* ». Equidem, si communitas facit votum, obligat ipsam communitatem, non vero singulos etiam suo suffragio concurrentes ad talem decisionem sumendam. Nisi forsitan illi auctores velint intelligere illud vocatum *votum commune,* scilicet circa receptionem Baptismatis, quod etiam vocant *necessitatis,* et distinguitur a voto *singulari,* seu *voluntatis,* et tunc non potest admitti, cum non imponatur, sed *spontanee recipiatur* talis obligatio. De illo dicit WERNZ-VIDAL: « Huiusmodi votum est factum historicum nullo argumento historico comprobatum, neque cum verbis iuris conciliari potest, neque ex difficultatibus non solubilibus, in quas nonnulli scriptores per exageratas assertiones inciderunt, solide comprobatur, immo in easdem fere incidit ».[135]

5) Diversitas quae apparet inter opiniones eorum qui asserunt *obligationem ex voto* est sufficiens indicium quod talis obligatio est pro illis inexplicabilis, et ideo quaerunt proprias diversas explicationes, quae nec etiam satisfaciunt.

23. DE SENTENTIIS QUARTAE CLASSIS. – Remanet nunc loqui de sententiis quartae classis, quae admittunt obligationem ad castitatem perpetuam ex *lege ecclesiastica.*

Et primo dicitur *communis sententia* illa quae admittit talem obligationem oriri *simul ex lege et ex voto,* sive *aeque directe,* sive magis

---

[134] Cf. Notam 44.

[135] WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* II, p. 122.

directe ad uno ex istis fontibus, pro qua solent adduci aliqui auctores quos inter primae vel secundae classis sententias assignamus.

Contra istam sententiam 16 proponitur ab auctoribus illam proponentibus obiectionem, seu probationem pro sententia 17, *ex sola lege,* quod stante clare lege ecclesiastica imponente coelibatum, non est necessarium, vel non est ita utile votum, quod de cetero non clare imponitur; ideoque deficit una ex conditionibus legis, iuxta S. ISIDORUM, quod sit necesaria et utilis.[136]

In contrarium potest adductare textus RUFINI:[137] « Denique interroganti, quare hodie in his tribus ordinibus vota continentiae exigantur, cum *praeter hoc* etiam praeceptis castimoniae alligentur, illud Toletani Concilii respondeatur: " Solet — inquit — plus teneri quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur ". Hoc sencundum praesentis temporis modernitates exaudiendum est, quando, etiam si non promittit, tamen ordinatus postea matrimonio iungi non potest ». Illa verba Concilii Toletani II habentur post ista: Quamquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, *canonicis regulis* teneantur adstricti; expedibile tamen est ut *promissionis suae vota* sub cautione (*scilicet iuratoria*: GLOSSA) spondeant, quos ad promotionis gradus ecclesiastica probat disciplina », et postea: « ut unusquisque, qui ad ecclesiasticos gradus est ascensurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quam *placiti sui annotationem promittat* ».[138] — In hoc textu: *a*) agitur de *canonicis regulis* in genere, et non praecise de obligatione coelibatus; *b*) exigitur *promissio sub cautione*: ideo non votum, sed iuramentum; *c*) illud placitum potest utique venire *nomine voti,* ut in significatione N. 3 Schematis; improprie autem dicitur a PORRECTA: « istud autem placitum erat votum continentiae »;[139] denique *d*) illa exigentia promissionis iuratae non amplius exigitur, ut omnes concedent.

Item in contrarium hoc proponitur: « Insuper Clerus Latinus ita redigeretur ad *imperfectiorem conditionem* Cleri Graeci, in quo *nobilior et perfectior* observantia consilii evangelici castitatis voto confirmati non reperitur ».[140] — At, unde deducitur quod in omnibus Ecclesia Latina debeat esse perfectior quam Ecclesia Graeca?

---

[136] S. ISIDORUS, *Etymologiarum lib. V,* cap. 21; allatus cap. 2, Dist. 4.

[137] RUFINUS, *Summa Decretorum,* scr. circa 1165, ed. SINGER, 1902, p. 63; apud OJETTI, comm. ad can. 132, p. 105.

[138] Cap. 6, Dist. 23.

[139] PORRECTA, ad Summam S. Thomae, *Supplementum,* q. 53, art. 3, in appendice.

[140] WERNZ, *Ius matrimoniale,* Pars II, ed. 1912, p. 226, Nota 51.

Similiter in contrarium proponitur: « Si votum addatur, obligatio coelibatus non est mera obligatio abstinendi a nuptiis, sed etiam ex religione servandae perfectae castitatis exterioris et interioris ».[141] Cum hac obiectione relationem habet altera deducta ex verbis can. 132 § 1: « *ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint* »; ubi dicunt plures auctores quod *difficulter explicatur,* vel simpliciter *nequit explicari* « sine emissione voti », quomodo sint sacrilegia peccata Ordinatorum in sacris interna contra castitatem, ut habet sententia communissima Theologorum. Item alii dicunt quod sine voto emisso a Subdiacono peccata interna contra castitatem *probabiliter,* aut *probabilius,* immo *certo* non essent sacrilegia.

Cum haec materia longissima indigeat explanatione, quae nostro studio repugnat, aliqua tantum brevissime indicabimus. 1. Sunt plura, praeter votum, quae imponunt obligationem *ex religione.* 2. Codex non dicit, nec ad ipsum pertinet dicere, quod peccata *interna* sint sacrilegia: loquitur enim solum de foro externo. 3. « Iure poenali canonico communi sacrilegium carnale non fuit considerata fornicatio religiosi professi, vel clerici in sacris constituti »; [142] et revera in nullo ex fontibus allatis ad calcem can. 132 apparet verbum sacrilegii. 4. Illa sententia communissima Theologorum quod peccata interna contra castitatem erant sacrilegia, vel probabatur *ex voto,* et tunc non erat sufficiens, vel ex *alio capite,* et tunc nulla necessitas voti ad sacrilegium in can. 132 declaratum; hoc dicitur etiam admisso *peccato sacrilegii,* quod ponunt Theologi, praeter *delictum sacrilegii,* quod saltem ex origine esset *quid iuridicum,* scilicet pertinens *ad ius poenale.* 5. Sunt plures auctores, qui recte dicunt sacrilegium seu violatio personae sacrae aliunde etiam venire, quatenus persona *fit sacra* etiam aliis modis. 6. Plurimi auctores dicunt cum S. THOMA quod violatio voti est *perfidia erga Deum,* dum sacrilegium non est contra Deum, sed contra res vel personas quae ordinantur *ad cultum Dei.* Ita optime dicit VERMEERSCH:[143] « Simplicis voti violatio *specifice* differt a sacrilegio. Sacrilegio *gravior* est, quatenus est *magis directe* contra Deum; gravior quoque est quam periurium stricte tale ». Huius signum potest esse quod auctores Theologiae Moralis tractant de voto cum agunt *de primo praecepto Decalogi,* dum de sacrilegio agunt *in secundo praecepto.* Ex quo sequitur quod vocare sacrilegium violationem voti religiosi est minuere eius gravitatem.

---

[141] Cf. Notam praecedentem.

[142] CORONATA, *Inst. Iur. Can.,* vol. IV, ad can. 2357, N. 2055, p. 494, afferens HOLLWECK, § 181, p. 269, Nota 1.

[143] VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* vol. II, p. 187.

Istis rationibus optime potest dici quod can. 132, ex verbo *sacrilegii,* clare enuntiat obligationem castitatis perpetuae ab ordinatis in sacris servandam esse *ex mera lege ecclesiastica,* ut supra vidimus dicere LEITNER.[144]

24. ALIQUAE PROBATIONES POSITIVAE SENTENTIAE DE LEGE. – In praecedenti tractatione perplura dicta sunt contra varias sententias quae intendunt fundare obligationem perpetuae castitatis super voto; quae *modo negativo,* quatenus ex illis apparet *nunquam,* nec antea nec nunc, adfuisse legem ecclesiasticam obligantem ad emissionem cuiuscumque voti castitatis. Cum agatur de re negativa, scilicet de *non existentia voti,* non deberent requiri *probationes positivae;* tamen aliquas afferre possumus, ex quibus apparet quod *nunc ipsa Ecclesia,* cum agitur de tali obligatione, clare loquitur de obligatione ex lege, non ex voto.

a) *Catechismus Concilii Tridentini* ait: « Primum enim Episcopus *legem perpetuae continentiae* huic Ordini impositam esse *admonet*; edicitque neminem in Subdiaconorum Ordinem cooptandum esse cui *ultro hanc legem* accipere non sit propositum ».[145]

b) *Concilium Baltimorense II,* an. 1866, inculcat « *castitatis legem* ».[146]

c) In Formulis dispensationum ab oneribus Subdiaconatus vel Diaconatus Romae receptis dicitur: « *super lege castitatis* » et « *contra legem et virtutem castitatis* ».[147]

d) BENEDICTUS XV: « Alte vehementerque denuntient Episcopi nullam prorsus ab Apostolica Sede de sacerdotalis *continentiae lege* permitti posse quaestionem, *quae quidem lex* ab ipsa tanquam peculiare

---

[144] Cf. supra Notam 14. Occasione praecedentium notare volumus quam improprie, ne peius dicamus, loquatur VAN HOVE (*De legibus,* n. 179, p. 185) cum dicit, loquendo de obligatione Subdiaconorum ad castitatem: « Si sola lege niteretur, obligatio servandi castitatem probari non posset », et affert VERMEERSCH-CREUSEN et CAPPELLO, qui tamen tantum loquuntur de qualitate sacrilegii addita in canone. In Nota 5 dixerat, etiam afferendo VERMEERSCH, similiter improprie: « Sunt qui opinentur illos qui castitatem vovere noluerint, nihilominus vi legis ecclesiasticae ad servandam castitatem obligari », quasi obligatio castitatis, etiam internae, non imponeretur omnibus *lege naturae*.

[145] *Catechismus Concilii Tridentini,* Pars secunda, *De Ordinis Sacramento,* § XXXVIII.

[146] *Collectio Lacensis,* tomo III, col. 446; apud WERNZ-VIDAL, vol. II, p. 122.

[147] Apud WERNZ, vol. IV, p. 510, Nota 49; citatum a CHELODI, *Ius matrim.,* 1919, p. 96, Nota 6; in editione operis WERNZ, Prati 1912, vol. IV, parte II, p. 224, Nota 49.

ornamentum habetur Ecclesiae Latinae, eiusdemque fons quidam praecipuus actuosae virtutis ».[148]

e) Argumentum validum deducitur ex comparatione *Instructionis* S. C. de Sacramentis, 27 decembris 1930,[149] pro Clericis saecularibus ordinandis in sacris, cum simili *Instructione* S. C. de Religiosis, 1 decembris 1931.[150]

In prima dicitur in *scrutinio* cui Ordinandi sunt subiicendi: « Num etiam cognitum eis prorsus exstet, quaenam erunt *onera* ab eisdem suscipienda, ac praecipue quid *coelibatus* lex importet, et an parati sint hanc integre constanterque servare », et expediens iudicat legere et explicare verba *Admonitionis Pontificalis Romani.* In *Declaratione* subscribenda, *iuramento* coram Ordinario praestito, ipse Ordinandus debet dicere: *Praecipue quae* coelibatus lex *importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo* ».

In altera, in *Testificatione* subscripta et *iurisiurandi* fide, coram Superiore firmata, sollemniter professurus debet dicere: « Quae *castitatis voto* ac *coelibatus lege* praecipiuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo ».

In prima, quoad saeculares, bis loquitur, et quidem tantum, *de lege coelibatus;* in altera, quae refertur ad religiosos professos, *de voto castitatis,* et de *lege coelibatus,* quatenus tempore opportuno erunt ordinandi in sacris.

Ista Declaratio et haec Testificatio, modernis temporibus, propter rationes quae faciliter possunt praesumi, imposita, optime potest considerari tanquam illa antiqua *professio,* seu etiam *promissio castitatis,* quae requisita in locis particularibus, in desuetudinem abiit. Illae rationes potuissent facere ut Ecclesia, si haec esset talis intentio, *votum expressum et publicum,* et propterea *solemne,* castitatis de novo restauraretur, quod de facto clare non fecit. Et tamen, CAPPELLO talem Declarationem adducit (data tamen errata) uti confirmationem sententiae secundum quam obligatio perfectae et perpetuae castitatis oritur *vi ipsius ordinis sacri,* nempe tum *ex lege* Ecclesiae, tum *ex voto tacite emisso;* tamen addit: « quatenus Ecclesia praecipit ut qui ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveri velit, *se obliget* ad castitatem perfecte perpetuo-

---

148 BENEDICTUS XV, Litt. *Multiplices,* 12 martii 1919; *A.A.S.,* XI, 122.
149 *A.A.S.,* vol. XXIII, p. 124 et 127.
150 *Ibidem,* vol. XXIV, p. 80.

que servandam ».[151] Ex quibus verbis videretur quod sub *voto tacito* tantum intelligit *obligationem ultro acceptam* castitatis, sicut iam antiqui cum S. BONAVENTURA intelligebant, quod tamen a voto theologico, ut nunc intelligitur, satis distat.

f) Sacra Poenitentiaria in Decreto 18 aprilis 1936 ait: « *Lex sacri coelibatus* inter Latinos adeo Sanctae Ecclesiae curae semper fuit atque est ut, si agatur de Sacerdotibus, fere nunquam super ea retroactis temporibus dispensatum fuerit, nunquam prorsus, ne in mortis quidem periculo, in praesenti disciplina dispensetur ».[152]

Quamvis hic Sacra Poenitentiaria, et supra BENEDICTUS XV, loquantur clare solum de *lege ecclesiastica,* tamen substantia utriusque affertur tanquam probatio pro sententia *de voto.* Ita BILLUART dicit: « Si Clerici ex sola lege ecclesiastica, et non ex voto, tenerentur servare castitatem, posset Summus Pontifex *absque ulla causa,* valide, si non licite, absolvere omnes Clericos praesentes ab *illa lege,* ita ut omnes Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes et Episcopi possent nubere; nulla enim ratio requiritur in legislatore ad dispensandum valide in sua lege: quod sane foret magnum inconveniens, nec, ut puto, admissum ab adversariis. Non potest autem si teneantur *voto;* quia ad valide dispensandum in voto, requiritur legitima causa ».[153]

Etiam S. ALPHONSUS: « Si obligatio castitatis tota esset ex *lege Ecclesiae,* posset Pontifex omnes etiam Sacerdotes ab illa absolvere; sed hoc esset contra communem sententiam Doctorum, qui tantum in casu urgentissimo concedunt Pontifici in hoc dispensare cum solis ministris (ut dictum est mox n. 807), sed non cum Sacerdotibus ».[154] Hic Editores afferunt Breve *Dudum* Iulii III, 8 martii 1554, et Breve *Etsi Apostolici* Pii VII, 15 augusti 1801, quibus datur Legatis Apostolicis facultas satis generalis dispensadi etiam cum Sacerdotibus.

ARAUXO, qui tenet sententiam de obligatione *ex voto,* dicit: « Fateor quidem nullum posse occurrere causam etiam communem, nedum particularem, ob quam possit honestari dispensatio cum toto statu ecclesiastico, aut condi lex prohibens initiandis sacro Ordine, ne voto aut statuto Ecclesiae teneantur ad castitatem servandam, cum maius sit bonum in castitate Clericorum effulgens, quacumque occurente causa: nulla enim potest esse huius ad illud digna ponderatio... Hinc colligo primo, dispensationem in huiusmodi voto solemni continentiae Clericorum sine

---

[151] CAPPELLO, *De Matrimonio,* n. 435, p. 494.
[152] *A.A.S.*, vol. XXVIII, p. 242.
[153] BILLUART, *De Ordine,* Diss. III, art. X.
[154] S. ALPHONSUS, *Theol. Mor.,* VI, n. 808, p. 805.

honesta causa a Pontifice concessam, validam esse. Hoc corollarium est communiter apud praefatos auctores [155] receptum, cuius ratio sumitur ex discrimine versante inter ea quae sunt iuris divini ac naturalis ex una parte, et ea quae sunt iuris positivi humani et ecclesiastici ex alia: quod dispensatio in illis concessa a Papa sine legitima causa non valet, bene vero in istis... » [156] Ex hoc corollario sequeretur apud ipsum et auctores ab ipso citatos obligationem esse ex lege et non ex voto.

Ad obiecta possumus respondere, quod ex eo quod adsit *magnum inconveniens* solum sequitur quod Papa non faciet; non vero quod non possit facere; ita esset magnum inconveniens supprimere Codicem Iuris Canonici, sed Papa posset facere. Sententia communis allata a S. ALPHONSO forsitan est ea quae affirmatur a S. Poenitentiaria. De cetero, ipsa differentia inter Ministros et Sacerdotes quoad dispensationem ostendit diversitatem causarum, non vero votum quod esset idem pro omnibus; et haec ratio est *maxima aptitudo* Sacerdotii ad castitatem, quae non est ita magna quoad Ministros, dum Sacerdotes consecrant Corpus et Sanguinem Domini, Ministri vero tantum proxime adiuvant.

g) PIUS XI, Litt. Encyclicis *Ad catholici sacerdotii,* 20 decembris 1935, ait: « Praeclarissimum aliud, pietatique coniunctissimum, catholici sacerdotii ornamentum est ea morum castimonia, quam ut omnino diligenterque observent Latinae Ecclesiae Clerici, maioribus Ordinibus initiati, tam *gravi iubentur officio,* ut, si deliquerint, sacrilegii rei eo ipso evadant ».[157]

h) Tandem PIUS XII non semel legem tantum castitatis commemorat. In *Allocutione* 8 decembris 1950 coram Delegatis Congressus Religiosorum ait: « Clericus igitur *non vi divini iuris* evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, obedientiae devincitur; ac praesertim *non eodem modo* devincitur *eademque ratione,* qua *ex votis* publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus *privatim suaque sponte* clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini Ritus Sacerdotes sacrum coelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum *discrimen non aufert vel attenuat* ».[158]

In Litteris Encyclicis *Sacra virginitas,* 25 maii 1954, ipse Pontifex

---

[155] Antea apparent citati ABBAS, CAIETANUS, LEDESMA, SOTUS, LUDOVICUS LOPEZ, PETRUS DE LEDESMA, NAVARRUS, AZORIUS et THOMAS SANCHEZ, qui p. 99 citantur ut sustinentes quod Papa potest dispensare in hoc voto caelibatus ecclesiastici.

[156] ARAUXO, *Decisiones, De Statu eccles.,* tract. II, q. XIX, nn. 30-32, p. 101.

[157] *A.A.S.,* vol. XXVIII, p. 24.

[158] *Ibidem,* vol. XLIII, p. 29. Iste textus affertur a PUSCHMANN, *Zur Kontroverse über den Reschtsgrund von Zolibat und Keuschheitsverpflichtung bei Maio-*

ait: « Dum autem in hac perfecta castitate unum ex tribus votis innititur, quibus religiosus status constat (Cf. can. 487), atque *eadem* ab Ecclesiae Latinae Clericis in maioribus Ordinibus constitutis *requiritur* (Cf. can. 132 § 1), et ab Institutorum Saecularium sodalibus *exigitur* (Cf. Const. Apost. *Provida Mater,* art. III, § 2; *A.A.S.* XXXIX, 1947, p. 121), ipsa nihilo secius etiam *apud non paucos floret,* qui ad laicorum ordinem omnino pertinent... ».[159]

Utique concedendum est istis locis non esse obiectum doctrinae pontificiae utrum sit ex voto vel ex lege (quod etiam possumus dicere de illis textibus iuridicis qui in contrarium adducuntur), tamen hic clare stabilitur differentia inter clerum saecularem et religiosum praecise ex existentia *publici voti* apud istum, *legis vero tantum* apud illum.[160]

---

risten, in *Trierer Theologische Zeitschrift,* 1953, p. 316; etiam affertur ab EICHMANN-MORSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des C.I.C.,* I Band, Paderborn, ed. 1953, p. 270; ambo citantur a BERTRAMS, *De voto castitatis Clericorum saecularium,* in *Periodica,* tomo XLIV, 1955, pp. 139-174.

159 *A.A.S.,* col. XXXVI, 1954, p. 163.

160 Ita BERTRAMS, *loco citato,* Nota 158, ait: « Hic appellandum est ad principium et cetero sacrosanctum: non habendum esse obiectum doctrinae Pontificiae nisi id, quod tamquam obiectum quaestionis propositae constat » (p. 172).

Inter probationes positivas obligationis ex mera lege noluimus proponere quam LEITNER, p. 201, deducit ex *vera doctrina* S. Thomae, Suarezii et aliorum, quod Ecclesia non potest praecipere *actus mere internos,* nam illi sufficienter respondent SANCHEZ, BILLUART, *locis citatis,* quod Ecclesia potest actum mere internum praecipere *conditionate,* quatenus sub illa conditione emittendi votum concedit ordinationem. Supra. Nota 66, vidimus WERNZ illam emissionem voti considerare uti *actum mixtum,* quod difficile probari aut intelligi possit.

Modo contrario aliqui procedunt, scilicet quod, cum peccata interna contra castitatem sint actus mere interni, Ecclesia non potest sua lege qualificare uti sacrilegia, ut dicunt facere nunc in can. 132 § 1, et antea docebant Theologi communiter; ideo deducunt quod *requiritur votum* ut talia peccata interna sint *sacrilegia* (WERNZ, GURY-FERRERES, GENICOT, ex quo BALLERINI-PALMIERI, COCCHI et etiam FANFANI, *locis citatis*), quibus sufficienter respondet DE SMET (II, p. 91): « At vero difficultas opposita pariter solvenda est ab alterius sententiae patronis, cum debeant *ad legem Ecclesiae* recurrere, quae votum castitatis *per actum internum* emittendum iniungat ». Et revera, illa emissio voti, si quid positivum est, esset *actus mere internus;* ideo stat difficultas pro et contra.

Ceteroquin, Moralistae docent peccata interna, quae sistunt de facto in potentiis interioribus, sed habent relationem ad actus exteriores accipiunt ab istis suam speciem, ideoque si peccata externa contra castitatem sunt *delicta sacrilegii,* etiam peccata interna erunt *peccata sacrilegii.* Ita S. THOMAS, loquendo de peccato cordis, oris et operis: « Et sic haec tria differunt secundum gradus peccati. Patet tamen quod haec tria pertinent *ad unam perfectam peccati speciem,* cum ab eodem motivo procedant » (I-II, q. 72, a. 7).

IV - CONCLUSIO

25. GLOSSA CAN. 132 § 1. – Applicando doctrinam expositam in hoc studio ad actualem can. 132, apparebit quod, quamvis in dicta redactione legislator noluisset decidere quaestionem ab auctoribus disputatam, tamen nihil in ea habetur quod faveat sententiae de voto.

Clerici: qui dicuntur illi qui divinis ministeriis mancipati sunt (cf. can. 108 § 1).

in maioribus ordinibus constituti: seu in sacris Ordinibus, qui in Ecclesia Latina saltem a saec. XII sunt Subdiaconatus et supra.

a nuptis arcentur: 1) *congruentia et aptitudine* ipsius Ordinis sacri ad castitatem, ut dicit D. THOMAS,[161] seu *dispositive*, ut dicunt DURANDUS et PETRUS DE PALUDE, et cum ipsis CAPREOLUS; [162] per legem ecclesiasticam *in praxim deducta*, ut dicit S. THOMAS, seu *completive*, ut dicunt illi, scilicet:

a) quia sacra mysteria contrectant: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Is.* LII, 11), ut habent perplures Romani Pontifices, Concilia, Patres et Scholastici;

b) quia sollicitudo ad utrumque est incompatibilis;

c) quia hoc requirit eruditio aliorum et praedicatio;

d) ad imitationem Christi, quia coelibatus est perfectior matrimonio;

e) propter maiorem populi fiduciam;

f) propter tutelam patrimonii et propter libertatem Ecclesiae;

g) quia est peculiare ornamentum Ecclesiae Latinae et fons quidam praecipuus actuosae virtutis.[163]

2) et quidem sub poena nullitatis, ex can. 1027. Ratio impedimenti dirimentis appositi, non est praecise obligatio servandi castitatem, sed imprimis *firmitas Status clericalis* per ordinationem in sacris, dum Clerici minores possunt nuptias inire, decedendo ipso facto a Statu clerici (can. 132 § 2), et praeterea *ministerium* ipsum cui consecrantur; sicut nec pro solemniter professis est votum castitatis, nam etiam votum obedientiae et votum paupertatis sunt incompatibilia cum statu matrimoniali. Ideo optime solet vocari impedimentum *Ordinis*, ipse enim

---

[161] S. THOMAS, *Supplementum*, q. 53, a. 3; *Commentarius Posterior*, in IV, Dist. 36-37, q. un., a. 3.

[162] Cf. supra Notam 88.

[163] Fere omnes afferunt congruentiam positam sub littera a); aliae deducuntur ab aliquibus auctoribus; ultima ex textu BENEDICTI XV, allati sub Nota 148.

Ordo et conditio subsequens est ratio quare Ecclesia eos a coniugio arcet sub poena nullitatis. Eodem sensu, attendendo quod « Monachatus est quoddam votum tacitum vel expressum »,[164] dicitur *Votum impedit matrimonium,* seu, ut dicebat S. THOMAS: *Monachatus impedit matrimonium.*[165]

et servandae castitatis obligatione ita tenentur: obligatio servandi castitatem non imponitur lege ecclesiastica, cum iam pro omnibus hominibus habeatur lex in Veteri Testamento: *Non maechaberis; Non concupisces uxorem proximi tui* (*Ex.* XX, 14, 17). Tamen quia lege ecclesiastica imponitur coelibatus perpetuus, illa obligatio ad castitatem devenit obligatio perpetua castitatis perfectae. Ideo dicit: *ita tenentur*: scilicet sub modo praescripto in sequentibus verbis.

ut contra eandem peccantes: vel iuxta verba PII XI: *si deliquerint.*[166] Laesio legis ecclesiasticae, externa et moraliter imputabilis, cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata, in iure ecclesiastico, venit nomine *delicti* (cf. can. 2195 § 1); sed quando agitur de legibus aliis, non praecise ecclesiasticis violatis, in quarum violationem Ecclesia potest exercere ius coercitionis, tales violationes solent nominari *peccata* in documentis ecclesiasticis; quod verbum ex se et iuxta Latinos tantum significat offensionem vel laesionem. Sic aiebat INNOCENTIUS III: « Non enim intendimus iudicare de feudo... sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura ».[167] Ita ex Concilio Tridentino haec verba habentur in can. 2214: *ne ubi deliquerint... peccare contigerit.* Similiter in can. 1553, agendo de iudiciis ecclesiasticis stricte dictis: « Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit: ... De violatione legum ecclesiasticarum, deque omnibus in quibus inest ratio peccati ». Et etiam in can. 2198; loquendo de delicto quod unice laedit legem societatis civilis: « ... licet Ecclesia sit etiam in illud competens ratione peccati ».

sacrilegii quoque rei sint: notandum est verbum *quoque,* scilicet, per illud supponuntur aliae reitates: *primo* quia laeditur lex divina in sexto praecepto lata; *secundo* laesio castitatis est contra sanctiorem vi-

---

[164] PANORMITANUS, in cap. *Cum ad monasterium,* X, *De statu Monachorum,* III, 35.

[165] S. THOMAS, *Comm. posterior,* Dist. 36-37, q. un. art. 3. Cf. Notam 89.

[166] Vide supra textum sub Nota 157.

[167] Cap. 13, X, *De iudiciis,* II, 1. Non placet locutio aliquorum auctorum qui tantum indirectam iurisdictionem tribuunt Ecclesiae in laedentes legem civilem, quasi in illa *directe* tantum exerceat ius suum *in foro poenitentiae* (vide apud CORONATA, *Inst. Iur. Can.,* IV, p. 20), contra quod sunt ipsa verba can. 1553.

tam, interiorem et exteriorem, quam prae laicis debent Clerici ducere (can. 124), et forsitan cum scandalo fidelium (ibidem). Praeter has reitates etiam hic imponitur nova reitas propter *sacrilegium,* ex violatione personae sacrae: sacrilegus enim est *qui sacra legit,* quod in Ecclesia semper intellectum est de *locis,* de *rebus,* et etiam de *personis*: persona autem ordinati in sacris ad cultum divinum est *persona sacra.*

Haec autem reitas propter autolaesionem personae sacrae, quae est aliquid novum in iure,[168] coarctatur ad infractionem obligationis castitatis, quae propter ministerium exercendum gravius imponitur ordinatis in sacris, dum quoad *iniurias reales* contra personam extenditur ad omnes Clericos (can. 119), imo et per privilegium quoad alias plures personas (cann. 592, 680 et 2343 § 4), ex quibus perplures non sunt Clerici, sed *personae sacrae* quoad hoc considerantur ab Ecclesia.

rei sint: scilicet Clerici in sacris; isti non subiiciuntur poenis quae laicis imponuntur pro delictis contra sextum in can. 2357; nec poenis pro similibus delictis quibus puniuntur Clerici minores in can. 2358, cum adsit qualitas sacrilegii; nec poenis indicatis pro sacrilegio in genere in can. 2325, in quo salvae dicuntur poenae contra aliqua sacrilegia, ut occurrit in casu, nam habentur speciales poenae in can. 2359 pro hoc sacrilegio commisso a Clerici in sacris, sive pro delictis ordinariis, sive pro qualificatis, sive specialiter pro concubinatu, pro quo habetur processus specialis in cann. 2176-2181, citatis in ipso can. 2359, supra allato.

Quidquid sit de sacrilegio theologico aut morali propter *peccata interna contra castitatem,* de quo non curat lex poenalis Ecclesiae, quia, ut dicit INNOCENTIUS III: « Ecclesia non iudicat de occultis »,[169] et « Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare »,[170] seu, ut vulgo dicitur: *De internis non iudicat Ecclesia;* laesio castitatis, de qua in can. 132, quae punitur in can. 2359, debet esse *externa,* et moraliter imputabilis, ex can. 2195 § 1, ut supra dictum est ad v. *peccantes.*

salvo praescripto can. 214 § 1: scilicet pro illo qui ex metu gravi Ordines recepit, qui potest reduci ad statum laicalem. *Exceptio*: si ratam habuit ordinationem, vel expresse, per verba, vel tacite, per facta, scilicet per exrcitium Ordinis recepti, cum voluntate se subiiciendi. *Conditiones*: ut fiat processus secundum cann. 1993-1998; probet in illo coactionem, et etiam defectum ratihabitionis; obtineat duplicem sententiam conformem. *Effectus*: Nullitas obligationum in genere, et spe-

---

[168] Vide Notam 142.

[169] Cap. 33, X, *De simonia,* V, 3.

[170] Cap. 34, *ibidem.*

cialiter quoad coelibatum et Officii divini recitationem, praeter reductionem ipsam ad statum laicalem.

26. NOVA REDACTIO CANONIS PROPONITUR. – Hoc studio satis brevi, iuxta Litteras Pontificiae Commissionis, Prot. N 2 C/59-27, finito, ad conclusionem practicam devenimus proponendo infrascriptam formam redactionis can. 132 § 1: « *Clerici in sacris lege ecclesiastica tenentur ad coelibatum ad normam can. 1072; castitatem autem laedentes sunt rei delicti sacrilegii, salvo praescripto can. 214 § 1* ».

2

VOTUM

DE STUDIORUM RATIONE IN CLERICORUM SEMINARIIS HODIERNIS NECESSITATIBUS ACCOMMODANDA

(J. Ortea, O. P.)

Detur *lex organica*: « De studiorum ratione in clericorum Seminariis hodiernis necessitatibus accommodanda », ad modum quo data est pro Universitatibus in const. *Deus scientiarum Dominus,* cum Ordinationibus adnexis, et in const. *Sedes Sapientiae* et Statutis adnexis, pro Statibus Perfectionis clericalibus. Qua in re, ratio studiorum quae *Ordinamento dei Seminari,* pro Seminariis Regionalibus Italiae, una cum dispositionibus quae in litt. circ. *Le Relazioni* apparent, multum placet; sed non nimis placet *indoles litteraria* huius « Ordinamento », siquidem litteratura italiana, catechismus et scientiae physicae et naturales (quae moderate tantum tradendae sunt in curriculo philosophico), videntur habere praevalentiam vel paritatem cum philosophia rationali et scholastica.

In particulari:

I. PRO SEMINARIO MINORI.

In lege organica, fiant *ordinationes generales,* quibus haec puncta accurate definiantur:

1) *Testimonium authenticum* de studiis primariis et elementaribus peractis, necessarium est pro studiis gymnasialibus rite peragendis.

2) *Magistri* sive professores sint et numero et titulo studiorum sufficientes et idonei; saltem moderatores studiorum.

3) Curriculum studiorum, pro posse, a lege civili recognoscatur, ita ut alumni valeant, emenso curriculo philosophico, « examen Status » subire et Facultates civiles, si opus fuerit, petere.

4) *Indoles* institutionis gymnasialis sit praevalenter litteraria, non scientifica; nova inventa paedagogica profuse adhibeantur, pro posse.

5) *Obiectum* cursus gymnasialis, sic, plus minus, definiatur: « mentem alumnorum ita excolere ut studia philosophica valeant convenienter suscipere et ad futura ministeria esse parati ».

6) *Quoad* durationem curriculi, expedit ut uniformiter ad quinque annos extendatur, fortasse in duas periodos — 3 et 2 annorum respective — divisum.

7) Firmis manentibus dispositionibus Codicis de primatia Religionis et linguarum latinae et patriae, praecipiantur duo anni linguae graecae et alterius linguae exterae (praeferenter in duobus ultimis annis); praecipiantur etiam practicae exercitationes, quibus alumni, sub ductu magistrorum, addiscant artem legendi, scribendi, loquendi, disputandi, necnon, pro suo modulo, methodum pervestigationis ad aliquam materiam ampliandam et penitus callendam.

8) Praecipiatur *examen maturitatis* litterariae et culturalis, huius curriculi propriae.

II. Curriculum philosophicum.

Dentur *ordinationes particulares,* quibus sequentia puncta clare definiantur:

1) Curriculum philosophicum protrahitur ad *3 annos,* post curriculum medium-classicum 5 annorum diplomate comprobandum.

2) *Disciplinae principales* sint: Philosophia scholastica, exponenda secundum omnes suas partes — Logica, Cosmologia, Psychologia rationalis, Critica seu Criteriologia, Ontologia, Theologia naturalis, Ethica et Ius naturale — cui praemittatur Introductio in universam philosophiam.

3) *Disciplinae auxiliares sint*: Historia philosophiae, Psychologia experimentalis, Sociologia, Paedagogia, Cursus latinitatis superioris, Litteratura patria, Ius gentium (?).

4) *Disciplinae speciales et cursus breviores* sint: Quaestiones selectae ex singulis partibus philosophiae, Quaestiones scientificae cum philosophia connexae (ex biologia, anthropologia, physica, chimia), Monographia alicuius ex praecipuis philosophis, Philosophia scientiarum.

5) *Disciplinae non academicae* (fuori orario), sed necessario tradendae, sint: cultura physica, cantus, urbanitas, apologetica, eloquutio sive lectura publica.

6) *Professores* pro disciplinis principalibus sint licentiati vel laureati.

7) *Examina finalia* de unaquaque disciplina sint requisita; *examen maturitatis* — ex thesario praeformato de universa philosophia — est necessarium; *disputationes scholasticae* sint frequentes (semel in mense postremis duobus annis).

8) Optandum ut examen maturitatis computetur ad *gradum baccalaureatus,* a lege ecclesiastica et civili recognitum.

9) Optandum ut praestantiores alumni ab Ordinariis locorum mittantur ad Facultatem theologiae pro gradu consequendo.

III. Curriculum theologicum.

Dentur *Ordinationes magis particulares,* quibus clare definiatur:

1) *Disciplinae principales* sint: Theol. Fundamentalis, Dogmatica specialis, Moralis generalis, Moralis specialis, Sacra Scriptura, Institutiones Iuris Canonici, Historia Ecclesiastica.

2. *Disciplinae auxiliares* sint: Theol. pastoralis, Paedagogia catechetica.

3) *Disciplinae speciales* sint: Liturgia, Sacra oratoria, Cursus super psalmos, Archaeologia et Ars sacra.

4) *Cursus peculiares*: Sacrae Caeremoniae, Explicatio Breviarii, Biblica protestantica, Actio Catholica, Missiologia, Quaestiones de Ecclesia Orientali, Historia Ecclesiae regionalis.

Notandum:

a) postremi quattuor cursus fieri possunt tempore vacationum aestivarum;

b) cantus gregorianus etc. extra horarium academicum.

5) Urgeatur disciplina (can. 1366 § 1) de titulo academico ad quasdam disciplinas tradendas; item disciplina can. 1366 § 3, de distinctione magistrorum pro S. Scriptura, theol. dogmatica, theol. morali et historia ecclesiastica; addendo « et Institutionum canonicarum ».

6) Praecipiantur *disputationes scholasticae*: in scholis theologiae dogmaticae et moralis, semel in mense, tribus postremis annis, sermone latino. Praecipiantur *exercitationes practicae,* in lingua vulgari, circa quaestiones maioris momenti: dogmaticas, morales, scripturisticas, apologeticas. ...

7) Urgeantur *bibliothecae.*

IN IURE

1. *Mens Ecclesiae.* Facile admodum erit mentem Ecclesiae, circa studia alumnorum qui ad sacerdotium adspirant, paucis perstringere.

« Omne genus errores, nostris potissimum temporibus — ait Pius XI — sapientiae specie fucari solent, quo magis ab hominibus credantur, cum doctrinae lumen plurimum possit multorum animos allicere. Pernecesse igitur est eos christifideles qui scientiarum pervestigationi aptiores se praebeant, ac potissimum delectos sacrorum alumnos, ... penitus in sacras disciplinas et in eas, quae quomodocumque cum iisdem cohaereant, animum intendere atque ita id omne adipisci, ut possint, occasione data, catholicam veritatem rite docere et contra adversariorum incursum ac fallacias strenuissime tutari ».[1]

Et Pius XII: « Sacerdotalis vero dignitas, qua qui fulget Domini scientiarum legatus constituitur atque *sal terrae* et *lux mundi* peculiari ratione appellatur, plenissimam ac solidam exigit in ecclesiasticis praesertim disciplinis institutionem; eiusdem scilicet quae ipsius sacerdotis spiritualem vitam nutrire atque fulcire valeat eumque a quovis errore aberrantique novitate immunem servare; quae insuper eum reddat fidelem *mysteriorum Dei* dispensatorem et perfectum hominem Dei *ad omne opus bonum instructum* ».[2]

Atqui « ministerium verbi » unum e praecipuis muneribus a Christo Ecclesiae commissum, exercetur per sic dictum *apostolatum docentiae*: in scholis, in collegiis, in universitatibus catholicis, verbo et scripto multiplici. Ergo urget quam maxime ut iuvenes qui in spem Ecclesiae in Seminariis et Religiosorum studiorum Domibus crescunt, ad mentem ipsius Ecclesiae instituantur atque efformentur, ut tanto muneri pares eveniant.

2. *Curriculum medium-classicum.*

a) Can. 1354, § 2. Curandum ut in minoribus praesertim dioecesibus bina constituantur Seminaria: minus, scilicet, pro pueris litterarum scientia imbuendis, maius pro alumnis philosophiae ac theologiae vacantibus.[3]

---

[1] Pius XI, Const. *Deus scientiarum Dominus,* 24 maii 1931; Enchiridion de Statibus Perfectionis (Romae 1949), n. 359, pp. 431-32.

[2] Pius XII, Const. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956; S. C. de Religiosis: « Constitutio Apostolica *Sedes Sapientiae* eique adnexa *Statuta Generalia* », editio altera (Romae 1957), n. 28, p. 17.

[3] Cf. etiam: Leo XIII, litt. ap. *Quae mari sinico,* 17 sept. 1902; Enchiridion Clericorum (Typis Polyglottis Vaticanis, 1938), n. 616, p. 356.

b) Can. 1364. In inferioribus Seminariis: 1ª Praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur; 2ª Linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant; 3° Ea in ceteris disciplinis institutio tradatur quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent.[4]

c) « *Programma per il corso ginnasiale.* Il Codice di D. C., nel canone 1364, traccia il programma delle materie da insegnarsi nelle scuole inferiori dei Seminari, le quali corrispondono al così detto *corso ginnasiale.* Si determina in quel canone che il primo posto si dia all'istruzione religiosa...; che gli alunni imparino accuratamente le lingue, soprattutto, la latina e la lingua patria; che per le altre materie s'insegni ciò che conviene e quanto conviene alla comune cultura di tutti e alla posizione dei chierici nella regione dove dovranno esercitare il sacro ministero. Queste materie possono essere quelle che presentemente si insegnano, cioè la Storia e la Geografia, la Matematica, la Botanica, la Zoologia e qualche altra, che i Vescovi credessero utile ai propri chierici. Pertanto, nel corso ginnasiale dei Seminari d'Italia, la materia che, dopo il Catechismo e la Storia Sacra, deve avere genuina e costante preponderanza, è la *letteratura,* specialmente latina ed italiana; e l'insegnamento del ginnasio deve essere prevalentemente *letterario;* deve cioè, avere in mira la disciplina del pensiero e dell'espressione del pensiero, che è la parola orale e scritta. Il corso ginnasiale è di *cinque anni.* Nei primi tre anni (ginnasio *inferiore*), allo studio metodico e graduale delle due grammatiche ... si unisca lo studio dei rispettivi classici, appropriato a ciascuna età ed a ciascun corso. ... Negli ultimi due anni (ginnasio *superiore*) s'intensifichi lo studio grammaticale e stilistico delle due lingue. ... Nel terzo anno può cominciare l'insegnamento del greco e del francese, e più con la pratica che con le teorie filologiche. ... Le altre materie s'insegnino nella misura proporzionata al fine accennato dal Codice e sempre in coordinazione con le principali. ... La Matematica deve essere insegnata in modo elementare; tanto più che l'Aritmetica razionale, l'Algebra e la Geometria fanno parte delle materie del corso *filosofico* o *liceale,* dove si possono studiare con minore dispendio di forze e di tempo e con maggiore profitto. Lo stesso si dica della Botanica e della Zoologia. ... Con queste norme, la mente dei giovani, al

---

[4] Cf. etiam: S. C. Consistorialis, litt. circ. *Le Visite,* 6 apr. 1912; Ench. Cler., n. 871, pp. 479-80.

termine del corso ginnasiale, sarà seria, disciplinata e ben preparata ad intraprendere gli studi superiori ».[5]

d) « 1. Prima del quadriennio teologico, si deve compiere un corso di studi della durata di *almeno otto anni* — dopo le classi elementari — quanti ne sono prescritti per i Seminari. — 2. Il suddetto corso dovrà dividersi in *due periodi,* rispettivamente di tre anni (*scuola media*) e di cinque anni (*liceo classico*). ... — 4. È necessario che gli alunni religiosi, tutti, per quanto sarà possibile, salvo eccezioni giustificate, si provvedano dei *titoli legali di studio,* a tempo opportuno, secondo gli intervalli prescritti dalle Leggi, nell'ordine seguente: *a*) per l'ammissione al corso medio è necessario il titolo legale di studio, detto, *Ammissione alla Scuola media; b*) inoltre, alla fine del triennio, di Scuola media, gli alunni saranno obbligati a munirsi del titolo di *licenza,* ... perchè, senza tale titolo, non potranno essere ammessi alla prima classe del Liceo classico quinquennale, nè, successivamente, alla fine di questo, presentarsi all'*Esame di Stato,* che dà adito alle varie Facoltà Universitarie. ... — I *Professori* devono essere sufficienti per numero e competenza, muniti di congrui *titoli di studio.* Di regola, vi sarà un Professore per ciascuna classe per le materie letterarie ».[6]

e) « Curriculum humaniorum litterarum, quod elementarium subsequitur et *medium-classicum* audit, haec requirit: 1° Oportet ut futurorum clericorum studia nequaquam inferiora sint studiis aliorum iuvenum qui, abstrahendo a tali vocatione, curriculum medium-classicum perargunt. — 2° Quin etiam valde optandum est ut huiusmodi studiorum testimonia lege civili agnita alumni consequantur. — 3° Tot praeterea studiorum anni et disciplinarum scholae addendae sunt quot requiruntur ut illam expletam eruditionem classicam alumni consequantur quam Ecclesia a futuris sacerdotibus postulat. ... — Curriculum medium-classicum duplex distingui diversa ratione solet: *inferius ac superius.* Inferius, quod pro diversitate regionum primos quattuor vel quinque annos integri curriculi saltem complectitur, ante novitiatum necessario expleri debet... — Curriculum medium-classicum, si ante novitiatum non fuit absolutum, ante cursum philosophicum perfici debet. ... — Praeter studium religionis, quod in se praecipuum est, curriculum medium-classicum complecti debet imprimis studium linguarum praesertim patriae, latinae et graecae, et etiam ... exterarum. ... Alumni saltem ita latinas litteras classicas et chri-

[5] S. C. de Sem. et Stud. Univ., *Ordinamento dei Seminari,* 26 apr. 1920; Ench. Cler., nn. 1096-98, pp. 557-60.

[6] S. C. Relig. et de Sem. et Stud. Univ., litt. circ. *Le Relazioni,* 2 febr. 1941; Ench. de Stat. Perf., n. 377, pp. 550-52.

stianas calleant ut textus scholares facile perspicere possint et, tempore opportuno, traditionis ecclesiasticae fontibus uti fructuose valeant. Similiter graecis quoque litteris imbuantur alumni, ut textus saltem Sacrae Scripturae et Patrum legere queant. Praeterea, curriculum complectatur oportet historiam, geographiam, mathesim, physicam, chimiam, scientias naturales et alia. ... — Alumni etiam ad artem scribendi, dicendi, legendi, cantandi, praeviso ministerio tam necessariam, copiose informentur theoretice et practice; memoria pariter excolatur, pronuntiatio eorum rigorose expoliatur. — Methodus docendi ... procedat ex comprobatis principiis scientificis, adhibitis etiam illis artibus quae usu maxime efficaces demonstrantur novisque in dies inventis perficiuntur. ... Deinde claudatur curriculum medium-classicum examine circa potiora, quod debitam alumnorum maturitatem demonstret.[7]

3. *Resumendo.* Ex his facile patet quaenam sit *mens Ecclesiae* circa curriculum medium-classicum (quod, brevitatis gratia, *gymnasiale* in posterum dicimus):

i) *Obiectum* immediatum curriculi gymnasialis est: « mentem alumnorum ita excolere ut studia philosophica valeant convenienter suscipere »; remotum vero: « eosdem alumnos ad futura ministeria praeparare ».

ii) *Indoles* curriculi est praevalenter *litteraria, culturalis, classica;* non vero scientifica.

iii) *Methodus* sit paedagogica, didactica, menti et aetati alumnorum accommodata, arte et inventis huius nostrae aetatis fulcita.

iv) *Perduratio* est quinque annorum; quod si, in aliqua natione, curriculum gymnasiale ad tres tantum annos coarctetur, et postea curriculum quinque annorum pro *liceo* classico praescribatur antequam alumni ad facultates universitarias admitti possint, Sancta Sedes hoc etiam permittit, cauto quod, ante curriculum theologicum, octo saltem anni in studiis classicis et philosophicis insumantur.

v) *Disciplinae tradendae* ita dividi possunt:

Principales: Religio (et Historia sacra); Lingua latina (et litteratura classica); Lingua patria (et litteratura).

Auxiliares: Historia (generalis et patria); Geographia (generalis et patria); Mathematica (arithmetica, algebra, geometria); Scientiae naturales (zoologia, botanica, mineralogia); Physica et Chimia; Lingua graeca (et litteratura); Lingua extera, in regione utilior.

Nota. Episcopi addere possunt alias disciplinas, pro diversitate et

---

[7] PIUS XII, Const. *Sedes Sapientiae,* l. c., art. 43, pp. 66-68.

moribus regionum; ex. gr. physiologiam elementarem, principia scientiae politicae — id est, quomodo gubernium et organizatio socialis in regione sint constituta — etc.

Artes: scribendi, dicendi, legendi, cantandi.

vi) *Examen maturitatis,* in fine curriculi, necessarium videtur.

vii) Studia gymnasialia a lege civili, pro posse, agnosci debent ita ut, emenso curriculo, alumni valeant etiam Universitates Status petere.

viii) *Professores* numero et titulo studiorum sufficientes sint.

CURRICULUM PHILOSOPHICUM

4. *Momentum.* « Utque qui futuri sunt sacerdotes, illam, ut diximus, quam tempora postulant, doctrinam assequi valeant, id gravissimum officium est, ut, posteaquam classicas, quas vocant, disciplinas calluerint, *Scholasticam Philosophiam* affatim imbibant, recteque in eadem se exerceant " ad Angelici nempe Doctoris rationem, doctrinam et principia ". Haec Philosophia *perennis* ... non dumtaxat iisdem necessaria est ut altius christianae veritatis capita speculentur, sed etiam ut, adversus quaslibet nostrae huius aetatis fallacias communiantur, et in quavis, quam instituturi sint, studiorum pervestigatione eorum mentis acies ita exacuatur, ut vera dispicere magis aptiusque possint quam ii, qui huius philosophicae institutionis sint expertes, quamtumvis ampliore eruditione praediti ».[8]

5. *a*) Can. 1365 § 1. In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum biennium incumbant. « Statuitur quidem *minimum* temporis spatium; fieri enim nequit quod infra biennium congrua possit de re philosophica et pro temporibus apta doctrina comparari ».[9]

b) « *Programma per il corso filosofico o liceale....* Il corso filosofico, o liceale, nei Seminari d'Italia, abbraccia, oltre al Catechismo superiore ed all'Apologetica, la Filosofia razionale con altre scienze, la Letteratura e la Storia civile, e non può durare meno di tre anni. La Filosofia razionale ha le sue parti, che sono: la Logica, la Metafisica generale, la Cosmologia, la Psicologia, la Teodicea, l'Etica col Diritto Naturale; le altre scienze sono specialmente la Matematica, la Fisica e la Storia Naturale; la Letteratura comprende il latino, l'italiano e il greco. ...

---

[8] PIUS XI, Litt. Enc. *Ad catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935; Ench. Cler., n. 1384, p. 753. Cf. etiam: LEO XIII, Ep. Enc. *Aeterni Patris* (Ench. Cler., n. 397, pp. 211-12) et S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. *Vixdum* (Ench. Cler., n. 1127, p. 584).

[9] S. C. de Sem. et Stud. Univ., *Ordinamento dei Seminari,* l. c., nn. 1099-1105.

L'insegnamento nel corso filosofico, o liceale, è prevalentemente *scientifico;* e questo carattere deve ritenerlo sempre, anche quando si tratta di Letteratura e di Storia Civile. ... Le prescrizioni di questo Pontefice (Leo XIII), riguardo all'insegnamento della Filosofia Scolastica secondo S. Tommaso, sono perentorie. — ... Nel primo anno s'insegnerà la Logica e la Metafisica generale; nel secondo la Cosmologia e la Psicologia; nel terzo la Teodicea e l'Etica con il Diritto Naturale, e non si ometterà la *Storia della Filosofia.* — ... Lo studio della Filosofia razionale deve essere accompagnato da quello di altre scienze, quali la Metamatica, la Fisica, l'Astronomia, le Scienze naturali (Geologia, Mineralogia, Botanica, Zoologia). — ... La Letteratura greca, latina e italiana deve avere anche una parte in questo corso, ma molto secondaria, essendo il corso prevalentemente scientifico. — ... La Storia civile abbia essa pure un'interpretazione filosofica... ».[10]

c) « Lo studio della Filosofia, di cui ai canoni 589 § 1, 1365 § 1, 1366 § 1 e 2 *C.I.C.,* potrà essere compiuto — attualmente, nel *periodo transitorio,* durante il corso triennale di Liceo — in seguito, negli ultimi tre anni del Liceo quinquennale; sempre però con la debita cura e solidità, secondo lo spirito dei citati canoni, e a norma della Costituzione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (art. 25, 20 *a*) 29 *c*) 30 § 2; cf. *Ordinationes,* art 16, 21, 24), essendo esso necessario fondamento allo studio della sacra Teologia ».[11]

d) « § 1. Biennium Philosophiae scholasticae, quod ex art. 25° *a*) Const. Apostolicae prorsus requiritur ut quis in Facultate Theologica gradus academicos appetere possit, complectitur studium Logicae, Cosmologiae, Psychologiae, Criticae seu Criteriologiae, Ontologiae, Theologiae naturalis, Ethicae et Iuris naturalis, Historiae philosophiae. — § 2. Biennium, de quo in § 1, rite absolvi debet, curriculo medio studiorum classicorum confecto, in Facultate Philosophica vel in aliqua schola superiore al Philosophiam scholasticam docendam destinata et ab Auctoritate ecclesiastica ad hoc approbata ».[12]

e) Ex *Statutis Generalibus,* const. *Sedes sapientiae* adnexis, art. 44, sequentia habemus relate ad « Philosophicum Curriculum studiorum »:

1) Complecti debet *saltem biennium,* post absoluta studia mediaclassica (5 annorum); sed laudatur usus per *triennium* in ipsum incum-

---

[10] S. C. de Relig. et de Sem. et Stud. Univ., Litt. circ. *Le Relazioni,* l. c., n. 6, p. 551.

[11] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. *Vixdum,* l. c., p. 584.

[12] S. C. de Sem. et Stud. Univ., *Ordinationes* ad Const. *Deus scientiarum Dominus,* art. 16, 1 et 2; Ench. de Stat. Perf., n. 360, pp. 451-52.

bendi; quod si, in duobus ultimis annis curriculi medii-classici (liceo classico), etiam philosophia scholastica tradatur, tunc curriculum philosophicum contrahi potest ad *unum annum,* cauto quod totus annus in sola philosophia scholastica insumatur.

2) *Obiectum* curriculi philosophici est: *a*) alumnorum mentes severa disciplina excolere, *b*) ad theologiae studium praeparare, *c*) ad ministeria apostolica disponere, *d*) ab huius aetatis erroribus avertere.

3) *Methodus scholastica; lingua latina,* exceptis brevibus interpretationibus in lingua vernacula.

4) *Disciplinae tradendae*: praeter philosophiam scholaticam, doceantur etiam *historia philosophiae* necnon *aliae affines* disciplinae. *Sociologia* quoque in curriculo philosophico solide quoad eius principia tradatur. In ordinario curriculo philosophico studium *litterarum moderate* continuetur.

5) Fiant *repetitiones* et frequentes *exercitationes. Examina finalia* necessaria sunt, saltem quoad praecipuas materias. Postremo curriculi anno examen de universa philosophia fiat, uti conditio ad gradus sive academicos sive internos consequendos; sed omnibus imponatur *examen maturitatis* philosophicae, de praeformato thesario ex omnibus philosophiae tractatibus composito. Examina *reparationis* concedi possunt.[13]

f) « Appare quindi chiaro che oggi, più che nei tempi passati, occorre dare ai candidati al Sacerdozio una conveniente istruzione anche in materia di *pedagogia e didattica.* Per ciò si dispone quanto segue: 1) *Corso filosofico*: Si istituisca un corso teorico-pratico (biennale per un'ora settimanale) di *Pedagogia e Didattica;* che può essere affidato al Professore di Filosofia, essendo quelle discipline strettamente connesse con la Psicologia e l'Etica... ».[14]

Curriculum theologicum

6. *Momentum.* « In magna et multiplici disciplinarum copia, quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit ceteris scientiis atque artibus officium incumbere ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur. ... Inde contigit ut, pro munere atque officio homines docendi a Christo sibi tradito, Ecclesia catholica maxime semper sollicita fuerit de sacrae doctrinae cultu, eamque et intac-

---

[13] *Statuta generalia* Const. *Sedes Sapientiae adnexa,* art. 44; l. c., pp. 68-70.

[14] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Epist. *La formazione pedagogica,* 21 dec. 1944; Ench. de Stat. Perf., n. 383, pp. 565 et 567.

tam caute servari, et naviter atque fideliter tradi et diligentissime excoli summa semper sedulitate curaverit ».[15]

7. *Sudiorum curriculum.*

a) Can. 1365 §§ 2 et 3. Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici. — Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis.

b) Ex litt. circ. S. C. Consistorialis, *Le Visite,* 16 iulii 1912, curriculum theologicum sequentes debet amplectere disciplinas:

Materie principali: Dommatica; Morale; S. Scrittura; Storia ecclesiastica.

Nella scuola di Morale si avrà cura di dare anche le nozioni fondamentali di *sociologia,* e si aggiungeranno le *istituzioni di diritto canonico.* Per lo studio della S. Scrittura: l'esegesi, due anni; l'introduzione, due anni; nella esegesi non si ometta mai lo studio di *alcuni salmi principali.*

Materie secondarie: Greco biblico; Ebraico; Sacra eloquenza; Patristica; Liturgia; Archeologia; Arte sacra; Canto gregoriano.[16]

c) *Post Codicem*:

i) S. C. de Sem. et Stud. Univ., in *Ordinamento dei Seminari* (26 apr. 1920), iam includit inter disciplinas principales scholam *Iuris Canonici,* cui praemittendus est tractatus *Iuris Publici Ecclesiastici.*[17]

ii) Idem iubetur in litt. ad Episcopos Germaniae, *Vixdum* (9 oct. 1921); ubi, loquendo de theologia morali, additur: « Studium theologiae moralis absolvi et perfici debet studio *theologiae ascetico-mysticae* ».[18]

iii) In litt. circ. eiusdem S. Congregationis, *Quod catholicis* (28 aug. 1929), decernitur: « ... in sacrae theologiae curriculo universo earum peculiaris ratio quaestionum ac rerum habeatur, quae *ad orientales Ecclesias* ac populos quoquomodo pertineant... ».[19]

---

[15] Leo XIII, Litt. ap. *In Magna,* 10 dec. 1889; Ench. Cler., n. 488, p. 273.

[16] S. C. Consist., Litt. circ. *Le Visite*; l. c., nn. 874-75, pp. 481-82.

[17] S. C. de Sem. et Stud. Univ., *Ordinamento dei Seminari*; l. c., n. 1112, p. 573.

[18] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. *Vixdum*; l. c., n. 1135, p. 591.

[19] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. circ. *Quod catholicis,* 28 aug. 1929; Ench. Cler., n. 1275, p. 701.

iv) S. C. de Relig. et de Sem. et Stud. Univ., litt. circ. *La Santità* (5 aug. 1941), mandat: « nel programma degli studi teologici dei Pontifici Seminari Regionali venga introdotto un *corso sul Salterio* ... per per gli alunni riuniti del III e IV anno di teologia ... affidato al professore di S. Scrittura... ».[20]

v) Eadem S. Congregatio, per epist. *La formazione pedagogica* (24 dec. 1944), decrevit: « *Corso teologico*: Si istituisca un corso pratico di *Catechetica,* con speciale riguardo all'insegnamento religioso per gli alunni delle scuole. ... Pertanto, delle quattro ore destinate alla Pastorale, due verranno assegnate alla Catechetica... ».[21]

vi) Denique, Pius XII, litt. circ. *Nell'opera* (2 febr. 1945) commendat *explicationem Breviarii* (Officio Divino), non tantum immediatam pro Subdiaconis, sed et remotam pro omnibus seminaristis.[22]

8. *De S. Scriptura in particulari*:

i) « Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causa, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales, assumi oportet quos opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio ».[23]

ii) « Nullus item Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor esto, nisi, confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit ».[24]

iii) « ... acatholicis autem et rationalistis eo usque temeritatis audaciaeque progressis, ut ipsam Scripturae Sacrae auctoritatem atque

---

[20] S. C. de Relig. et de Sem. et Stud. Univ., Litt. circ. *La Santità,* 8 aug. 1941; Ench. de Stat. Perf., n. 378, p. 553.

[21] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Epist. *La formazione pedagogica,* l. c., n. 383, pp. 565 et 567.

[22] PIUS XII. Litt. circ. *Nell'opera,* 2 febr. 1945; Ench. de Stat. perf., n. 384, p. 568.

[23] LEO XIII, Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893; Ench. Cler., n. 504, pp. 286-87. Cf. etiam: LEO XIII, Litt. ap. *In magna,* 10 dec. 1889; l. c., n. 488, p. 273.

[24] PIUS XI, Motu proprio *Bibliorum scientia,* 27 apr. 1925; Ench. Cler., n. 119, p. 644. Cf. etiam Instr. *Sanctissimus,* Commiss. Pontif. de Re biblica, 13 maii 1950; *A.A.S.,* 1950, 496 s. Et S. C. de Sem. et Stud. Univ., die 10 apr. 1929, in quodam rescripto declaravit titulum *Licentiae* requiri ad docendum in schola S. Scripturae (Ench. Cler., p. 644, in nota).

ab errore immunitatem oppeterent, iam nostris necesse fuit ... in certamen descendere, ut divinum Caelestis Sapientiae donum a falsae scientiae commentis defenderent ».[25]

9. *De Iure Canonico in particulari*:

i) « Ius autem Canonicum tradatur ad modum institutionum, in quibus summatim atque ordine expendendae sunt praescriptiones, quas Codex habet, additis opportune notionibus et principiis in hac doctrina communiter receptis. Qua quidem in re sic erudiantur alumni, ut sub exitu cursus theologici, congruam singularum Codicis partium cognitionem iam acceperint atque ea omnia probe perspecta habeant, quae muneribus sacerdotalibus rite obeundis necessaria sunt. ... Huic studio praemitti debet brevis sed plenus de Iure Publico Ecclesiastico tractatus ».[26]

ii) « The study of Canon Law should be given a more important place in the curriculum of the Seminary than it has held up to date. A knowledge of Canon Law is of daily use in the priest's ministry and is of special value in the government of the dioceses. Therefore, it would be most opportune if Ordinaries, in conformity with the prescriptions of Can. 1366, confide the teaching of Canon Law to a professor who has taken his academic degree in the subiect at a University approved by the Holy See. This professor might also assist the capacity of legal consultor in dioecesan matters ».[27]

10. *De gradu academico ad docendum necessario*:

i) Can. 1366 § 1. Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ii, ceteris paribus, iudicio Episcopi et deputatorum Seminarii, praeferantur, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a Sancta Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus maioribus habeant. Cf. etiam quae supra (9, i et ii) allata sunt de professoribus S. Scripturae et Iuris Canonici.

ii) « Scholasteriae nonnisi doctoribus vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico, aut aliis personis et qui per seipsos id munus explere possint, conferantur ».[28] Id quod a Benedicto XIV

---

[25] Pius XI, Motu proprio *Bibliorum scientiam,* l. c., n. 1197, p. 642.

[26] S. C. de Sem. et Stud. Univ., Litt. *Vixdum*, l. c., 1133, p. 594.

[27] Litt. *The Sacred Congregation,* 26 maii 1928, nomine et auctoritate E. C. de Sem. et Stud. Univ. missae a Delegato Apostolico ad Ordinarios loci Americae Septemtrionalis; Ench. Cler., n. 1254, p. 682. Cf. etiam: Leo XIII, Ep. encycl. *Depuis le jour,* 8 sept. 1888; Ench. Cler., n. 606, pp. 348-49.

[28] Conc. Trid., sess. XXIII, *De ref.,* c. 18.

(const. *Ad militantis,* § 34) pressius urgetur, dum vetat ne unquam dispensetur « a decretis (Conc. Trid.) cogentibus eos qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus annexum est, ad docendum per se ipsos vel idoneos substitutos ».[29]

iii) Can. 1366 § 3. Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis, et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur distincti magistri.

iv)« His facile patet quantopere necesse sit, ut S. Scripturae magister totum se dare possit muneri suo... Quare ne cogatur ut, praeter S. Scripturae disciplinas, alias graviores in Seminario simul tradat... Ac ne extra Seminarium quidem aliis gravibus officiis aut ministeriis oneretur, ne illis negotiis, quantumvis sanctis ac laude dignis, impediatur in iis, ad quae rite explendis et tempore indiget et mentis vigore atque animi pace ».[30]

IN FACTO

Curriculum medium-classicum

1. Rev.mi Ordinarii locorum, fere ubique terrarum, Seminarium habent: sive dioecesanum, sive metropolitanum, sive regionale. *Ratio studiorum,* plus minus, ad normam can. 1364, in Minoribus Seminariis viget, praesertim quoad disciplinas principales: religio, lingua latina et patria; ceterae etiam disciplinae — historia, mathematica, scientiae naturales — etiam traduntur iuxta ea quae in similibus institutionibus civilibus praescribuntur, non raro tamen incomplete.

2. Saepius desiderantur magistri, titulo studiorum ornati et numero sufficientes; sed et suppellex scholastica atque aedes appropriatae non raro deficiunt. Nec documenta, quibus studia primaria et elementaria comprobentur, a candidatis exiguntur quando Seminarium ingrediuntur.

3. Inde fit ut:

i) Curriculum Seminarii non sit a lege civili recognitum;

ii) Nec ideo, quando Seminario egrediuntur, possint alumni scholas superiores Status petere;

iii) Immo, nec illa maturitas sive praeparatio necessaria ad curriculum philosophicum peragendum, obtinetur in pluribus Seminariis Minoribus;

---

[29] *Fontes,* I, p. 729.

[30] Commiss. Pontif. de Re biblica, Instr. *Sanctissimus,* 13 maii 1950; *A.A.S.,* 1950, 496 s.

iv) Unde etiam fit quod nec gradus academicos in Universitate vel Facultate catholica consequi possint, neque scholas catholicas ipsi alumni, sacerdotio aucti, valeant instituere et moderare;

v) Denique — id quod fortasse deterius est — inferioritas illa culturalis in loquendo, in scribendo, in conferentiis ac disputationibus cum Protestanticis instituendis, proculdubio huic insufficienti praeparationi, in Seminario Minori receptae, reponenda est magna ex parte.

4. Perduratio cursus medii-classici non est uniformis; nec quidem esse potest, eo quod diversae regiones diversam etiam durationem praescribunt. Similiter, magna differentia existit in numero scholarum unicuique disciplinae tradendae assignato.

Curriculum philosophicum

5. Philosophia rationalis, cum scientiis affinibus, non una ratione traduntur in diversis Seminariis:

i) De regula, curriculum philosophicum ad *duos tantum annos* protrahitur; non raro etiam, hoc curriculum consideratur uti extensio et *complementum* curriculi gymnasialis, quod ad 8 annos extenditur (liceo classico, liceo filosofico);

ii) Disciplinae tradendae raro in principales, auxiliares et speciales, et cursus peculiares dispescuntur; ideoque plures disciplinae principales et nonullae auxiliares nec nomine quidem apparent in programmate scholari, e. gr., sociologia, historia philosophiae, critica, paedagogia, ius gentium;

iii) Hac eadem ratione, disciplinae quae *moderate* tantum tradi debent, locum maioris momenti occupant in Horario scholari — e. gr., litteratura patria, mathematica, physica, religio — cum dispendio temporis quod disciplinis principalioribus, huius curriculi propriis, assignari debet;

iv) Inde etiam fit ut *indoles generalis* huius curriculi, in non paucis Seminariis, sit praevalenter *litteraria* et culturalis, potius quam scientifica et rationalis;

v) *Usus latinae linguae* perpluries parvipenditur;

vi) Natura et extensio cursuum peculiarium et practicarum exercitationum non bene comprehenduntur; idem dicito de disputationibus philosophicis;

vii) Denique, *magistri* sive professores disciplinarum principalium nec numero sufficientes nec titulo ecclesiastico studiorum aucti inveniuntur; saepius *unicus* magister philosophiae rationalis existit; sed et aliis muneribus, intra et extra Seminarium, onerantur.

6. Nihil ergo mirum si alumni plurium Seminariorum, curriculo phi-

losophico emenso, non sint bene praeparati ad studia theologica utiliter suscipienda, nec ad huius aetatis errores fructuose avertendos. Sed et valde difficile est alumnos Seminarii postea ascribere Facultatibus ecclesiasticis ad gradus capessendos.

CURRICULUM THEOLOGICUM

7. Divisio disciplinarum in principales, auxiliares, speciales et cursus peculiares, saepius non consideratur. Unde fit, ut quaedam disciplinae non tradantur uti « corpus organicum » et materiae a se stantes, sed diffuse in tractatibus aliarum disciplinarum; e. gr., theologia ascetico-mystica; aliae etiam disciplinae, minoris quidem momenti, sed valde utiliter tradendae, prorsus omittuntur, e. gr., cursus super psalmos, explicatio Breviarii, patristica, ars sacra.

8. *Theologia positiva saepius* cum detrimento scholasticae docetur.

9. *Relate ad studium S. Scripturae,* factum tristissimum est sacerdotes quamplures peiores partes ducere quando res est cum protestanticis; id quod hodiernis temporibus parvipendere nefas est. Ratio vero huiusmodi inferioritatis reponenda videtur in triplici defectu:

a) cognitionis linguarum graeco-biblicae et hebraicae;

b) magistri idonei;

c) practicarum exercitationum vel cursuum peculiarium, quibus alumni edoceantur de methodo et mediis occurrendi « propagandae » protestanticae.

10. *Relate ad Ius Canonicum,* plurimi sacerdotes ignorantia laborant: circa iura et obligationes status clericalis, circa naturam potestatis ordinis et iurisdictionis, circa organizationem Curiae dioecesanae, circa disciplinam de administratione sacramentorum et sacramentalium, circa administrationem rei temporalis in Ecclesia, circa censuram librorum eiusque consentanea, circa processus iudiciales et administrativos. Deinde, non paucae quaestiones quae sedem habent propriam in tractatu de Codice, saepius amandantur tractandae in textibus Theologiae Moralis, ubi sub ratione moralitatis (criterio morali, non canonico) traduntur; e. gr., tractatus de censuris, plures dispositiones Codicis circa sacramenta Ordinis et Matrimonii etc. Adde quod, in quampluribus dioecesibus desunt sacerdotes idonei, qui Episcopum adiuvent in regimine dioecesis, uti consultores, iudices, notari etc.

SECTIO PHILOSOPHICA

1

STUDIUM

DOCTRINA NOVAE PHYSICAE DE IDENTITATE MATERIAE ET ENERGIAE, LUCE PRINCIPIORUM PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE PERSPECTA, AEQUIVOCA EST ET IN ALIQUIBUS CASIBUS REIICIENDA

(C. Pedrosa, O. P.)

1. Ratio dissertationis

Praeterire non debemus factum bene notum, scilicet, quod recens quaedam schola philosophiae quae « Philosophiae Scientificae » appellatione venit, pronuntiata maiora philosophiae scholasticae subvertere nititur. Philosophus ergo scholasticus paratus esse debet ut obiectiones ex campo scientiae experimentalis obvenientes opportune refellere possit; insuper et vigilans de repercussionibus quae theologiam indirecte afficere possunt.

Sic, exempli gratia, philosophia scientifica propugnat leges statisticas, quae in regulari quadam operatione multitudinis (abstractione facta ab individuo) fundantur, et quae magna aestimatione apud hodiernos scientificos gaudent, substituere posse leges naturales quae in uniformi operatione individuae naturae fundantur. Item, quod instrumentales indicatores (pointer readings) supplantare possunt sensuum perceptiones, ut vera intermedia inter obiectum et subiectum. Item, quod mechanicismus materialis finalitatem operationis naturae superfluam omnino reddit. Insuper, quod theoria quantica (quantum theory) causalitatem efficientem interimit, dum illam non nisi ad meram et inconnexam succesionem eventuum in tempore reducit. Haec et alia similia, quae dicuntur scientifica experientia sufficienter inniti, primo intuitu apparent repugnare contra conceptionem cosmologicam philosophiae scholasticae, secundum quam universus est unum quoddam ex individuis substantiis coadunatum, quae substantiae sunt qualitatibus et operationibus specificis praeditae, et in unum finem protendentes, nempe, conservationem et perfectionem ipsius universi.

2. Propositum restringitur

Tamen propositum nostrum in hac dissertatione ad unam tantum quaestionem restringere volumus, videlicet, ad doctrinam quae propugnat identitatem inter materiam, massam et energiam, necnon eiusdem

necessario consequentiam de facto actualem creationem materiae. Credimus doctrinam hanc repugnare postulatui scholastico de distinctione substantiae et accidentis quae facit mutuam conversionem physice impossibilem, utpote talem transformationem creatione indigere quae physicas vires omnino transcendit.

3. Antiqua verba ad novos conceptus trahuntur

Non parum difficultatis ad solutionem huius quaestionis obvenit ex eo quod auctores qui de re scientifica, accuratam notionem vel definitionem conceptuum controversiae subiectorum vel parvi curant vel omnino negligunt.

Sunt quaedam verba, quorum significatio firmata per longissimi temporis usum, nunc ad novum trahuntur conceptum significandum, de quo fortasse nunquam antea cogitatum est, ut sunt v. gr. emissiones radioactivae.

Hi novi conceptus vel phenomena ontologice differunt ab iis de quibus in Cosmologia scholastica agitur. Unde philosophi scholastici munus, nempe phenomena novae physicae studendi, analysi criticae subiciendi ut vera eorum significatio pateat, sive sit eadam sive ontologice diversa a prima eius acceptione.

Doctrina scholastica quam hic propugnare volumus est distinctio inter substantiam et accidentia et eorum in invicem transmutandi impossibilitas viribus physicis. Volunt enim scientifici materiam et energiam non nisi diversos aspectus esse eiusdem rei unde in invicem converti posse, non obstante quod ontologice considerata talis transmutatio absurdum quoddam prae se ferat.

4. Substantiae et accidentis notio philosophica

In philosophia scholastica notio substantiae est ens (natura) in se ipso existens, non indigens subiecto cui inhaereat. Contra, accidens est (universale) illud quod non pertinet ad essentiam subiecti unde contingenter illi inhaeret; per se ipsum non potest subsistere neque in existentiam devenire, sed tantum alicui subiecto inhaerendo. Quamvis sit aliquid reale non est tamen aliquid subsistens, i. e., aliquid in ordine substantiae. Unde accidenti quod evanescit succedere potest aliud accidens. Tamen absurdum esset ponere accidens substantiam succedere, vel in substantiam converti aut transmutari. Aqua frigida in (aquam) calidam converti potest, manet autem idem subiectum accidentium. Tamen dicere non possumus calidum converti in aquam, cum calidum nihil sit in ordine substantiae. Talis enim conversio indigeret nova substantia ex nihilo formari quod repugnat doctrinae scholasticae creationis.

5. Materia et substantia corporea convertuntur

Tamen solutio non ita facilis est cum ad casus singulares devenimus. Quaeritur enim utrum materia secunda sit vera substantia in sensu aristotelico. Materia secunda transmutari de una in aliam speciem constat ex combinationibus chimicis, ubi ambae, seu terminus a quo et ad quem, possidere videntur qualitates verae substantiae, nempe, propriam subsistentiam et substentationem accidentium. Neque ad rem attinet quoddam sit essentiale constitutivum « materialitatis » materiae, utrum nempe sit experientia gravitationis et inertiae, impenetrabilitas, extensio, etc. Sufficit enim ut in se subsistat et substet accidentibus.

6. Notio energiae physicae

Conceptus energiae connotat capacitatem producendi formam aliquam laboris, puta superare frictionem, vincere resistentiam. Energia potentialis (latens, accumulata) illa dicitur quae corpori competit ratione determinatae positionis, ut elevationis (gravitationalis), distentionis (elasticitatis); omnes eae effectum producere possunt quamvis ob defectum conditionum debitarum illum actualiter non producant. Energia quae capacitatem producendi laborem ei obvenit ex velocitate acquisita dicitur cinetica (actualis). Sunt et aliae denominationes energiae quae fundamentaliter ad has facile reduci possunt quamvis origine, subiecto vel termino videntur differre. Ita fluxus electricus considerari potest aut cineticus aut potentialis in quantum effectus producitur motu electronum qui ex superiori ad inferiorem planitiem electricam discurrunt. Energia mechanica habet ut subiectum corpus commune perficiens motum sensibilem. Energia molecularis in moleculis subiectatur et earum motus comitatur; sic energiae quae manifestantur per phenomena cohaesionis, adhaesionis, dilatationis, mutationis status (v. gr., evaporizationis), soni etc. Energiae atomicae in atomis radicantur et apparent in affinitate et valentia. Energiae intraatomicae afficiunt elementa atomi, sc., nucleum et electrones; apparent in luce, radioactivitate et radiationibus cosmicis.

7. Factum transformationis energiarum

Energiam unam in aliam transformari posse in rebus naturae constat ex experientia tum vulgari tum scientifica; apparet enim ad extinctionem unius sequi ortum alterius. Sic frictio producit naturaliter calorem; energia mechanica in thermicam convertitur. E contra, energia thermica artificialiter motum mechanicum producit; energia electrica in calorem, lucem, motum opportunis mediis adhibitis transformatur. Nunc vero,

inter energiam extinctam et productam constans adest proportio; unde nexus aliquis temporalis inter diversas energiae formas admitti debet.

Utrum vero nexus iste inter antecedentem et consequentem energiam sit vera causa efficiens non ita constat; transformatio enim proprie dicta requirit subiectum permanens et commune utrique formae; unde transformatio proprie est in subiecto non in forma accidentali; forma vero potest mutari seu sese succedere.

8. Phenomena physica suadent energiam non possidere indolem substantiae materialis

Si loquamur de energia in genere constat experientia scientifica substantiam materialem subesse mutationibus coloris, lucis, magnetismi et alia quin eius molis immutetur. Item, substantia materialis est quoddam extensum et impenetrabile, habens partes extra partes. E contra energiae aliquo modo corpora penetrant et diversa energiae esse possunt in eodem loco; sic eadem molis aquae potest esse simul calida et illuminata et mota et quid simile. Insuper substantia materialis est per se divisibilis; energia autem est divisibilis tantum ratione subiecti; sic calor vel vis motrix dividi non potest corpore cui inhaerent non diviso.

Idem apparet si loquamur in particulari sive de energia cinetica sive de energia potentiali. Motio esse non potest sine mobili; unde proprietates quae mobili obveniunt tunc tantum cum movetur, et eo ipso quod movetur vel motum perficit, non possunt esse aliquid substantiale. Energia vero potentialis mobili obvenit ex relatione ultimae ad primam positionem; subiecto convenit ratione positionis, seu habet energiam potentialem non qua tale corpus est, sed quia in tali loco positum est, v. gr., viginti metris altitudinis. Praesupponit insuper campum gravitationis, quo absente, energia potentialis impossibilis redderetur, molis autem integra remaneret.

9. Creatio materiae reicienda

Iam vero affirmare materiam quae in quantitate determinata invenitur in substantia corporea augeri vel minui eo ipso quod substantia movetur vel diversis qualitatibus subiicitur repugnat principiis philosophiae scholasticae. Materia enim non potest augeri nisi per additionem materiae, nunquam autem per additionem non-materiae. Capacitas perficiendi laborem est omnino aliena conceptui materiae, cum ei non nisi externe afficiat. Ponere autem novam materiam originem duci ex non-materia idem esset ac postulare creationem. Creatio autem non est operatio physica; excedit enim et superat omnes vires naturae, unde nec supponenda nec nominanda est.

Idem argumentum adhibere possumus si de energia cinetica agamus, nam velocitas est proprietas motus, dicit enim an acceleratus vel lentus sit. Iam vero quantitas motus naturam entis non afficit, ut supra diximus, cum sit illi extrinsecus, unde non est ratio quare velocitas, sive minima sive maxima (velocitas lucis), aliquo modo ipsam materiam attingat; magis et minus non mutant speciem, ut dicitur.

10. Energia radians

Aliud autem dicendum si vertimur ad quasdam formas energiae quae videntur fundamentaliter differre ab his quas supra definivimus. Plures physici hodierni ita loquuntur ac si quaedam energiae formae libere, i. e,. ad modum substantiae, existere possunt sine aliquo subiecto cui inhaereant, insuper et quod structuram granularem habent.

11. Energiae radiantes substantive operantur

Quaestio ergo de libera energiae existentia non de omnibus sed de his tantum quae « radiantes » vocantur, ut sunt lux, X-radii, emissiones radioactivae (particulare alpha, beta et gamma) et radiationes subatomicae (electrones, protones, neutrones, mesones, neutrini). Dubitare non possumus de substantialitate particularum quae sive intra atomum sive intra nucleum inveniuntur; ostendunt enim materiam quae ab onere electrico et a qualitate electrica differt. Istae particulae moveri possunt de loco in locum, et sic extensione praeditae sunt; unde non sunt mera fragmenta electricitatis sine subiecto materiali, cum energia distincta sit a quantitate et a materia, et illae particulae quantitatem et materiam habent.

Circa vero lucem et X-radios sunt etiam facta experientiae quibus apparet illa participare indolem substantiae materialis, quamvis ad tenuissima fragmenta reductae. Quaecumque enim in materiam agunt necesse est ut sint materialia. Lucem directe agere in materiam patet ex effectu ita dicto « photoelectrico ». Cum enim lux in laminam ad hoc praeparatam impingit facit ut electrones ex ea emergant cum velocitate frequentiae oscillationis lucis proportionata. Nunc vero ut lux corpus materiale in motum excitare possit necesse est ut ipsa sit materialis, et ex mole propria impetum in aliud corpus excerceat.

Si vero de X-radiis loquimur phenomena similia habentur in experimento ita dicto « effectu Compton ». In hoc casu cum photon ex X-radiis procedens in electronem impingit pars eius energiae cineticae in electronem transit dum eius velocitas diminutionem patitur. Iam vero impactus necessario praesupponit impenetrabilitatem quae non aliunde nisi ex indole materiali photonis obvenire potest.

Haec et alia similia phenomena sensum non habent nisi admittamur dictam energiam radiantem esse veram substantiam corpoream, unde non proprie energia sed « materia energifera » potius dicenda esset.

12. Notio massae

Maxima difficultas surgit dum conceptum massae definire intendimus. Sensus enim verbi « massae » multi et varii sunt, eiusque habitudo ad materiam et energiam viam praebet diversis interpretationibus. Primum enim, ut relatio ad philosophiam scholasticam, determinari possit, oportet ut indoles eius dilucidetur, utrum nempe sit substantia vel accidens. Tunc tantum secundam quaestionem determinare possumus, nempe utrum transmutatio massae in energiam et « defectum massae » in istis transmutationibus expertum praesupponat creationem novae substantiae.

Si opera quae de re scientifica agunt percurrimus rare vel numquam definitionem massae inveniemus; et si aliquando mentio de hoc fit, reducitur ad quamdam descriptionem ex proprietatibus derivatam. Dicunt enim massam esse aliquid quod in omni materia invenitur; quandam exclusivam et characteristicam manifestationem (proprietatem materiae), cum ipsa coexistentem et illi indeficienter inhaerentem.

Massa corporis, alii volunt, est eius quantitas dimensiva; dimensitas est aliquo modo officium materiae quo fungitur mediante quantitate.

13. Massae habitudo ad quantitatem

Sic igitur conceptus quantitatis et divisibilitatis a massa separari non potest. Vulgata est definitio massae a Newton proposita, nempe, massam esse quantitatem materiae, quod idem sonat ac mensuram materiae, seu illud totum materiae quod nobis patescit sive directe perceptioni sensuum sive mediante adiumento instrumentorum. Et sicut quantitas, ita massa invenitur in quocumque statu materiae, et per omnes mutationes perseverat. Possumus ergo dicere quantitatem et massam esse manifestationes non naturae specificae sed eius « materialitatis ». Bene igitur massa dici potest « index materialitatis materiae » seu origo omnium quae faciunt materiam esse « materialem ».

14. Massae habitudo ad inertiam

Relationem massae ad inertiam etiam elucidare debemus. Apparet enim massam et inertiam parum vel nihilum physice ab invicem differre, et non nisi ratione distingui. Inertia, saltem nominaliter connotat qualitatem quamdam negativam materiae, nempe, inhabilitatem ad quemcumque motum ex se ipsa perficiendum, simulque absolutam neutralitatem ad quemcumque statum vel positionem. Est enim materia radicaliter inha-

bilis ad statum suum ullo modo mutandum. Principium huius inhabilitatis quaerendum est in defectu inhaerenti cuicumque naturae corporeae quae caret activitate immanenti; omnes enim materiae activitates transeuntes sunt et ad extra protendentes.

Est tamen alius sensus in quo inertia aliquid positivum indicat et in quo massam magis directe connotat, nempe, quamdam proprietatem reducendi motum ipsi exterius communicatum; est enim « proprietas dispersiva » vis vel impulsus ipsi impertiti, ita ut effectus in movendo magis ac magis minuatur proportionaliter ad massae augmentum.

Unde sunt qui inertiam vocant « quantitatem materiae », vel « coefficientem materiae » ex eo quod in hoc sensu massa et inertia vere identificantur.

15. Indoles cosmologica massae

Ex his iam colligere possumus quae sit indoles cosmologica « massae », ut eam schemati philosophico scholastico aptari possimus. Argumenta quae protulimus unum probant, nempe, materiam et massam non rem identicam esse, neque massa praedicamento substantiae adnumerari posse, habet enim omnes qualitates accidentis. Haec conclusio, quamvis negativa, tamen viam praebet interpretationi secundum quam experientiae de transformatione massam inter et energiam explicari possunt sine detrimento philosophiae scholasticae.

Massa igitur non est ipsa substantia materialis, tamen munus intermediarii aliquo modo fungitur inter substantiam et instrumenta physica quae sensuum nostrorum perceptionem adiuvant et acuunt. Massa enim cum quantitate, inertia et pondere materiam patefacit et eius mensuram praebet.

Unde dicere possumus quod ubicumque praesentia massae deprehenditur sive dispersione virium, sive pondere, sive spatii dimensione ibi dicendum materiam adesse. Tamen si aliquando defectus vel diminutio horum effectuum deprehendatur non ideo substantia materialis annihilata dicenda est. Bene cogitare possumus in statum ita solutum reduci ut mensurantium instrumentorum captum evadat.

16. Formula einsteniana explicatur

Opportunum nunc ducimus analysi subiicere quasdam formulas seu aequationes ex Physica desumptas et quae non parum controversiae afferunt, eo quod quamvis simili structura videantur coalescere, diversam significationem tamen habere dicuntur.

Prima est classica illa formula pro energia cinetica computanda, vide-

licet, $E = \frac{1}{2} m v^2$, ex velocitate mobilis derivata. Aequatio ista potius identitas dicenda esset, nam utrumque membrum unam eamdemque rem significant, nempe valorem numericum qui per operationes ibi indicatas obtinetur et qui energia cinetica (E) vocatur.

Secunda formula illa est quae Einstein auctorem habet et energiam exprimit, nempe, $E = mc^2$. Formula haec essentialiter differt a priore in conceptu einsteniano, nam repraesentat energiam quae ex defectu massae contentae in secundo membro, generata est.

Formula in usum venit cum in aliquibus transformationibus in quibus particulae subatomicae interveniunt, summa massae inventa est valore numerico differre ante et post transformationem. Sic invenitur integrationem Hydrogenii ac Lithii in Helium perfici cum defectu 0.024 unitatum massae. Prima facie non remanet nisi admittere defectum massae in generatione energiae consumptum esse.

Sunt aliqui qui, ut difficultatem evadant, differentiam illam, quia minima videtur, attribuere volunt sive errori in observatione experimentali sive supputationibus mathematicis. Tamen talis explicatio non multum urgenda cum observationes experimentales valde accuratae sint et processus empiricus omni fide dignus: insuper et scientifici nullo modo tali interpretationi acquiescerent.

Tamen talis transmutatio non videtur repugnare principiis philosophiae scholasticae. Massa enim ut diximus non identificatur cum materia; potest ergo substantia corporea pondere, inertia vel quantitate deficere, dum materia in statum magis solutum vel tenuem convertitur cum defectu massae determinando ex formula allata.

Postulatus ergo de conservatione seu de non destructibilitate massae (quando cum materia identificabatur) hodie apud scientificos pene obsoletus est, et substitutus lege ita dicta de conservatione massae et energiae per modum unius. Tunc enim massa crescere potest vel minui quin materia ipsa (substractum materiale) crescat vel minuat. Est enim tantum « massiva » proprietas quae in energiam transit.

17. Structura quaedam atomica energiarum admitti potest

Praesupposita materiae structura atomica, energiae natura granularis est deductio legitima, saltem pro formis energiae radiantis. Secundum hypothesim quantisticam radiatio non emittitur secundum processum continuum sed potius discontinuum; processus iste perficitur per integrum quantum, seu minima fragmenta radiationis quae fractionem non patitur.

« Quantum » nomine venit quantitas energiae ligata frequentiae vi-

brationis cuiusque radiationis. Nunc vero supposita aliqua structura atomica energiae radiantis non sequitur identitas inter materiam et omnes energiae formas; neque conversio materiae ad energiam et viceversa. Nam ut iam ante probavimus quamdam energiae formam habet indolem qualitatis, et quamvis mensurae subdita sit, mensuratur eius aspectus quantitativus, quia inest nempe in subiecto extenso, intensive vero per eius effectum. Bene illud sancti Thomae applicari posset huius generis energiae: « Quantitas virtutis (vis vivae, energiae), attenditur secundum perfectionem alicuius naturae vel formae, et secundum esse et secundum operationem » (I, 42, I). Neque variatio energiae discreta necessario excludit eius indolem qualitativam. Intensibilitas qualitatis continuae optime concipi potest, licet admittatur in ipsis qualitatibus aliquid minimum ultra quod non sit amplius mensurabile neque capax producendi effectus physicos propter structuram atomicam subiectorum in quibus inest.

18. Theoria fluctuationum materialium

Novissima theoria circa identitatem materiae et energiae habetur in ita dicta « *Mechanica fluctuanti* » (Wave Mechanics; mecanica ondulatoria), a Ludovico de Broglie proposita et exarata. Summarie, theoria ista postulat intimam associationem inter materiam et fluctuationem cuiusdam medii, ita ut neque materia detur sine unda neque unda sine materia. Motus fluctuationis praebet materiae continuitatem ita ut nulla pars universi ab alia seiuncta sit. Orta est ex eo quod lux et aliae energiae radiantes ostendunt se esse constitutas aliquando ex particulis aliquando vero ex unda mobili.

Particulae subatomicae definitum situm non inveniuntur habere in atomo; materia quodammodo diffusa est per spatium atomi. Talis dispositio videtur postulare notionem granularem materiae non amplius urgendam, et eius loco ponenda est materia electrica quae modo simili fluctuum movetur. Tunc minima pars energiae (« quantum ») dependet ex frequentia vibrationis radiationum. Quantum energiae nobis patescit tanquam fasciculus sigillo munitus ortus ex vibrationibus quae propagantur velut aqua pedibus tumultuata. Nova atomus apparet constituta non ex punctis materialibus sed ex quadam massa nebulosa et continua. Erroneum esset cogitare theoriam istam omnes difficultates solvere circa relationem inter materiam et energiam; fortasse novas addit obscuritates. Et in primis nobis non dicit quid sit illud quod velut unda fluens movetur. Motus non datur absque mobile; utrum illud sit onus electricum magis vel minus contractum, vel condensatio etheris, non est sufficienter elaboratum neque comprobatum.

19. Particulae sub-atomicae materiam prae se ferunt

Cum progressu scientiae physicae novae theoriae de natura materiae et massae ortae sunt quae novas difficultates afferunt cosmologiae scholasticae. In primis conceptus novus massae ab antiquo differt; dicunt enim eam esse totaliter electricam, et variare cum variatione velocitatis. Particulae istae coexistunt campo electrico, et earum motus generat campum magneticum. Tales particulae, v. gr. electrones, possident inertiam quae generatur ex eo quod particulae illae provideri debent energia ut campus magneticus sustentetur.

Nunc vero cuius naturae sit particula electrica scientifici non dicunt; affirmant coniunctam esse inertiae unde certum est particulas electricas massae coniunctas esse. Hoc sufficere possit ad probandum tales particulas electricas et radiantes (electronem, protonem, photonem et alia) ad praedicamentum substantiae pertinere, quamvis adhuc non habeamus accuratam notionem particulae electricae; subsistunt enim per se et in alia corpora physice operantur. Particulae istae essentialiter energiam radiantem constituunt quae ut diximus non accidentis sed substantiae indolem prae se ferunt.

20. Materia « imponderabilis » admitti potest

Sunt et aliae physicae realitates quarum indoles adhuc nos latet. Ita « ether », gravitatio, campus magneticus et electricus quibus conceptus massae non bene aptatur. Sunt qui eas esse putant immateriales, quia in eis non apparent manifestationes massae ut inertia et pondus; et frequenter ut abstractiones mathematicas vel meros influxus considerant, quod idem sonat ac accidens in philosophia scholastica. Eas collocare extra radium materiae physica argumenta non suadent.

Inveniuntur phenomena in quibus eas intimam relationem et dependentiam vel influxum in materiam habere evidenter apparet. Manifestant enim proprietates, status et activitates quae in spatio disiunctae sunt et quae nullo modo existere possunt ex se ipsis; indigent enim materiali substrato (substantia) quod tales proprietates, vel status, vel activitates, supportare et exhibere possit.

21. Materia « immaterialis »

Neque fas est ut immoremur in solutione a quibusdam scientificis propositam nempe in materia « immateriali »; est enim flagrans contradictio. Tamen materia « imponderabilis » et materia « non-massiva » admitti possunt et satisfactorie explicari possunt intra schema philosophiae scholasticae.

22. Conclusiones

1. Quaedam verba quae de rebus scientificis agendo usurpantur non eamdem significationem connotant ac in philosophia scholastica. Unde non tantum verba sed et conceptus et contextus ponderandi sunt ut eius significatio in casu particulari determinetur.

2. Locutiones ut « materializatio energiae » vel « dematerializatio materiae »; « creatio vel destructio materiae » favorabiliter interpretandae sunt ubi locum adest, secus reiiciendae.

3. Conclusiones scientificae et theoriae derivantur in fere omnibus casibus ex interpretatione factorum ex experientia habitorum. Interpretatio vere subest erroribus qui vel ex vitiosa observatione instrumenti, vel ex praehabita opinione vel aliis circumstantiis oriri possunt. Tales ergo conclusiones quamvis plane reiiciendae non sunt, non statim admittendae quia quamdam consonantiam cum factis prae se ferunt; sed examini critico subiiciendae, maxime si viam praebent implicationibus theologiae subversivis. Aliquando enim ex veris factis falsae theoriae adducuntur.

2

STUDIUM

DE FUNCTIONIBUS ET LIMITIBUS PROPRIETATIS PRIVATAE

(E. Piñon, O. P.)

PROLOGUS

Multa quidem iam scripta et dicta sunt de iure proprietatis privatae ut superflua videatur hac de re ulterior dissertatio. At, quamvis iam multa dicta sunt hac de re, quis detegere potest doctrinam, quae communiter profertur, carere systematica evolutione ex principiis fundamentalibus. In defensione iuris proprietatis privatae saepius nulla mentio fit de limitationibus haerentibus ipsi iuri, et non tantum eiusdem usui. Oportet enim limitationes inhaerere ipsi iuri, si ius illud non est quid absolutum sed quaedam instrumentalitas ad finem naturae. Functio etiam socialis quasi extrinsece et artificialiter tantum, ratione boni communis, apponitur; non vero tamquam de ratione ipsius iuris existens.

Quod autem investigatio hac de re nondum est exhausta, et locus adhuc possibilis est ulteriori investigationi, ipse Pius XI testatur his verbis: « Quapropter, ut salutare et omni laude dignum opus agunt quicumque, salva animorum concordia et doctrinae integritate, quam semper tradidit Ecclesia, intimam horum officiorum naturam atque limites definire conantur, quibus vel *ipsum ius* proprietatis vel usus seu exercitium dominiorum sint, a socialis convictus necessitatibus circumscripta ».[1]

Dissertatio sequens quaerit perpendere melius conceptionem classicam super hanc rem, et conspectum quemdam systematicum praebere.

Caput 1

DISCRIMEN CONCEPTUS ET INSTITUTIONIS PROPRIETATIS

Accusatio Socialistica. – Enarrat P. Rutten, O. P., olim in Belgio senator, in occursu quodam cum socialistis sibi sequentia ab eis esse obiecta.

« Quod nobis displicet apud vos, catholicos, est impraecisio, infirmitas et timiditas theoriarum vestrarum circa proprietatem. Non aliud videtur nisi quod, proprietas sit pro vobis velut punctum neuralgicum quod, nonnisi infinitis cum cautelis, audetis tangere. Videtur vos, hac in re, non invenisse nisi formulas potius ingeniosas quam categoricas; distinctiones potius subtiles quam convincentes. Mens multitudinis, bene quidem investigata a modernis sapientibus, non est res implexa. Ipsa graditur post illum qui sibi loquitur sermone claro et forti. Actio energica, opportuno tempore instituta, contra abusus latifundiorum existentium in quibusdam regionibus, a vobis cognitis, fiduciam massarum popularium efficaciori modo vobis retinuisset, quam pulchrae praedicationes et fastuosae processiones. Si desideratis ne communismus Europam deglutiat, non creditis tempus iam adesse ut doctrinam vestram de proprietate in trutinam revocetis »? [2]

Facile inclinamur ad dimittendum praedictam socialistarum accusationem tamquam iniustam. At, nonne inveniuntur apud nos auctores qui,

---

[1] Encycl. *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* vol. XXXII, 1 iun. 1931, p. 192.

[2] *La doctrine sociale de l'Eglise,* cap. 5, pp. 85-86.

ex una parte, conceptum proprietatis explicant per exclusivitatem, ut de ratione illius existentem, definientes ius proprietatis tamquam ius habendi et utendi rebus cum exclusione aliorum? Nam, quid est proprietas absque exclusivitate? Ex altera parte, ad temperandum nimiam exclusivitatem proprietatis ante conspectum problematis socialis, nonne iidem ipsi etiam affirmant proprietatem privatam habere functionem socialem, et quantum ad usum vel utilitatem bona possessa debere esse communia? Quidnam nunc? Estne usus aut utilitas proprietatis exclusiva aut communis? Nonne expressio « proprietas privata et utilitas communis » sonat potius formula ingeniosa et distinctio subtilis quam principium practicum ad medendum malam distributionem substantiarum, et mala socialia inde provenientia? Quemadmodum auditor quisdam dixit: « Intelligere haud queo quare nam, si domum aut currum habeam, eorum usus aut utilitas debeat esse communis ». Nullumne aliud instrumentum doctrinale efficacius prae manibus habemus ad medendum mala oeconomico-socialia?

Expropriationes Agrariae Democraticae. – Verumtamen, tale principium insufficiens esse ad medendum mala oeconomico-socialia et ad sublevandum miseram sortem proletariorum ruralium evincitur ex actione plurium nationum quae, recentis temporibus, instituerunt expropriationes latifundiorum. Post primum conflictum mundialem expropriationes reformatoriae agrariae locum obtinuerunt in Lettonia, Esthonia, Lithuania, Russia, Polonia, Hungaria, Czechoslovakia, Rumania, Mexico, Hispania.[3] Post secundum conflictum mundialem eiusmodi expropriationes locum obtinuerunt non tantum in nationibus quae sub iugo communismi marxistici inciderunt, sed etiam in Burma, Iaponia, Taiwan, et Philippinarum Insulis.[4] Exclusis expropriationibus marxisticis Russiae et aliarum nationum, eam sectantium, quae inserviunt potius theoriae marxisticae quam commodo hominum, et proprietatem quaerunt abolere non propagare; expropriationes democraticae latifundiorum hunc propositum prosecutae sunt, scilicet, disseminare proprietatem, restaurare institutionem possessionis privatae ad formam rationabiliorem, et sublevare miseram conditionem multitudinis ruralis proletariae.

Ad hanc actionem instruendam pressae sunt nationes democraticae post conflictos mundiales, ex una parte, ob necessitatem, promovendi productivitatem oeconomiae nationalis et attingendi sufficientiam fru-

---

[3] Cf. Fr. Piñon E., O. P., *Judgment on Agrarian Reformatory Expropriations,* cap. VII, in *Unitas,* a. 32, n. 3, iul.-sept. 1959, p. 550 s.

[4] Id., *Op. cit.,* p. 568.

mentorum; ad disseminandum capacitatem emptivam in multidudine et, ea ratione, ad creandum fortem mercatum domesticum, qui absorbeat producta industriae et praebeat firmum fundamentum ad incrementum industriale nationis. Uno verbo: ad obtinendum aequilibrium oeconomicum et eam mensuram productionis nationalis, quae oeconomia nationalis, per bellum labefactata, citius restaurari possit. Ex altera parte, necesse erat sedare clamorem multitudinis popularis, quae magnam partem habuit sive in expulsione hostis sive in nanciscendo independentiam nationalem, pro parte terrae habenda, praesertim ante faciem concitationum communistarum promittentium terram ruricolis inopibus ad eos ad suam causam seducendos. Uno verbo: opus erat consulere paci et stabilitati internae contra agitatores, et conciliare fiduciam popularem erga nova gubernia.

Et quidem, quemadmodum anteactis saeculis desiderium multitudinis pro libertate et aequalitate politica vectis ferrea exstitit ad evertendum veterem ordinem politicum, ita nostris temporibus in quibus conceptus democratiae est disseminatus, et homines populares facti sunt conscii valoris personalis proprii, adeptione suffragii politici et extensione educationis popularis; desiderium hominum pro liberatione a fame, ab egestate, et ab incertitudine de crastino, necnon desiderium eorum pro quadam aequalitate in ordine socio-oeconomico habenda, devenerunt valida vis. Democratia politica postulat, tamquam corollarium, quamdam democratiam socio-oeconomicam. Nam, quem valorem poterunt homines videre in securitate et libertate politica, si insecuri sunt de crastino et liberi non sunt a fame et egestate? Quem valorem poterit aequalitas politica habere, pro multitudine ruricolarum qui servitute oeconomica adstringuntur erga dominos latifundiorum? Aut, quem valorem poterunt homines videre in ordine sociali aut in legibus societatis, quae pro ipsis nihil aliud significant nisi detentionem in miseria, et in labore arduo, absque spe melioris sortis nanciscendae?

Damma humana ex latifundiis. – Cum enim terra sit medium naturale et essentiale ad sustentationem capiendam pro multitudine hominum, quando terra concentratur in manibus paucorum, necesse est quod multitudo hominum privetur medio necessario sustentationis; et inde sequitur miseria in multitudine et in vita rurali. Hoc praesertim nostris temporibus locum obtinere potest quando, aliter ac in anteactis temporibus, agricultura principaliter non ad subsistentiam sed ad lucrum indefinitum capiendum geritur; et loco hominum machinae, efficaciori modo et minori cum dispendio, suffici possunt. Sed, etiam in regimine agriculturae per colonos, disrupta olim clausa oeconomia rurali quae sufficientiae vitae humanae principaliter inserviebat, et in eius locum

oeconomia questus suffecta; multitudo colonorum aegre diram egestatem et servitutem oeconomicam superare possunt. Lucri enim gratia domini terrae portionem colonorum minuere satagunt, huicque coloni cedere debent, nisi velint incurrere iras domini et dimissionem. Et insufficienti portione potius, colonus cito premitur necessitatibus vitae recurrendi ad commodatum et ad usurarios, inops enim, nulla securitate proprietaria fulcitus, nonnisi ad usurarium accedere potest. Et usurarius optimam occasionem videtur in necessitate inopis, exigendi magnum redditum; cui inops consentire debet si remedium immediatum pro miseria obtinere velit. Quin immo, miser colonus gratiam usurarii servare debet, si velit iterum invenire remedium pro miseria in futuro.[5]

At, non hic sistit misera sors coloni. Insufficienti portione adeptus, colonus obtinere debet frumentum pro sustentatione familiae tempore quo segetes crescunt in agro, et pretia frumenti altiora inveniuntur; et constringitur vendere suam portionem, ad solvendum debita, tempore messis, quando mercatus est inundatus frumentis et pretia labuntur. Sicque, vixdum colonus suam portiorem vendiderit, et debita aegre redimere potuerit, quando iterum in inopiam labitur et ad commodatum recurrere debeat. Et ita colonus vitam agit de uno debito in aliud, et in labore perpetuo ad extricandum se a debito, quin tamen ullam spem habeat adipiscendi meliorem sortem. Colonorum sors durior invenitur praesentia villicorum, qui dispensationem agrorum ducunt loco dominorum absentium. Eorum enim pars augetur. quo minor fit portio colonorum. In ipsorum potestate est allocare agros, et dimittere colonos indociles; et quo maiorem partem dominis praesentare possunt, maiore favore apud illos gaudent. Nihil mirum, si in talibus circumstantiis coloni non exerceant maiorem diligentiam, neque terra gignet fructus pro posse: labor enim et dispendia maiora ad augendum productivitatem terrae redundarent in maius emolumentum domini, absque ullo dispendio aut labore eius; aut forent occasio pro domino exigendi maiorem partem deinceps.[6]

Mala socialia ex latifundiis. – Altera ex parte, domini latifundiorum potientes maiori parte frumentorum, et colonorum partem emptione facile obtinentes, plerumque indulgent speculationibus aut opitulantur speculatoribus ad maiores redditus obtinendos. Ita contingit ut frumenta reconduntur ad parcitatem artificialem inducendam, aut plus exportatur quam oporteat, specietenus ad augendum redditum nationalem, re

[5] Cf. Fr. Piñon E., O. P., *Op. cit.,* in *Unitas,* a. 32, n. 1, ian.-mart. 1959 p. 90 s.

[6] Id., *Op. cit.,* loc. cit.

vera ut abundantia e medio tollatur, et societas debeat plus pro pane solvere in emolumentum divitum. Quibus de causis, Status moderni intellexerunt regimen latifundiorum esse inordinationem oeconomico-socialem; nec redundare in bonum communitatis, quod maior pars hominum in servitute oeconomica et egestate vivat ad dulcorem vitae paucorum praedivitum. Intellexerunt non esse conforme iustitiae sociali quod classis fundamentalis societatis, quemadmodum est classis agricolarum, in inedia vivat, et vana fore magna dispendia et armorum gestiones ad repressionem communismi, si perseverat inordinatio oeconomico-socialis quae nimiam difficultatem vitae et miseriam in multitudine gignit; democratia enim et ordo socialis aegre vigere possunt apud stomachos vacuos.

Insuper, Status moderni intellexerunt productivitatem normalem agrorum et sufficientiam frumentorum aegre obtineri posse, si agricolae servitute oeconomica et egestate adstringuntur. Intellexerunt vitam ruralem de suo meliorare non posse, si fructus laboris non manet apud ruricolas. Item conspexerunt quod, nisi capacitas emptiva existat in multitudine ad fortem mercatum constituendum pro industria, evolutio industrialis nationis vix possibilis evaderet; quia cito superproductio attingeretur, ob meram carentiam consumptionis. Unde, nationes agriculturales, saepe etiam infraevolutae dictae, aestimaverunt nisi regimen latifundiorum cedat aequiori et rationabiliori formae possessionis agrariae, gressus oeconomiae nationalis praepediretur. Recte conspexerunt regimen latifundiorum non esse regimen possessionis humanae sed dispossessionis multitudinis, et oportere discriminare possessionem agrariam ab aliis, et imponere moderamen super eam. Unde, ad providendum bono et utilitati hominum; ad redimendum institutionem possessionis a forma illegitima subserviente tantum deliciae paucorum praedivitum; ad exsequendum principium possessionis privatae secundum formam magis rationabilem, et ad disseminandum proprietatem in utilitatem societatis, plerique Status moderni manus iniecerunt ad expropriationem latifundiorum.

Problema morale. – Attamen, quia regimen latifundiorum sanctionem accipere videtur ex longa praxi priorum aetatum, ipsum fulciri in iure naturali proprietatis privatae. Actio expropriativa Status videtur contraire huic iuri. Etiam contraire videtur verbis Leonis XIII dicentis: « Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis... Nam, si ad meliora contendere concessum est non repugnante iustitia; at alteri, quod suum est detrahere, ac per speciem cuiusdam aequalibilitatis in fortunas alienas involare, iustitia

vetat nec ipsa communis utilitatis ratio sinit ».[7] Sed, num res ita sit, remanet videre ulteriori investigatione super functiones et limitationes proprietatis privatae, de quibus in sequentibus agendum est.

Caput 2

PROPRIETATIS PRIVATAE IURA ANALOGA ET FUNCTIONES ANALOGAE

Influxus Liberalismi. – Lapis angularis cuiusvis systematis oeconomico-socialis est doctrina de proprietate. Liberalismus suam positionem desumpsit ex parte conceptionis traditionalis; cui tamen superimposuit propriam conceptionem individualisticam et afinalisticam. Liberalismus consideravit ius proprietatis tamquam unum de iuribus fundamentalibus, tali modo cum libertate individui nexum, ut libertatis existat munimen naturale, et simul cum ea legibus tuendum. At, liberalismus iura conspexit modo afinalistico et, inde, absoluto. Quapropter consideravit ius proprietatis tamquam de se illimitatum, et nonnisi ab aequali iure proprietatis aliorum hominum et exigentiis boni publici, quasi extrinsece et accidentaliter, limitatum. Cum autem bonum publicum non sit idem ac bonum privatum hominum, liberalismus poterat tranquillus manere ante miseriam multitudinis proletariae, autumans eam esse malum necessarium prosperae oeconomiae nationalis; nec ullum programma habuit pro redemptione proletariorum.[1] Denique, liberalismus fortiter asserens inviolabilitatem iuris proprietatis, eam nonnisi intellexit de iuribus possidentium.

Codex Napoleonicus statuerat: « Proprietas est ius fruendi et disponendi de rebus, modo perquam absoluto » (Art. 544). Similes conceptiones admissae sunt in pluribus legislationibus saeculi deciminoni. Vertente autem medietate eiusdem saeculi, ante conspectum malorum socialium consectantium usum arbitrarium proprietatis, doctrinae socialisticae, perperam confundentes abusum proprietatis cum ipsa proprietate, advocabant eversionem ordinis oeconomico-socialis existentis. Socialistarum actio suscitavit oppositionem ex parte contraria, et orta est defensio

---

[7] Encycl. *Rerum Novarum*.

[1] « Nam lege quadam oeconomica plane invincibili coacervationem omnem capitalis fortunatis cedere, eademque lege operarios perpetuae inopiae seu tenuissimae vitae addictos et obstrictos praedicabant ». *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* an. et vol. 23, n. 6, iun. I, 1931, p. 196.

proprietatis tamquam caput principale doctrinae conservatricis; liberalismo interim accepto tamquam doctrina conservatrix. Defensio ordinis socialis identificata est cum defensione proprietatis privatae; et structura oeconomico-socialis existens, ab altera parte considerata est tamquam res intangibilis. Nullus defensor proprietatis, ait Leclercq, curavit distinguere, quemadmodum oportebat fieri, inter unam et aliam proprietatem, inter regimen legitimum et illegitimum. Et in hac re auctores catholici non multum se secreverunt ab aliis. Ita factum est, ut defensio proprietatis privatae devenerit defensio proprietatis liberalisticae. Liberalismi exitus ita in oblivionem detrudit doctrinam traditionalem de proprietate, quae olim vigebat usque ad Locke, ut nostris diebus plurimi putent doctrinam traditionalem et omnium saeculorum esse doctrinam liberalem.[2] Eiusmodi identificatio facilior evasit, eo quod conceptus liberalisticus appropinquabat conceptui iuris romani, qui veluti legitima expressio iuris proprietatis habebatur.

Ius proprietatis privatae: Ius ad proprietatem habendam, et ius proprietariorum. – Antequam fusiori calamo procedamus, oportet clarificare quaedam. Primum est quod, ius proprietatis privatae est quid analogum, et potest significare aut *a*) ius acquirendi proprietatem, aut *b*) ius dominii sive dominorum. Illud est ius omnium hominum, etiam inopum; hoc alterum est ius possidentium. Haec duo iura numquam sunt confundenda. In ordine naturae et conceptus, illud prius est, et fundamentum huius. Unde, si illud derivatur a lege naturali, et hoc quoque vim accipiet a lege naturali; praesupposito tamen illo priore iure et sub conditione illius. Illud obtinetur cum rationali natura; hoc posterius obtinetur facto aliquo historico aut actione interveniente. Inter iura acquisita possidentium enumerantur iura administrandi vel disponendi, fruendi vel utendi re possessa. Ante haec tamen iura, invenitur ius habendi proprietatem. At haec expressio iterum duo significare potest, nempe: *a*) ius domini retinendi rem acquisitam cum exclusione aliorum; aut *b*) ius acquirendi rem ad retentionem exclusivam. Illud prius pertinet ad possessores; hoc posterius ad omnes homines, etiam inopes.

Propter identitatem expressionis unius alteriusque iuris, ius naturale habendi proprietatem, pertinens ad omnes homines, plerumque definitur conceptibus prioris iuris, scilicet tamquam « ius habendi, disponendi et utendi bonis cum exclusione aliorum ».[3] Haec expressio simul sumpta refert iura possidentium, et illud « ius habendi » significat ius

---

[2] Cf. LECLERCQ J., *Leçons de droit naturel,* vol. IV, 2ª ed. 1946, pp. 103-104.

[3] Cf. ANTOINE CH., S. I., *Cours d'économie sociale,* 4ª ed., p. 526. Ipse citat Torcellini Sylvium, Schalmzgruber, Lessium, Laymann qui simili modo loquuntur.

dominorum retinendi. Confusio haec vitanda est; cum enim ius acquirendi proprietatem ad omnes pertineat, iura dominorum non pertinent ad omnes. Elementum exclusivitatis retinetur in expressione, eo quod sine ea ius proprietatis aegre intelligeretur. Sed, maior confusio gignitur cum, ad medendum nimiam exclusivitatem proprietatis, fortiter asseritur absque discrimine bonorum aut quantitatis eorum, proprietatem privatam habere functionem socialem.

Etenim, qualis poterit esse in circumstantiis ordinariis functio socialis parvi agri, qui forse insufficiens est ad sustentandum decenter parvam familiam agricolam? Aut, quam functionem socialem poterit habere domus privata, vel currus privatus alicuius hominis? Eiusmodi indiscriminatae assertiones recedunt a sensu communi; et faciunt de doctrina sana rem absurdam. Conatus probandi functionem socialem proprietatis privatae ex paucis et insolitis casibus necessitatis extremae non attingunt propositum. Est compositio extrinseca et accidentalis proprietati, insufficiens ad impertiendum proprietati functionem socialem loquendo *per se*. In doctrina traditionali christiana, possessio moderatae proprietatis, quae est commensurata decentiae vitae individui eiusque familiae, de se non habet functionem socialem.[4] Esset impertinens adducere auctoritatem Pii XI, qui fortiter vindicavit functionem socialem proprietatis privatae in sua Encyclica *Quadragesimo Anno,* ad fulciendum affirmationem de functione sociali proprietatis privatae indiscriminatim; nam Pontifex non loquitur ibidem de quacumque proprietate privata, sed de proprietate productiva sive industriali quae, non tantum erigitur et agitur extensiva cooperatione sociali, sed de se praedita est transcendentia sociali, et maior est quam ut necessitatibus tantum paucorum hominum suppeditet.[5]

Cf. LIBERATORE, *Ethica et Ius Naturae,* part. I, c. 4, art. 2, n. 69 et 70; ZIGLIARA, *Ethica et Ius Naturae,* (38), n. III; FALLON, *Principes d'economie sociale,* 3ª ed., nota 1, p. 154; LLOVERA, *Sociologia Cristiana,* n. 244; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel,* vol. VI, 1946, p. 89.

[4] Cf. *Summam Theol.,* II-II, p. 32, art. 6.

Aliquis non tenetur erogare in eleemosynam de bonis quibus ipse sibi suaeque familiae indiget ad honestam subsistentiam. Attamen animus christianus suadet id facere, si homo illud facere valet sine magno incommodo sibi suisque. Sed, prout res se habent, ea quibus homo indiget ad honestam subsistentiam propriam et familiae non consistunt in mensura indivisibili; sed admittunt ambitum quemdam, ut etiamsi homo aliquid parvum quandoque subtrahat ad eleemosynam, adhuc habeat quae sibi familiaeque necessaria sunt.

[5] Scribit BRUEHL: « Possessio privata existit praecise propter bonum commune. Haec expressio applicatur ad capitale productivum, et quidem implicat quod,

Propter rationem analogam inopportunum esset adducere auctoritatem Aquinatis, qui docuit quod, quantum ad usus rerum exteriorum « non debet homo habere res exteriores ut proprias sed ut communes ».[6] Nam, primo, talis doctrina conspici debet in oeconomia sociali feudalismi, in qua retentio proprietaria magnorum fundorum nexa erat cum administratione gubernamentali domini feudalis; quapropter, possessio feudalis existebat non tantum pro bono individuali domini feudalis sed etiam subditorum. Aquinas hac in re expressit sensum in illa aetate communem. Secundo, doctrina Aquinatis refetur ad possessionem substantiae, quae maior est quam sit necesaria ad suppeditandum necessitatibus vitae privatae individui. Eiusmodi amplior possessio, ut inferius ostendetur, non obedit exigentiis vitae humanae individui, sed principio divisionis rerum ad utilitatem humanam tum socialiter tum individualiter.

Opportunum est determinare sensum expressioni: Proprietas privata habet functionem socialem. Haec expressio potest significare: *a*) substantiam vel rem possessam habere functionem socialem; aut, *b*) ius ad proprietatem possidendam habere functionem socialem; aut, *c*) exercitium possessionis privatae, sive administrationem, habere functionem socialem. In casu possessionis moderatae mensurae, quae commensurata est tantum ad suppeditandum necessitatibus privatis individui eiusque familiae, ordinarie loquendo, substantia possessa non habet transcendentiam socialem; neque ius ad illam possidendam, neque possessio eius habet functionem socialem. At, in casu magnae possessionis, tam substantia possessa, quam ius ad eam possidendam et administrandam, habent transcendentiam socialem de se; et ideo afficiuntur functione sociali.

Iura Analoga. – Proprietas denotat exclusivitatem et haec denominatio applicatur tam rebus, quae cadunt sub possessione; quam iuribus possessionis actualis dominorum. Sub denominatione iurium proprietatis veniunt diversa iura complementaria, inter quae viget ordo na-

---

possessio privata mediorum productionis est magis utilis et conducibilis ad bonum commune quam possessio collectiva eorumdem. Propter bonum communitatis, capitale productivum est conservandum, augendum et oeconomice operandum; quod probabilius melius fiet sub possessione privata quam sub possessione collectiva.

Media productionis possunt privatim possideri et tamen administrari modo societati beneficioso. Unde, capitalista gerit functionem admodum utilem societati, ipse enim congregat elementa necessaria ad producendum bona pro communitate. Haec functio, de se, est vere socialis, quamvis abuti potest ad fines non sociales sed egoisticos ». *The Pope's Plan for Social Reconstruction,* p. 48 s., N. Y., 1939.

[6] *Summa Theol.,* II-II, q. 66, art. 2 c.

turalis.[7] Sic, ius acquirendi rem exclusivam est ad exclusivam retentionem, haec vero ad exclusivam administrationem; et haec demum ad exclusivum usum aut fruitionem. Vel, e converso conspiciendo ea: ius usus privati de rebus postulat ius administrationis aut dispensationis privatae, et hoc postulat ius retentionis privatae, et hoc demum postulat ius acquirendi res privatas sive exclusivas. Ita, conspicere possumus ius derivandi utilitatem de rebus esse ius fundamentalius, eo quod caetera iura complementaria proprietatis non sunt nisi ad illud expediendum eique inserviendum. His iuribus respondent diversae functiones quae separari possunt, sicut contingit in temporibus modernis, in quibus administratio privata gestionum commercialium aut industrialium non fit a proprietariis sed ab alia entitate, quae tamen consideratur tamquam gerens vices proprietariorum.

Quando loquimur de iure naturali hominum ad proprietatem privatam, aut privatam possessionem, intendimus denotare ius acquirendi bona et, simul cum bonis, iura exclusiva possessionis. Illud est ius prius, et propter eius fundationem in lege naturali sequitur quod actualis possessio bonorum, dummodo sit conformis illi iuri, etiam obtineat vim a lege naturali. Non confundamus hoc ius acquirendi proprietatem cum iure quod plerique auctores, sequentes antiquos iuristas romanos, vocant ius « ad » praprietatem, per contrapositionem ad ius « in » proprietate. Ambo enim haec iura sunt iura dominorum; primum est ius domini, qui rem acquisivit, emptione aut alio modo, ut res eius ponatur sub eius potestate; alterum ius complectitur iura complementaria quae domini exercent in administratione aut dispensatione rerum propriarum.

Proprietas Possessionis et Possessio Proprietatis. – Generatim loquendo discernere possumus in historia conceptus ethici et politici duas tendentias relate ad iustificationem institutionis proprietatis privatae. Una videt iustificationem proprietatis privatae ex parte necessitatis et utilitatis socialis hominum; altera conatur vindicare proprietatem privatam ex parte necessitatis, utilitatis et iurium naturalium individui humani.[8] Hoc ducit nos ad autumandum adesse in hac re duo iura diversa, attamen analoga. Primum quidem est ius latius, extendens se

---

[7] Attamen, modernis temporibus nomen proprietatis etiam adhibetur ad significandum rem communem aut publicam e. g. proprietas communis aut publica. Et ideo, ad designandum rem propriam individuo vel individuis privatis, iam non sufficit nomen proprietatis, sed additur denominatio « privata ».

[8] Cf. CZAJKOWSKI C., *The Theory of Private Property in John Locke's Political Philosophy,* diss., p. 73. Notre Dame, Indiana, 1941.

ad maiorem quantitatem bonorum quam sit necessaria ad suppeditandum necessitatibus aut utilitati individui, eo quod hoc ius attendit utilitati et necessitatibus conviventiae humanae; alterum est ius minus latum, se extendens ad eam mensuram bonorum quae est commensurata ad sufficiendum necessitatibus vitae humanae individui eiusque familiae. Talis mensura est moderata, eo quod necessitates vitae et utilitas humana, quam invididuus sumere potest de rebus ad sufficiendum necessitatibus propriis et familiae, sunt limitatae. Haec duo iura non se invicem excludunt. Illud ius latius includit hoc posterius, inquantum finis utilitatis socialis continet locum pro utilitate individuali, quamvis huic principaliter non attendat.

Verumtamen, oportet notemus differentias fundamentales unius alteriusque iuris. Ius amplius subserviens utilitati sociali, ex eius fine et ex transcendentia sociali bonorum possessorum, essentialiter pollet functione sociali praeter functionem privatam. Et possessio privata bonorum, sociali momento et transcendentia praeditorum, conformiter ad hoc ius, secum fert essentialiter scopum socialem. Inde, privata possessio talium bonorum habet, ex una parte, functionem privatam, scilicet, administrationem privatam; et ex altera parte, scopum socialem, scilicet bonum et utilitatem societatis. Uno verbo, possessio privata talium bonorum ex sua natura ordinatur ad administrationem privatam, quae sit socialiter utilis. Evidens est quod tale ius advenit individuo, non praecise quatenus est individuus, et attentione facta ad eius necessitates individuales; sed quatenus est membrum societatis et, inde, naturaliter adaequatus aut vocatus ad exercendum functionem privatam necessariam et utilem societati. Proinde, vocare possumus hoc ius latius ad possessionem privatam, ampliorem quam sit necessaria ad sufficiendum necessitatibus individui, tamquam ius naturale « sociale » individui.

Conceptus Antiquorum. – Eiusmodi fuit conceptus antiquorum Scholasticorum, qui positionem suam sumpserunt ex parte utilitatis socialis ad vindicandum institutionem possessionis privatae, necnon ius ad eam. Sub hac luce perspicere possumus sensum et momentum doctrinae Aquinatis qui docuit quod, bona terrae quantum ad acquisitionem et administrationem, debent esse propria vel exclusiva; sed quantum ad beneficia obtinenda ex eis aut ex eorum administratione, non debent esse exclusiva.[9] Hoc ius et possesionem privatam prae mente habebat Pius XI quando scripsit: « Igitur pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos, qui, Ecclesia duce et magistra, docuere theo-

---

[9] *Summa Theol.,* II-II, p. 66, art. 2 c.

logos, negare unquam vel in dubium vocasse duplicem dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affirmasse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huc fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possunt nisi certo et determinato ordine servato ».[10]

Ex dictis facile perspicitur quod, conceptus supra expositus recte exprimitur tamquam « proprietas possessionis », non vero tamquam « possessio proprietatis ». Expressio qua Sanctus Thomas utitur quando loquitur de hac materia est prior, scilicet, « proprietas possessionis ».[11] Et bene quidem, nam existit differentia fundamentalis inter unam et alteram expressionem, quamvis haec ordinarie praetermittitur. Proprietas enim denotat exclusivitatem. In expressione « proprietas possessionis » exclusivitas cadit super possessionem et administrationem, non vero super beneficia bonorum aut administrationis eorumdem. Sic erat conceptio traditionalis christiana quantum ad possesionem divitiarum: earum possessio iustificari poterat tantum administratione socialiter utili aut beneficiosa. Unde, divites considerabantur veluti administratores divitiarum suarum, quibus eis non licebat uti tantum in commodum proprium.

Conceptio christiana de possessione bonorum, quae non sunt limitata ad sufficiendum necessitatibus humanis individui tantum, sed essentialiter sunt praedita transcendentia sociali, quemadmodum est capital industriale, sequitur eumdem processum discursivum. Possessio talium bonorum est proprietas possessionis; non vero possessio proprietatis, connotantis exclusivitatem utilitatis et beneficiorum ex eis. Ius possessionis privatae quoad talia bona est administratio privata, non vero absorptio omnium emolumentorum aut beneficiorum, semel ac partes domini et administratoris, secundum mensuram aequitatis et rationabilitatis, desumptae sunt. Eadem de causa, ius acquirendi et retinendi eiusmodi bona non est pro beneficio exclusivo domini aut administratoris. Hoc aequipollet dicere administrationem, in oeconomia industriali non iustificari, si agit cum operariis ac si essent meri factores productionis, et si compensat eos ea tantum mensura, quae conservet eos aptos pro labore productivo. Administratio debet eos compensare de emolumentis

---

[10] *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, an. et vol. 23, iun. 1, 1931, p. 191 s.

[11] *Summa Theol.*, II-II, q. 66, art. 2 ad 1um.

productionis tali mensura quae praebeat eis posse ducere vitam decentem; et hoc quidem non tantum in virtute iustitiae socialis, sed etiam ex ipsa ratione essendi iuris possessionis privatae bonorum praeditorum transcendentia sociali. Scopus enim socialis horum bonorum attenditur ex ipsa transcendentia sociali eorum; et eorum possessio essentialiter correspondet iuri, quod denominavimus « sociale » individui.[12]

In expressione vero « possessio proprietatis », exclusivitas cadit super bona possessa. Hoc in sensu bona possidentur et administrantur ad beneficium exclusivum domini. Talis est conceptus proprietatis privatae conspiciendo eam ex parte utilitatis individualis; et quidem est rationabilis conceptus, quantum ad possessionem moderatae substantiae, quae tantum commensurata est ad satisfaciendum necessitatibus individui eiusque familiae. Non enim negari potest, ob rationes quae ad propositum adducuntur quod, individuus, quatenus talis et praeditus responsabilitate ducendi vitam honestam, et se suosque ducendi ad perfectionem humanam, habet ius ad possessionem proprietatis tamquam medium necessarium ad attingendos fines vitae humanae privatae. At tale ius non se extendit ultra moderatam proprietatem de rebus, id est, ultra id quod est necessarium ad sufficiendum exigentiis decentiae vitae et perfectionis humanae individui eiusque familiae.

Conceptus Liberalisticus. – At, in sequela liberalismi sensus individualisticus nactus est acceptionem communem, et conceptus « proprietatis possessionis » antiquorum, sensim sine sensu, transivit ad « possessionem proprietatis ». Haec mutatio eo facilius evasit quod expressio communis « proprietas privata » aeque locum dat interpretationi « proprietatis privatae quantum ad possessionem », et « possessionis quantum ad proprietarem privatam ». Non negamus legitimitatem unius alteriusve interpretationis. Immo, una alterave adhiberi debet secundum quod agitur de uno alterove iure analogo proprietatis privatae. Tamen, Liberalismi exaggeratus individualismus abstulit omne discrimen in hac re, et, simul cum illo, conceptum de aliqua fundamentali functione possessionis privatae, ita ut apud plurimos terminus « proprietas privata » non vocet in mentem nisi « possessionem proprietatis ».

Dicit Leclercq: « Auctores catholici in genere non differunt ab aliis

[12] Si vero nimia competitio apud productores efficit impossibile elargitionem eiusmodi salarii, tunc potestas publica intervenire debet et cohibere eiusmodi competitionem antisocialem. Competitio non debet ferri usque ad extremismum oeconomicum aliorum competitorum; nam talis competitio non est conformis cum scopo conviventiae humanae, nec cum administratione bonorum terrae ad utilitatem vitae humanae.

auctoribus. Qui contra sentiunt sunt rari, et non bene recipiuntur. Anno 1891 Encyclica *Rerum Novarum* his praebuit pretiosum incitamentum; at oppositio sive aperta sive operta, in quam offensum est, fuit generalis. Profunda fuit regressio et conceptus christianus ita in liberalismo immersus, ut fere medium saeculum opus fuit ut tandem aliquando iam habeamus doctrinam de proprietate fere completam. Deventum est ad hoc ut, etiam nostris diebus, homo classis mediae putet doctrinam traditionalem omnium aetatum esse doctrinam liberalem ».[13]

Insufficientia Conceptionis Individualisticae. – Ex duabus positionibus defendentibus institutionem et ius proprietatis privatae, antiquior quae partes sumit ex ultilitate conviventiae humanae includentis utilitatem individualem, adaequate explicat institutionem possessionis privatae, prout haec invenitur in historia et usu populorum. Etenim, conceptio individualistica, vindicationem sumens ex parte utilitatis et necessitatis individualis, non potest praebere ullam normam practicam in hac materia; eo quod non datur ulla mensura fixa ad determinandam quantitatem bonorum quae sit commensurata praedictae utilitati et necessitati: diversa enim bona aliam et aliam mensuram postularent. Sed, insufficientia positionis individualisticae clarius apparet cum redarguitur ab hostibus proprietatis privatae; eadem enim argumenta, quae fautores individualismi adhibent ad probandum ius proprietatis privatae, adducuntur a socialistis et communistis ad illud denegandum.

« Vos quidem dicitis, divites habere ius ad possessiones suas, quia homo habet ius naturale ad proprietatem privatam; quod quidem ius derivatur ex eius iuribus ad decentiam vitae, ad perfectionem suae personalitatis, ad providendum pro futuris contingentibus et necessitatibus, et ad legandum filiis. Sed, quidnam de multitudine proletariorum, nonne hi habent eadem iura? Quarenam divites habere plus quam sibi sint necessaria, hi vero nihil? Non est necesse ad praedictos fines assequendos, aut ad praedicta iura realizanda possidere nimiam substantiam aut latifundia »! Aedificium doctrinale individualismi ruit ante haec obiecta. Argumenta ex parte adversa valida sunt. Idem principium quod adduxerat Locke ad firmandum suam munitionem individualisticam, scilicet, ius hominis ad fructus laboris sui, postea adhibitum est a Marx ad negandam legitimitatem possessionis capitalisticae, et ad vindicanda omnia emolumenta productionis pro opificibus.

[13] *Leçons de droit naturel,* vol. IV, p. 104, 1946.

CAPUT 3

IURIS AD POSSESSIONEM PRIVATAM DERIVATIO EX LEGE NATURALI

Ius Originarium. – Doctrina quae adaequate explicat ius et institutionem possessionis privatae, secundum mensuram quae maior est quam necessitates privatae individui postulant, est antiquior doctrina quae rem considerat ex parte utilitatis socialis includentis utilitatem individualem. Prout formulatur ab Aquinate est doctrina quae vindicare valet ius et institutionem praedictam contra impugnationes communismi, et insimul continet principia ad restaurandam institutionem possessionis privatae ad structuram rationabilem.

Iuxta hanc doctrinam ius possessionis privatae non est ius originarium. Originale ius est ius hominis utendi bonis terrae non tantum ad sufficiendum necessitatibus corporalis vitae sed etiam ad perficiendam suam partem rationalem. Hoc ius advenit homini ex fundamentali subordinatione bonorum et entium irrationabilium ad utilitatem hominum, tam socialiter quam individualiter. Praedicta subordinatio instituta est ab ipsa natura, quatenus ipsa praebuit homini naturam rationalem et personalem, et sic constituit hominem supra talia bona, et dedit ei naturalem dominationem super ea, et naturalem capacitatem utendi eis ad fines vitae humanae. Haec ordinatio ad inserviendum usui naturali et beneficio hominum ad realizationem finium, quos natura assignavit existentiae humanae, est inhaerens bonis terrae.[1] Attamen, natura nullum bonum particulare assignavit ullo homini particulari ad talem propositum.

Hac de causa, dicitur quod, communitas « negativa » bonorum terrae invenitur ex parte naturae, eo quod natura non assignavit particularia bona hominibus particularibus; sed omnia bona terrae indiscriminatim destinavit beneficio hominum. Ex hoc tamen concludi non licet quod, regimen communismi « positivi » quoad bona terrae fuit de intentione naturae, aut quod hoc cadit sub scopo eiusdem; tali enim regimine propositum naturae de bonis terrae assequi non posset. Dum enim homines afficiantur necessitatibus quae suffici non possunt nisi usu individuali bonorum, communismus positivus universalis bonorum officeret; eo quod usus individualis secumfert appropriationem rerum, praesertim si de rebus consumptibilibus agitur. Communismus faceret de seipso rem absurdam, si advocaret universalem communismum bonorum. Ideoque, in

---

[1] Cf. S. THOMAM, *Contra Gentiles,* lib. III, cap. 112.

regiminibus communisticis non invenimus communismum omnium bonorum, sed tantum communis possessio capitalium productivorum a collectivitate abstracta.

Principia Divisionis et Distinctionis Bonorum, et Possessionis Privatae. – Natura destinavit bona terrae ad utilitatem humanae vitae tam socialiter quam individualiter et, ita, indirecte sanxit eas rationes quae ad hunc finem sunt necessariae. Communismus universalis esset impeditivus huic fini; nam nimis manifestum est quod, aliquis homo non posset sumere utilitatem de veste aut calceamentis si haec non appropriantur sibi. Non tantum individui impedirentur in usu bonorum terrae, sed rixae et perturbationes orirentur in exitium conviventiae humanae. Hinc, dici non potest quod communismus universalis bonorum cadit sub scopo naturae, sed potius e converso est; eo quod talis communismus frustraret in toto vel pro magna parte intentum naturae. Ad assecurandum propositum naturae de bonis terrae, necesse fuit adhibere divisionem et distinctionem bonorum, et institutionem possessionis privatae, cum iuribus exclusivae retentionis et administrationis. Iam vidimus subordinationem existentem inter haec iura: ius retinendi inservit iuri administrandi aut dispensandi ad utilitatem humanae vitae, quae coincidit cum fine naturae.

Divisio et distinctio bonorum, et possessio privata ob eas firmandas instituta, non tantum sunt necessariae ad assecurandum usum rerum, sed etiam utilitatem conviventiae humanae; scilicet, ad obtinendam initiativam et responsabilitatem oeconomicam privatam modo spontaneo et humano, et ad assequendam coordinationem et cooperationem socio-oeconomicam, quae omnia sunt necessaria societati; et demum, ad obtinendum pacem actuosam et ordinem socialem dynamicum stabilem. Hinc, gentes ab aetatibus primaevis bene conspexerunt necessitatem divisionis et distinctionis bonorum et, ad hunc effectum firmandum, etiam necessitatem institutionis possessionis privatae; easque constituerunt. Sunt media necessaria ut propositum naturae de bonis terrae verificetur. Quapropter, conceptio traditionalis conspexit divisionem et distinctionem bonorum, et possessionem privatam eorum tamquam fundatas in lege naturali, et ab ea sancitas. Principium quidem divisionis bonorum inservit utilitati individuali; principium distincttionis bonorum utilitati sociali, ut specializatio officiorum et coordinatio oeconomica obtineatur simul cum pace actuosa; et demum principium possessionis privatae ad praedictam divisionem et distinctionem bonorum firmandam. Et ex talibus principiis, advenit hominibus ius ad possessionem privatam. Notetur tamen quod, principium possessionis privatae derivatur a principiis divisionis et distinctionis bonorum, eisque subservit.

Dicit Aquinas: « Ius sive iustum naturale est quod ex sui natura est adaequatum vel commensuratum alteri. Hoc autem potest contingere dupliciter. Uno modo, secundum absolutam sui considerationem: sicut masculus ex sui ratione habet commensurationem ad feminam ut ex ea generet ... Alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratum non secundum absolutam sui rationem, sed secundum aliquid quod ex ipso consequitur: puta proprietas possessionum. Si enim consideretur iste ager absolute, non habet unde magis sit huius quam illius; sed si consideretur quantum ad opportunitatem colendi et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quamdam commensurationem ad hoc quod sit unius et non alterius ».[2] Iterum, ipse dicit: « Communitas rerum attribuitur iuri naturali, non quia ius naturale dictet omnia esse possidenda communiter et nihil esse quasi proprium possidendum; sed quia secundum ius naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum... Unde proprietas possessionum non est contra ius naturale; sed iuri naturali superadditur per adiventionem rationis humanae, investigantis rationes rerum et vitae humanae, ut postea explicabit Leo XIII.[3]

In his citationibus observare potuimus quod, expressio adhibita a Sancto Thoma in materia proprietatis, non est « possessio proprietatis » quae est versio liberalistica connotans exclusivitatem bonorum; sed « proprietas possessionis », conformiter ad doctrinam traditionalem et eius positionem ex parte utilitatis conviventiae humanae. Est etiam conformis doctrinae ipsius Aquinatis qui docet quod, quantum ab bona quae inserviendo beneficio personali non limitantur, homo non debet ea considerare tamquam exclusive pro suo beneficio existentia, sed etiam aliorum hominum.[4] Haec doctrina praebuit fundamentum pro doctrina pontificia moderna secundum quam, possessio privata capitalis, non tantum ratione ordinationis fundamentalis bonorum terrae ad utilitatem hominum, sed etiam ratione ipsius possessionis privatae, existit non tantum pro beneficio exclusivo dominorum sed etiam pro commodo humano opificum. Et ideo, potestas publica habet ius regulandi administrationem capitalis productivi intuitu commodi humani opificum et boni societatis in genere. Quae doctrina aegre intelligi potest in conceptione liberalistica proprietatis.

Pontificum Doctrina. – Quantum ad fundationem iuris ad possessionem privatam in lege naturali sequentia sunt verba Leonis XIII: « Merito

---

[2] *Summa Theol.,* II-II, q. 57, art. 3.

[3] *Summa Theol.,* II-II, q. 66, art. 2 ad 1um. Cf. *Ib.,* I-II, q. 94, art. 5 ad 3um.

[4] *Summa Theol.,* II-II, q. 66, art. 2.

igitur universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque tranquillo convicto maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit ».[5] « Quod vero terram Deus universo generi hominum utendam, fruendamque dederit, id quidem non potest ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in commune dicitur, non quod eius promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione ».[6] In his verbis invenimus expressionem et doctrinam de possesione privata quam supra pandimus, et Pontifex asserit ius possessionis privatae esse ius derivatum, et a sensu communi humanum acceptum tamquam fundatum in lege naturae. Invenimus denique duo principia, scilicet, partitionis bonorum et possessionis privatae, ut fundata in lege naturae, et « cum hominum natura pacatoque et tranquillo convicto maxime congruentia ». Quibus verbis Pontifex tangit duo iura analoga: ius individuale sese sub iure sociali individui continens.

Pius XI sequentia, de suo, docet: « Igitur pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos qui, Ecclesia duce et magistra, docuere theologos, negasse unquam vel in dubium vocasse duplicem dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affirmasse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possunt nisi certo et determinato ordine servato ».[7] « Idem et Nos ipsi docuimus cum ediximus, ut eam utilitatem res creatae certo firmoque ordine parere possint hominibus, bonorum partitionem, quae per dominia privata fiat, ab ipsa natura esse stabilitam. Id quod, ne a recto veritatis tramite aberretur, continenter prae oculis habeatur oportet ».[8] At, Pontifex immediate observat: « Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur ». Et attenta ratione sociali possessionis

---

[5] Enc. *Rerum Novarum.*

[6] Enc. *Rerum Novarum.*

[7] *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, an. et vol. 23, n. 6, iun. 1, 1931, p. 191.

[8] *Quadragesimo Anno,* ibid., p. 196.

privatae productivae, concludit idem Pontifex: « Quamobrem divitiae, quae per incrementa oeconomico-socialia iugiter amplificantur, singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa, quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas ».[9]

His verbis Pius XI loquitur de divisione bonorum et possessione privata tamquam principiis complementariis ad finem naturae de rebus terrae assequendum. Consentit doctrinae traditionali asserenti ius possessionis privatae a natura esse hominibus datum, ut bona quae Deus destinavit utilitati hominum, huic fini vere deserviant. At, admonet non omnem distributionem substantiarum, effectam per possessionem, attingere finem a Deo at a natura intentum quoad bona terrae; sicut quando adest concentratio emolumentorum productionis, aut fundorum. Etenim in his casibus non datur vera partitio aut distributio bonorum. Unde ex talibus concentrationibus non sequitur beneficium hominum, sed impedimentum quominus ipsi vitam humanam decentem ducant. Insuper, hominum miseria, servitus oeconomica, et instabilitas socialis sequuntur. Non utilitas, sed nocumentum societati obtinetur. Possessio liberalistica est versio fraudulenta institutionis traditionalis possessionis privatae. Ius naturale possessionis privatae, deserviens principio divisionis bonorum ad eam modo stabili firmandam ad beneficium hominum, non se extendit ad concentrationes substantiarum. Valida sunt argumenta marxismi contra possessionem liberalisticam, quae omnem speciem aequitatis et rationabilitatis abstulit ab institutione traditionali possessionis privatae.

Doctrina Classica. – Tamquam repraesentantem conceptionem classicam extra partem catholicam adducimus Pufendorf, qui de hac re sic loquitur: « Communionis vocabulum accipitur vel *negative* vel *positive.* Illo modo communes res dicuntur, prout considerantur, antequam ullum extiterit factum humanum, quo peculiariter ad hunc magis quam ad illum pertinere declaretur. Eodem sensu etiam eiusmodi res dicuntur *nullius,* sensu magis negativo, quam privativo, i. e. quod nondum certo alicui sint assignatae, non quod certo alicui assignari nequeant. Vocantur etiam res in medio quibusvis expositae. Communes autem res in altero significatu a propriis differunt dumtaxat, quod hae ad unam personam; illae autem ad plures eodem modo pertineant ».[10] « His ita praemissis manifestum est, ante omnia hominum conventa fuisse omnium rerum communionem, non quidem illam, quam positivam diximus, sed negativam,

---

[9] *Quadragesimo Anno,* ibid., p. 196.

[10] PUFENDORF S., *De Iure Naturae et Gentium,* Amstelodami 1688. Re-ed. photographica a J. Scott 1934, cap. 4, n. 2, p. 363. Classics of International Law, Carnegie Endowment for International Peace, Washington.

i. e. res omnes fuisse in medio positas, et non magis ad hunc quam ad illum pertinuisse. Sed cum res hominibus usum non praebeant, nisi saltem illarum fructus adprehendantur, et vero frustra hoc fiat, si aliis iterum eripere liceat; quae iam in usus nostros actu destinavimus: inde prima conventio inter mortales circa res haecce intelligitur; ut quod quisque ex rebus in medio positis, earumve fructibus adprehendisset, ea intentione ut istud ad usus suos applicaret, id ipsi ab altero non eriperetur ».[11]

« Non enim extat praeceptum aliquod iuris naturalis, quo omnes res ita propriae hominum iubentur esse, ut cuivis sua portio divisum sit assignanda. Etsi lex naturalis factis suaserit, hominum conventione eiusmodi rerum assignationem ad singulos introduci, prout ex usu societatis humanae foret, ita tamen ut ex iudicio hominum dependeret, omnes, an certas dumtaxat res vellent facere proprias an quasdam indivisim possidere, reliquas velut in medio expositas relinquere, ut tamen eas nemo sibi soli vindicare posset. Unde etiam ius naturae intelligitur adprobare omnes conventiones, quae circa res ab hominibus sunt introductae, modo contradictionem non involvant, aut societatem perturbent. Ergo proprietas rerum immediate ex conventione hominum, tacita aut expressa, profluxit. Etiamsi enim, posita concessione Dei, nihil reliquum erat, quam ut homo res occuparet: tamen ut per occupationem seu adprehensionem caeterorum ius ad eam rem exclusum intelligeretur, conventione utique opus fuit. Quod autem sana ratio suaserit dominia introduci, id non obstat, quominus illa originarie ex pacto humano profluant ».[12]

« Equidem concessit Deus homini, terram, terraque nascentia, et animalia ad usum et commoditatem suam adplicare, seu indefinitum ad ista ius hominibus dedit... Sed quo modo providendum esset, ne ex usu eius iuris discordia inter homines oriretur, ipsis hominibus praevia sane ratione determinandum fuit relictum. Hautquidquam autem ab ipso Deo universalis quidam modus res possidendi fuit praescriptus, quem omnes homines tenerentur observare. Adeoque per expressum aliquod mandatum Dei res neque propriae, neque communes (communione positiva) factae sunt: sed super hoc ab hominibus deinde dispositum, prout tranquillitas societatis humanae exigeret ».[13] Addendum autem est quod, si divisio bonorum et possessio privata necessarie sunt ad assecurandum finem naturale de bonis terrae, scilicet, utilitatem hominum socialiter et individualiter; tunc, non solum consiliantur a lege naturali sed ab ea-

---

[11] Id., *Op. cit.,* n. 5, p. 366.
[12] Id., *Op. cit.,* n. 4, p. 366.
[13] Id., *Op. cit.,* n. 4, p. 365 s.

dem exiguntur, non quidem expresse aut directe, sed implicite et indirecte, relate ad illas species bonorum et iuxta mensuram, quae necesariae sunt ad praedictum finem.

Clarificatio. – Adest in praesenti materia punctum quidem obscurum, quod saepe minus recte intelligitur et, ideo, postulat clarificationem, scilicet, assertio auctorum maioris momenti quod, divisio bonorum et possessio privata introductae sunt ex condicto hominum. Verum est quod ante divisionem bonorum et institutionem possessionis privatae bona erant communia, communitate negativa, inquantum nulla res pertinebat ad ullum eorum. Attamen, perspecta necessitate assecurandi utilitatem socialem et individualem de bonis terrae, et perspecta necesitate ad hunc finem introducendi divisionem bonorum et privatam possessionem eorum, homines ductu suorum ducum cito consenserunt in divisionem bonorum et exclusivam retenionem eorumdem. Ita, origo historica divisionis bonorum et possessionis privatae obedit condicto humano. Ita etiam, iura acquisita proprietatis historice habuerunt ortum ex quodam originali condicto.

Hanc rem explicans Grotius dicit quod, aliqua res facta est obiectum possessionis privatae, non mero actu mentis aut voluntatis, quia alii homines non poterant scire quasnam res aliquis possidere intendebat, ut ab illis sese abstinerent; et praeterea plures potuissent eamdem rem desiderare; sed potius condicto quodam, sive expresso ut fit per divisionem bonorum, sive implicito per occupationem. Ut primum communitas bonorum relicta est, et nulla divisio bonorum effecta, supponendum est quod omnes consenserunt ut quicumque rem aliquam occuparet, ea esset sua.[14] Non est autem putandum quod auctores, qui originem factualem divisionis bonorum et possessionis privatae assignaverunt condicto humano, vellent docere vim moralem iuris et institutionis possessionis privatae deberi tantum humano condicto. Praedicti auctores loquuntur de iuribus acquisitis possessionis privatae, et de factuali emergentia possessionis privatae. Nulla contradictio datur in hoc quod, aliquid vim deducat ex lege naturali et, ex alia parte, originem factualem ducat ex condicto humano; sicut matrimonium vim deducit ex lege naturali, et tamen originatur condicto partium.

Tale vero condictum poterat esse tacitum vel expressum. Dicit Pufendorf: « Quamdiu ipsa rerum corpora nondum fuerunt certis assignata, istis haec tacita fuit conventio, ut quisque hominum ad suos usus, ex fructibus potissimum rerum, arripere posset, quod vellet, et quae consumi

[14] Cf. GROTIUM, *De Iure Belli ac Pacis,* lib. 2, cap. 2, part. 2, sec. 5; PUFENDORF, *Op. cit.,* n. 9, p. 372.

poterant, consumeret. Ac talis usus rerum universalis utcumque supplebat vicem proprietatis; et quod quis sic arripuerat, id ei eripere alter nisi per iniuriam non poterat ».[15] « Porro in hisce rebus, etsi ratio aliqua adpareat, quare convenientius sit eas ad hos, quam ad alios pertinere; eorum tamen dominium, exclusionem caeterorum involvens, utique pacto aliquo saltem tacito erat confirmandum, cui tacita simul renunciatio caeterorum inesset, quod nihil amplius iuris ad res uni assignatas velint praetendere ex eo praetextu, quod terra tamquam commune hominum domicilium iisdem rebus materiam, aut nutrimentum praebuerit ».

« Res autem immobiles per naturam citra industriam humanam productas, i. e. agros, quod attinet, cum eorum tanta foret laxitas, ut paucitati primaevorum hominum abunde sufficerent; ideo de istis ab initio tantum fuit occupatum, quantum usibus suis conveniens homines iudicabant; reliqua in statu communionis primaevae seu negativae relicta, ut ea occupare in posterum posset, cuicumque id libitum foret. Heic ergo tale pactum intervenisse intelligitur; ut qui agri per expressam conventionem caeterorum hominum alicui essent assignati, aut quibus caeteri tacite cessisse iudicarentur ideo, quod unum solum istis frui quiete pateretur, ipsi alios simili modo sibi assererent; illi ad cultores suos pertinerent. Quod reliquum esset, illis cederet, qui deinceps eos agros occupaturi forent ».[16]

Usus Bonorum Terrae. – Demum, advertendum est quod usus bonorum terrae prout intenditur a natura non se extendit ad qualemcumque applicationem bonorum, sed essentialiter ad applicationes quae necessariae aut conducentes sunt ad attingendum fines quos natura assignavit vitae humanae, tam socialiter quam individualiter. Unde, applicatio bonorum terrae solummodo, aut principaliter, ad ducendum vitam delitiosam et socialiter sterilem, non cadit sub scopo legis naturalis sancientis possessionem privatam; nec sub scopo iuris naturalis ad possessionem privatam. Talis applicatio divitiarum non esset contraria legi naturali, nisi quando fit cum damno societatis, aut magnae partis eiusdem. Attamen, ea certe non sancitur a lege naturali praebente ius ad possessionem privatam.

Propter similem rationem, applicatio substantiarum solummodo ad redditus aut maiores divitias accumulandas, non cadit sub scopo legis naturalis. Talis potest esse finis « hominis oeconomici » liberalismi; at, non est finis humanae existentiae. Si enim bona terrae sunt media vitae

---

[15] *Op. cit.*, n. 9, p. 373.
[16] *Op. cit.*, n. 6, p. 368.

humanae ad attingendum fines ei assignatos a natura, finis activitatis humanae aut vitae humanae non potest consistere in accumulatione talium bonorum, absque inversione valorum et functionum. Neque appropriatio bonorum terrae ad meram retentionem et accumulationem, absque administratione aut applicatione socialiter utili, cadit sub scopo legis naturalis aut iuris naturalis ad possessionem privatam; sicut contingit quando extensi fundi retinentur absque cultura, aut quando frumenta reconduntur ad inducendum parcitatem artificialem et emolumentum faciendum de necessitatibus hominum. Ius enim ad possessionem privatam in mensura maiori quam necessaria est ad suppeditandum necessitatibus vitae humanae individui, non est ad meram retentionem, sed ad administrationem socialiter utilem, ut docet Aquinas; conformiter ad destinationem naturalem bonorum terrae ad utilitatem hominum, et conformiter ad institutionem originariam possessionis privatae ad inserviendum tali fini.

Eadem de causa, neque lex naturalis neque ius possessionis privatae conferunt ullum ius destruendi frumenta, lac, aut indumenta, ad ea removenda ab usu hominum, propter parcitatem servandam et alta pretia. Eiusmodi destructio esset intra scopum iuris liberalistici possessionis privatae, sed adversatur scopo naturae et iuris naturalis ad possessionem privatam.

Caput 4

DOCTRINAE AQUINATIS VINDICATIO

Obnubilatio Doctrinae Aquinatis. – Ex quo tempore conceptio individualistica proprietatis primatum obtinuit, doctrina Aquinatis hac in re minorem appretiationem nacta est. Rationes quas adducit, multis videntur infirmae aut etiam in crisim sunt adductae. Et tamen est doctrina quae valet iustificare ampliorem possessionem, quam individuus indiget ad sufficiendum suis privatis necessitatibus et ad sua iura naturalia exercenda. Nisi enim utilitas et bonum sociale postularent privatam administrationem bonorum productivorum, ad obtinendum ea ratione, modo spontaneo et naturali, capacitates et activitates oeconomicas hominum, absque impositione manus ferreae super personalitatem et libertatem eorum; nulla esset iustificatio vindicandi ullum ius naturale individui ad possessionem maiorem quam necessitates eius vitae privatae requirunt. Verum quidem est quod, individui possident capacitatem oeconomicam ultra necessitates vitae individualis sufficiendas. At, mera capacitas gerendi res non dat verum ius; sicut mera habilitas faciendi plura non confert homini ius ad illa facienda.

Planum est, ex dictis, ius naturale individui ad ampliorem possessionem ei non advenire quatenus est individuus affectus officio attendendi ad proprias necessitates; sed inquantum est membrum naturale societatis atque ita, naturaliter proportionatus ad exercendum ea quae sibi competunt ad bonum et utilitatem societatis. Eiusmodi ius naturale complectitur partem privatam, scilicet, administrationem privatam et, ad hunc propositum, retentionem privatam; et partem socialem, scilicet, beneficium et utilitatem socialem. Hinc, Aquinas in hac re loquitur de proprietate possessionis, qua expressione vult significare exclusivitatem afficere retentionem et administrationem, non vero beneficia. Et quantum ad beneficia, dominus non debet considerare bona productiva possessa ut exclusiva sibi. Est inferentia logica. Dum, si haec doctrina applicaretur conceptioni individualisticae, esset undequaque inadaequata. Nam, ex una parte, nimis probaret, eo quod iustificat possessionem maiorem quam sit necessaria ad necessitates vitae individualis sufficiendas; et ex altera parte, esset etiam insufficiens, eo quod non admitteret exclusivitatem etiam quoad bona quibus individuus indiget ad proprias necessitates sublevandas.

Non ideo negamus individuo, quatenus est, talis, advenire ius analogum ad proprietatem privatam. Et tale ius denominavimus « individuale », per distinctionem ab alio iure analogo ad ampliorem possessionem, quod advenit homini intuitu boni societatis et quod « sociale » denominavimus. Sed, ius individuale ad proprietatem privatam non se extendit ad magnas substantias possidendas: non enim necesse est ad sufficiendum necessitatibus vitae privatae hominis possidere decem domos aut currus, aut quinquaginta hectaria agrorum, aut mille millium « dollarium ». Quamvis enim modo positivo difficile est determinare usquequo ius individuale se extendat, eo quod diversae species rerum diversam mensuram postularent et, ideo, impossibilis evadit aliqua mensura legalis positiva in genere sed tantum relate ad speciem determinatam; tamen, non est ita difficile eiusmodi mensuram determinare modo negativo quoad aliquam speciem particularem.

Prima Ratio Aquinatis. – Docet Aquinas: « Circa rem exteriorem duo competunt homini. Quorum unum est potestas procurandi et dispensandi. Et quantum ad hoc licitum est quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humanam vitam, propter tria.

« Primo quidem, quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit quam aliquid quod est commune omnium vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune; sicut accidit in multitudine

ministrorum ».[1] Est de experientia communi: homines enim parati sunt ad fruendum beneficiis communibus et spontanee refugiunt laborare pro aliis aut afferre bona, super quae alii ius haberent, eo quod sunt fructus communis proprietatis. Immo, difficile intelligitur quomodo in regimine communitatis positivae bonorum productionis aliquis sibi appropriare possit partem communis proprietatis ad producendum bona suis necessitatibus suppeditandis. Et, si necessitas premat aliquem ad producendum de proprietate alterius, e. g. de fundo sibi locato, cura sua coarctatur ad extrahendum beneficia, dimissa sollicitudine servandi aut agendi bonas conditiones agri. Multo minus erigeret quis capitale productivum multis dispendiis, nisi posset illud administrare cum exclusione aliorum et sibi sumere partem de bonis aut emolumentis quae affert; nam in hoc casu, industria cuiusque non esset sibi in emolumentum, nec desidia propria in nocumentum.

Hinc, in regiminibus communisticis communitatis collectivae bonorum productivorum, nisi Status dictet quid homines agant, et nisi manum ferream et severas poenas adhibeat ad costringendum homines ut praescriptam mensuram bonorum producant, societas cito inveniretur absque bonis necessariis; et capitalia productiva communiter possessa essent communiter neglecta. Sed, sub regimine terroris et coactionis, societas desinit esse communitas humana et fit mera aggregatio mancipiorum, ex qua spontaneitas vitae et libertas auferuntur. Necesse fit conculcare personalitatem humanam, et erga homines agere ac si essent iumenta laboris. Unde, nisi velimus transformare societatem in magnum campum laboris praereptum qualitatibus et valoribus humanis, nisi velimus eripere ab hominibus spem de futuro meliori obtinendo et gaudium vitae, oportet serventur divisio privata bonorum etiam productivorum et institutio possessionis privatae.

Sed, etiamsi Status, qui exclusive bona provideret, valeret servare productionem, non est par initiativae privatae in afferendo bona societati. Initiativa enim et activitas privata, quamvis lucri gratia moveantur, producunt bona attendendo ad necessitates et desideria hominum; dum Status provisor exclusivus producit bona iuxta fines proprios, et iuxta normas quas determinat. Talis Status dictat qualitatem et quantitatem consumptionis per exclusivam regulationem productionis. Competitio privata, quae comitatur initiativam privatam, dummodo intra terminos rationabilitatis servetur, utilis est ad providendum societati bona pretiis quae respondent expensis productionis. Sed, opus est

---

[1] *Summa Theol.,* II-II, q. 66, art. 2.

restringere competitionem irrefrenatam, quae intendit alios competitores et ipsam liberam competitionem e medio tollere. Unde, necesse est refrenare tendentiam ad concentrationem vel monopolium possessionis capitalisticae.

Critica Leclercq. – Leclercq arguit primam rationem Sancti Thomae infirmitatis, aiens haeredes magnarum substantiarum plerumque carere laboriositate; immo, otiositatem esse vitium habituale aristocratiae. Cum enim homines inclinantur ad segnitiem, si necessitate non premantur ad laborem, ab eo se abstinent.[2] At clarus auctor non advertit argumentationem suam non applicari possessioni privatae, quam ratio Sancti Thomae prae mente fert; sed possessioni liberalisticae, quae est extensior quam ratio utilitatis socialis et individualis permittit, et ideo cadit extra scopum legis naturalis et iuris naturalis ad possessionem privatam. Ad eiusmodi possessionem ius naturale non se extendit, propter inconvenientias quas affert societati et membris eius, et bono morali ipsorum dominorum.

Idem auctor addit quod, aliquis stimulatur ad laboriositatem quando prae mente habet emolumentum consequendum, id est, quando maiori labore posito sperat maiora obtinere. Sed hoc est praecise quod locum habet quando possessio boni productivi est moderatae proportionis. Argumentatio Leclercq hoc indicat, scilicet, limitationes rationabiles esse apponendas intuitu boni et utilitatis socialis, et distinctionem necessariam esse faciendam inter bona productiva, scilicet, inter capitale industriale et capitale agriculturale. Primum enim haberi potest absque determinata limitatione, alterum non existit nisi in limitata mensura. Primum non est medium necessarium ad substinentiam pro multitudine ruricolarum, sicut est alterum.[3]

Secunda Ratio. – Altera ratio quam adducit Sanctus Thomas sic se habet: « Alio modo, quia ordinatius res humanae tractantur si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandae; esset autem confusio

---

[2] *Leçons de droit naturel,* vol. 4, p. 124, 1946.

[3] « Superabundantia divitiarum et mendicitas vitanda videntur ab his qui volunt vivere secundum virtutem, inquantum sunt occasiones peccandi: abundantia namque divitiarum est superbiendi occasio; mendicitas vero est occasio furandi et mentiendi, aut etiam periurandi ». S. THOMAS, *Summa Theol.,* 3, q. 40, art. 3 ad 1um.

« Non est sufficiens legislator ex hoc, quod solum facit substantias civium aequales; sed oportet quod ipse determinet aliquod medium, ita scilicet quod sit tanta quantitas possessionum, ut neque superflue possint delitiis intendere, neque etiam nimis parce vivere compellantur ». S. THOMAS, *Com. in Politicorum Aristotelis,* lib. 2, lect. 8, n. 262, p. 84, ed. Marietti 1951.

si quilibet indistincte quaelibet procuraret ». Aliis verbis, si quilibet indiscriminatim res produceret, adesset anarchia oeconomica, dispendium virium humanarum; nam abessent coordinatio et efficientia, etiam in suppositione quod, talibus in conditionibus, bona oeconomica ullo modo produci possint. Homines non possent sese exercere in operibus, ad quae habilitatem naturalem habent; nec adessent specializatio et divisio laboris, quae necessariae sunt ad civilizationem et progressum humanum. Ad omnia haec necessariae sunt distincta administratio opum, et ob hunc finem possessio privata. Inde, iuxta mensuram progressus civilizationis invenimus in historia populorum specializatio et divisio laboris productivi, et insimul possessio privata.

Dicit Pufendorf: « Cum humani indoles ingenii satis ostendat, in magna hominum multitudine, vitam variis artibus excolere aggredientium, quietam decoramque societatem subsistere non posse citra distincta rerum dominia; ideo rebus humanis ita requirentibus recte et ex scopo legis naturalis eadem sunt introducta ».[4] « Communio illa velut in actu signato considerata durare non potuit, ni homines perpetuo vellent esurire, et nudi ambulare. Quo minus autem cum temperamento aliquo proprietas subsisteret, nihil prohibebat, quamdiu neque maximus hominum numerus existeret, et iidem vitam simplicem agerent. Id tamen certum est, quo magis auctus fuit hominum numerus, vitaque excoli coepta, eo maiorem fuisse necessitatem plures res proprietati subiiciendi. Inde barbari satis ac simplices sunt populi, qui proprius adhuc a communione primaeva absunt; puta qui herbis, radicibus, fructibus sponte natis, venatu, piscatione vitam tolerant, nullo alio censu, nisi casa, et vili suppellectile ».[5]

Critica Kelsen. – Hans Kelsen in crisim vocat hanc secundam rationem dicens: « Novimus sat primitivas communitates agricolas apud quas res maioris momenti, scilicet terra, non possidebatur a privatis personis, sed a tota communitate; et experientiae praeteritorum viginti quinque annorum manifestant organizationem communisticam sat possibilem esse in statu potenti et admodum industrializato... Caeteroquin, proprietas privata historice non est unicum principium super quod ordo legalis adstrui possit. Declarare proprietatem tamquam ius naturale, quia ipsum solum respondet naturae, est conari erigere in quoddam absolutum aliquod speciale principium, quod historice nonnisi definito tempore et sub determinatis conditionibus politicis et oeconomicis devenit

[4] *Op. cit.*, n. 14, p. 379.
[5] *Op. cit.*, n. 13, p. 378.

lex positiva ».[6] Ita scribit iurista positivus, et ad suum intentum probandum recurrit ad communitates primitivas, ac si id quod est naturale homini esset primitivum. Auctor debet probare propositionem iuxta quam, apud omnes communitates agricolas primitivas omnes fundi detinebantur sub communitate positiva, quemadmodum ipse significare videtur.

Ut vero omnem ambiguitatem in posterum praecludamus, iuvat advertere quod, aliquid dicitur naturale duobus modis. Uno modo materialiter, sicut ex principiis naturae ex necessitate causatum; et sic naturale est homini esse nudus aut etiam famelicus. Hoc sensu neque institutio matrimonialis, neque familiae, neque possessionis privatae, est naturalis. Alio modo aliquid naturale dicitur quasi formaliter, ad quod natura inclinat ad consequendum finem hominibus ab ea assignatum; licet hoc perficiatur mediante libero arbitrio. Hoc in sensu manducare et laborare sunt quid naturale hominibus, sicut etiam institutio matrimonialis et familiae, aut etiam possessionis privatae; quia ratio naturalis inclinat homines ad ea.[7] Demum, quemadmodum scribit Pufendorf: « Quando asserimus, natura omnes res negative fuisse communes, non hoc dicimus, quasi ius naturae praecipiat istum statum rerum perpetuo conservare; sed quod res consideratae citra ullum antegressum factum humanum tales fuerint, ut non magis ad hunc quam ad illum pertinuerint. Contra quando tradimus, suadente ratione ab ista communione discessum, non id pertendimus, necessarium fuisse, ut uno momento omnes res sub proprietatem irent; sed prout indoles hominum, rerum, locique requirerent, et prout commodissime litium materia videretur intercipienda. Adeoque neque nos in legem naturae peccavimus, exterminata penitus communione primaeva; neque barbari, multis eiusdem vestigiis adhuc retentis ».[8]

Argumentum adductum a Kelsen procedit ex suppositione quod, aliqua institutio historica, propterea quod est aliquid positivum, ideo non habet fundamentum in aliquo iure aut lege naturali; ac si homo ipse, eiusque in cultura progressus, non essent quid historicum et tamen naturale. Natura manifestatur historice, et iura naturalia manifestantur exigentiis vitae et conviventiae humanae. Verum est, principium divisionis possessionum non esse unicum super quod ordo politicus et « *legalis* » posset adstrui. Ordo legalisticus posset etiam erigi super

---

[6] *General Theory of Law and State,* Transl., p. 11. Harvard University Press, 1949.

[7] Cf. S. THOMAM, *Summa Theol.,* Suppl. q. 41, art. 1.

[8] *Op. cit.,* n. 13, p. 378.

principium possessionis collectivae fundorum aliorumque fontium divitiarum. At tunc, quonam pretio? Expensis libertatis individualis et spontaneitatis vitae. Hoc modo etiam tyrannia posset seipsam iustificare erigendo ordinem « *legalem* » proprium. Res consideranda non est erectio ordinis legalis cuiusvis aut cuiusvis oeconomiae productivae; sed ordinis legalis qui inserviat bono conviventiae humanae, et conservet attributa et valores proprios eidem, non vero ordinis qui viget in aliquo campo laboris.

Si regimina communistica servare et promovere valuerunt productivitatem oeconomicam hoc huic debetur, scilicet, quod possessio communitaria relegata est ad possessionem collectivam nominalem, et Status sibi appropriavit omnia media productionis et omnes attributiones possessionis. Status assumpsit omnes functiones capitalismi, et simulans finem dare expoliationi hominum, eam adhibet in mensura grandiori. Status potuit augere productionem eo quod sequutus est vias capitalismi, convertendo nominalem collectivitatem in capitalismum privatum Status. Sed Status communisticus iamiam distractus problematibus statalibus, nequit esse bonus provisor bonorum; sed neque bonam gubernationem praebere valet propter nimiam inmixtionem in negotiis oeconomicis. Etiamsi Status portendere valeat signa magni progressus technici, tamen conditio vitae multitudinis manet demissa. Quid invenimus in regiminibus communisticis nisi maior proletariatus, cum conditionibus aggravatis? Quid est communismus proprietatis pro multitudine, nisi communismus paupertatis et impotentiae erga Statum capitalisticum omnipotentem et implacabilem, possidentem concentrationem potentatus politici et oeconomici?

Tertia Ratio. – Tertia ratio Sancti Thomae sic se habet: « Tertio, quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter ex indiviso aliquid possident, frequentius iurgia oriuntur ». Advertendum est, ab initio, quod haec ratio Aquinatis supponit quod homines, generatim, iam habeant aliquid de quo valeant esse contenti. Nam, vanum est expectare quod homines possent esse contenti, si inveniantur privati omni re; aut quod possint consentire conditioni in qua, etiamsi diligentiam adhibeant, perpetuae inopiae adstringuntur. Unde, esset extra elenchum quaestionis arguere sive in favorem sive contra hanc rationem Aquinatis, in conditionibus in quibus institutio possessionis privatae adhibita est ad excludendum homines a possessione privata, aut ubi adest magna multitudo proletariorum. Nec praedicta ratio vult dicere iurgia necessario orta iri ex mera possessione

communi rerum; sed in fruitione beneficiorum, ad quae singuli haberent iura aequalia ob communem possessionem bonorum productivorum.

Aegre concipi potest, in regimine communis possessionis bonorum productivorum fruitionem pacificam et liberam possibilem fore, sicut cogitat Marxismus, nisi prius supponamus omnes homines abnegatos. Supponere quod, mutatio conditionum oeconomicarum de regimine possessionis privatae ad regimen collectivae possessionis bonorum productivorum secum ferret mutationem hominum, ita ut de indolentibus et egoistis fiant laboriosi et altruistae, quemadmodum facit Marxismus, est nimia simplicitas. Sequendo tendentiam innatam, et considerata quantitate limitata bonorum ex una parte et, ex altera, consideratis propriis necessitatibus recurrentibus, homines, scienter aut inscienter, portionem suam augerent et iurgia orirentur. Unde, in regiminibus communisticis ordo et pax quae vigent, non sunt illae quae de cordibus hominum fluunt, sed quae a manu ferrea et timore gravium poenarum imponuntur. At, talibus in conditionibus, vera conviventia humana et vita socialis impossibiles evadunt. Etiamsi tantum consideremus ordinem et pacem, quae necessariae sunt vitae sociali, et quas distinctio possessionum efficaciter iuvat servare, institutio possessionis privatae iam inde sufficienter iustificaretur.[9]

Critica Leclercq. Iterum vero Leclercq in crisim vocat validitatem huius tertiae rationis saltem in modernis temporibus eo quod, ex una parte, proprietas est fons multorum et gravium malorum; et ex altera parte, collectivismus non importat ablationem ordinis socialis. Attamen, iterum clarus auctor graditur extra elenchum discussionis. Non est possessio privata ipsa fons malorum socialium, sed adhibitio possessionis privatae ad prosequendum unice finem « hominis oeconomici », praetermisso scopo sociali possessionis privatae. Non est possessio privata subserviens principio divisionis bonorum ad verificandum finem naturae de bonis terrae, quae causat miseriam multitudinis; sed inordinata et monopolistica possessio serviens fini « hominis oeconomici ». Non est institutio possessionis privatae, quae causat mala socialia; sed adhibitio eiusdem institutionis ad extrudendum homines a suis possessionibus, et ad

---

[9] Ne autem inferamus ex hac tertia ratione S. Thomae quod, institutio possessionis privatae est tantum effectus peccati originalis, sine quo, illa non existeret. Peccatum originale fecit talem institutionem urgentiorem; at, etiam sine eo, institutio possessionis privatae existeret propter alias rationes datas, scilicet, necessitas obtinendi pro bono societatis personalem initiativam et responsabilitatem in administratione bonorum productivorum; et necessitas distinctionis officiorum oeconomicorum.

eas capiendas. Demum, non agimus de qualicumque ordine sociali obtinendo, qualis inveniri possit in campo laboris coacti; sed de ordine sociali qui humanae conviventiae sit accommodatus, et relinquat maximam sphaeram possibilem personalitati et liberae determinationi hominum. Ne videamus ordinationem in quocumque ordine; nam etiam in tyrannia adest multus ordo, sed etiam magna inordinatio.

Crisis instituta a Leclercq procedit ex identificatione abusuum possessionis privatae cum ipsa institutione possessionis privatae. Iam vero, non ipsa institutio, sed abusus et inordinationes introductae ab Individualismo reprimendae sunt, prudenti legislatione sociali. Iam Aristoteles dixerat quod communismus « videtur amabilis hominibus propter mala quae (quis) putat tolli. Accusat enim aliquis mala, quae nunc fiunt in civitatibus, sicut disceptationes hominum ad invicem circa contractus, tamquam omnia ista fiant propter hoc quod possessiones non sunt communes. Sed si aliquis recte consideret, nihil horum fit propter hoc quod possessiones non sunt communes, sed propter malitiam hominum ».[10] Si mala socialia essentialiter debentur privatae possessioni bonorum productivorum, nulla invenitur ratio quare res aliter essent, reponendo omnes attributiones et iura possessionis in manibus Status.

Quae omnia nos ducunt ad concludendum usus insociales et individualisticos possessionis privatae reprimendos esse, et limitationes necessarias esse apponendas possessioni bonorum productivorum, quae naturaliter inveniuntur limitata, et necessaria sunt multitudini hominum ad victum obtinendum. At, principium divisionis bonorum et institutio possessionis privatae non sunt abolendae, si velimus servare structuram humanam societatis. Eadem de ratione, restrictiones super iura possidentium et super portionem eorum non sunt multiplicandae, ne initiativa privata suffocetur. Immo, mala accidentalia, quae quandoque ex possessione privata oriuntur, toleranda sunt, si ea amoveri nequeant sine gravi dispendio iurium possessionis; ne eliminando minora mala amoveamus beneficia maiora ab hominibus et societate. Inter haec maiora bona sunt valores liberae determinationis personalis, et vita praedita significatione pro individuo.

Demum, Aquinas dicit: « Aliud vero quod competit homini circa res exteriores est usus ipsarum. Et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes: ut scilicet de facili aliquis ea communicet in necessitates aliorum. Unde Apostolus dicit:

---

[10] Cf. S. Thomam, *Comment. in 2 Politicorum Aristotelis,* comm. n. 205, ed. Marietti, 1951.

" Divitibus huius saeculi praecipe facile tribuere, communicare " (*I Tim.*, ult. 17-18) ».[11] Haec non est nisi logica sequela doctrinae quam superius exposuimus, pandentes conceptionem traditionalem de possessione privata, instituta ob utilitatem socialem et individualem. Ius naturale ad possessionem bonorum praeditorum transcendentia sociali, adveniens homini intuitu utilitatis socialis et individualis, non excludit quominus dominus sibi sumat, de emolumentis obtentis, portionem proportionatam functioni oeconomico-sociali quam exercet. At, non iustificat quominus dominus sibi omnia emolumenta appropriet. Non iustificat quominus capitalista privatus consideret opifices tamquam mera elementa productionis. Privata possessio bonorum praeditorum transcendentia sociali est etiam ad horum utilitatem sicut et aliorum membrorum societatis, ordine tamen servato; scilicet, ut qui conferunt ad providendum bona societati, maiorem de eis utilitatem obtineant sub forma emolumenti.[12]

CAPUT 5

IURIS POSSESSIONIS PRIVATAE RATIO ANALOGA

Ius analogum et applicationes analogae. – Quae hucusque dicta sunt ducunt nos ad intelligendum ius naturale ad possessionem privatam non secum ferre structuram rigidam; sed tam ipsum quam lex naturalis sanciunt quodvis systema aut regimen, quod conducibile sit ad propositum naturae de rebus terrae obtinendum, scilicet, utilitatem socialem et individualem hominum. Aliis verbis, lex naturalis et ius naturale non praescribunt aliquod systema aut regimen particulare, sed sanciunt quodvis quod sit proportionatum ad talem finem. Similiter, lex naturalis non praescribit omnia esse privatim possidenda, aut administranda aut fruenda, nisi secundum mensuram necessariam ad praedictum finem. Immo, dari possunt res, quarum privata possessio aut administratio, non esset necessaria neque conducibilis ad talem finem. Quo in casu facile conspicitur quod, lex naturalis non sancit privatam possessionem

[11] *Summa Theol.*, II-II, q. 66, art. 2.

[12] Unde irrationabilis clausura industriae aut gestionis, intuitu tantum finium privatorum aut individualium dominorum aut administrationis, non cadit sub scopo naturali possessionis privatae earumdem, neque sub scopo iuris eas privatim administrandi. Possessio enim privata substantiae praeditae transcendentia sociali respondet iuri « sociali » individui, ut dictum est.

talium, sed possessionem aut administrationem aut fruitionem communem vel publicam; prout utilitas aut beneficium hominum exigeret. Quae omnia ex ipsa ratione utilitatis socialis et individualis de rebus obtinendae, quae finis est legis naturalis sancientis ius possessionis privatae, facile perspicitur.[1]

Similiter, lex naturalis et ius naturale admittunt, vel etiam praescribunt, discrimen quantum ad bona possidenda. Sunt enim bona, quarum privata possessio non solum non est vere utilis hominibus, sed etiam socialiter periculosa aut obnoxia; sicut sunt arma explosiva et narcotica. Quantum ad eiusmodi bona facile conspicitur quod lex naturalis, sanciens possessionem privatam rerum propter utilitatem humanam, praescribere talium exclusionem ab ordinaria possessione privata; et ea permittere tantum sub determinatis cautionibus, ne omnino excludatur omnis utilitas quae de eis possit obtineri in aliquibus casibus. Similiter, lex naturalis sanciens possessionem privatam ad utilitatem vitae humanae, tam socialis quam individualis, praescribit instituere discrimen necessarium de possessione terrae, quae necessaria est multitudini ad subsistentiam; ne haec accumuletur in manibus paucorum cum damno multorum. Ius naturale ad possessionem privatam, oboediens legi naturali et principio divisionis bonorum, non se extendit ad eiusmodi concentrationem quae frustraret pro magna parte intentum naturae.

Demum, lex naturalis, sanciens possessionem privatam intuitu utilitatis socialis et individualis, eo ipso importat quamdam mutabilitatem sive adaptabilitatem. Aliis verbis, lex naturalis ratione illius finis, praescribit, attentis conditionibus socio-oeconomicis vigentibus, adaptare regimen aut formas possessionis privatae, ut praedictus finis assequatur. Quod bene notandum est; est enim ius ad possessionem privatam non quid absolutum aut ius originarium, sed ius consequens legem naturalem praescribentem institutionem possessionis privatae tamquam medium ad assecurandum hominibus utilitatem de bonis terrae. Et bene contingere potest quod, aliqua forma aut regimen possessionis privatae

---

[1] Praedicta explicatio ducit nos ad intelligendum, quare nam, in communitatibus religiosis apud quas sufficienter providetur usui individuali rerum necessariarum, propositum naturae quoad bona terrae iam attingitur absque necessitate possessionis privatae aut iuris ad eam, tamquam media ad praedictum propositum.

Unde, in talibus conditionibus, lex naturalis iam non obligat, ratione praedicti propositi, ad observantiam possessionis privatae; et religiosi valent renuntiari praedicto iuri. Attamen, non valent renuntiari iuri ad faciendum usum necessarium de bonis terrae, absque renuntiatione implicita officiis naturalibus exsequendis ob fines naturales existentiae humanae.

quod, in praeteritis temporibus, ob speciales conditiones aetatis, inserviebat beneficio et utilitati hominum, tum socialiter tum individualiter, nostris vero temporibus, ob mutatas conditiones socio-politicas et oeconomicas, iam non deserviat praedictae utilitate; sed eidem evaserit obnoxium. Qua de causa mutandum aut abolendum est, prout ratio finis intenti a natura in casu postulet.

Regimina et formae historicae diversae. – Scribit Pius XI: « Ut cetera socialis vitae elementa, ita dominium non esse plane immobile historia teste comprobari, Nos ipsi aliquando hisce verbis declaravimus: " Quam diversas formas induit proprietas a primaeva illa, rudium et agrestium gentium, quam etiam nostro tempore alicubi est cernere, ad possessionis formam aevi patriarchalis, atque ita deinceps ad varias tyrannicas (quod vocabulum vi sua classica adhibemus), deinde per feudales, per monarchicas usque ad varias aetatis recentioris species " ».[2] « Leo XIII sapienter docuerat " industriae hominum institutisque populorum esse a Deo permissam privatarum possessionum descriptionem " ».[3]

In communitatibus primitivis tribuum nomadarum non erat possessio privata terrae, sed tantum tuguriorum, instrumentorum venationis, animalium domesticorum et aliorum quae captu obtinebant, sive de animalibus sive de fructibus terrae. Conditio similis vigebat apud tribus sedentarias, quae venatione subsistebant; apud quas etiam privatim retinebatur solum ubi casa erat erecta. Apud populos pastorales principalis possessio erat grex; sed pascua erant communia. Quando autem numerus auctus hominum eos constrinxit obtinere victum principaliter de terra, et homines ad agriculturam sese verterunt pro subsistentia, invenimus possessionem privatam agrorum; sed etiam invenimus communitariam possessionem aliorum agrorum qui, distinctis temporibus, distribuebantur apud membra communitatis. Haec communitaria possessio aliquorum agrorum non erat res insolita apud communitates oeconomiae ruralis clausae, apud quas agricultura gerebatur pro subsistentia humana et non pro lucro commerciali. Stabilior possessio agrorum orta est cum necessitate intensius colendi terram, numero hominum magis aucto, et vita humana magis progressa in cultura.

Scribit Pufendorf: « Ab isthac porro communione rerum negativa sive primaeva homines discesserunt, et dominia rerum divisa pacto constituerunt, non quidem simul et semel, sed successive, et prout

---

[2] *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, vol. 32, 1 iun. 1931, p. 13.
[3] *Quadragesimo Anno,* Ibid., p. 193.

conditio rerum, aut indoles et multitudo hominum videbatur requirere. Sicut quondam apud Scythas pecora et supellex in proprietatem concesserant; agri in communione primaeva subsistebant ».[4] « Id autem recte Grotius: Siquidem communio illa negativa debeat persistere, citra perturbationem pacis communis, in magna simplicitate hominibus vivendum, contentis vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum, ferarumque pellibus tecto. Ubi exquisitius vitae genus placet, cuius commoda per industriam sunt procuranda, utique proprietate rerum opus esse ».[5]

Regiminis feudalis ratio. – In medio aevo, post lapsum administrationis Romanae, sequuta est regressio in administratione politica et in publica securitate. Modus res gerendi introductus a tribubus barbarorum simplificavit administrationem politicam associando eam cum administratione fundiaria, iuxta illud principium: nulla terra sine domino, et nullus dominus sine terra. Ad hoc regimen, prae se ferens characteres administrationis tribalis, multum contulerunt conditiones sociales illius aevi. Etenim, in conditionibus in quibus administratio politica erat rudimentaria et securitas publica tenuis, possessio privata agri secum ferebat pro hominibus popularibus maiora pericula vitae, libertati et possessionibus domesticis, ex parte catervarum latronum et ex parte cupiditatis dominorum minorum. Inde, bene intelligitur quare nam parvus ruricola paratus fuerit tradere domino aliquo potenti fundum proprium, et partem libertatis, in commutationem pro protectione vitae et rerum domesticarum, et pro usu securo fundi. Ad hunc finem, parvus ruricola tradebat fundum domino feudali; et rursus eumdem accipiebat sub forma praedii concessi. Domini feudales erant rectores communitatum quae radicabantur in suis possessionibus fundiariis; ex quo patescit quod domini feudales non tantum sibi solis habebant possessionem fundiariam sed etiam ad bonum subditorum.

Ex rudimentariis conditionibus socio-politicis temporum feudalium, et ex necessitate societatis sustentationis capiendae ope agriculturae, orta est etiam institutio colonatus illius aevi; iuxta quam homines in fundis radicabantur. Concentratio tamen fundorum illius aevi quodammodo temperata est distinctione usus a possessione terrae; nam usus cedebatur modo stabili agricolis, sive colonis sive liberis. Nostris temporibus, ruricola colens agrum non suum praecellit quidem antiquos colonos libertate politica; at, antiqui coloni, maiori securitate oecono-

---

[4] IUSTINUS, l. 2, c. 2. PUFENDORF, *Op. cit.*, n. 6, p. 367.
[5] PUFENDORF, *Op. cit.*, n. 9, p. 372.

mica gaudebant. Rursus, agricultura illius aevi gerebatur pro subsistentia vitae humanae in oeconomia clausa rurali, non vero propter fines commerciales; ad necessitates humanas sublevandas, non vero ad lucrum indefinite augendum. Nulla namque aderat utilitas commercialis pro productis agricolis in illo aevo; eo quod qui ea emere poterant erant alii magni domini qui, de suo, iam sufficientiam de talibus habebant. Neque aderant bona industrialia maioris momenti quae in mercatu obtineri poterant per commutationem. Demum, accumulatio frumentorum in horreis sensu carebat; quia frumenta peritura erant, et locus indigebatur pro novis messibus. Unde, bene intelligitur quare veteres theologi insisterent in obligatione communicandi de talibus superfluis in necessitates inopum.

Quamvis systema feudale mirum et insolitum nobis nunc videatur, tamen difficile intelligitur quale aliud systema poterat praebere illud minimum commodi socialis et individualis possibilis in dictis conditionibus socio-politicis. Difficile intelligitur quale aliud regimen poterat ligare dominum potentem ad providendum protectionem et illud minimum bene esse hominibus ruricolis; aut quis alius modus aderat pro iisdem obtinendi illud minimum securitatis et commodi possibilis tunc. Regimen feudale viguit etiam apud alios populos antiquitatis, et apud gentes culturae et administrationis politicae minus evolutae. Ad hoc regimen contulerunt mentalitas tribalis, difficultas communicationis inter administrationem politicam localem et centralem, necessitas obtinendi taxas sive tributa in oeconomica agriculturali ope administrationis localis, et necessitas compensandi gubernatores locales ratione expedita et simplici. In talibus rerum adiunctis, methodus simplex ex practica fuit commendare dominis minoribus localibus aliquam extensionem territorii. Ad regimen feudale firmandum contulit, non tantum necessitas protectionis ex parte ruricolarum; sed etiam necessitas habendi homines ad exsequendum proprios fines et ad asserendum propria iura vi armorum, ex parte dominorum.[6]

In civilizatione evoluta. – Civilizatio evoluta, ex una parte signatur altiori norma vivendi, densitate populationis, specializatione professionum et officiorum; ex altera vero parte, adsunt plures et extensiores necessitates, et suppeditationes naturales inveniuntur magis limitatae. Oeconomia socialis est complexa interactio et coordinatio activitatum

---

[6] Cf. LYBER A., *Sarracen Feudalism*; FRANKE O., *Chinese Feudalism*; ASAKAWA K., *Japanese Feudalism*, in *The Encyclopedia of the Social Sciences*, ed. Seligman, Macmillan.

humanarum, et gestiones privatae maiori transcendentia sociali pollent. Insimul maior initiativa privata et intensior operatio fontium bonorum necessariae sunt ad suppeditandum necessitatibus societatis. Quae omnia postulant clariorem definitionem possessionum privatarum et limitationem, intra terminos rationabiles, bonorum capitalium quae necessaria sunt multitudini ad subsistentiam, ut conditiones propriae pro vita humana ducenda serventur pro omnibus. Denique, in civilizatione moderna nova systemata, et novae formae possessionis privatae ortae sunt deservientes utilitati vitae humanae socialiter et individualiter.

Caput 6

IURIS POSSESSIONIS PRIVATAE NATURALIS LIMITATIO

Inhaerens limitatio. – In genere, iura naturalia sunt quasi instrumenta moralia ad attingendum fines, quos natura assignavit existentiae humanae. Inquantum talia, iura naturalia debent esse naturaliter commensurata finibus propriis assequendis, et ita ab iisdem naturaliter limitantur; quemadmodum martellum aut aliud eiusmodi instrumentum a proprio fine essentialiter limitatur quin possit esse quid illimitatum. Quid simile dicendum est de iure naturali ad possessionem privatam, quod advenit individuo intuitu utilitatis socialis et individualis; scilicet, non se extendit ultra id quod est utile vitae humanae socialiter et individualiter, nec ultra exigentias aut rationem praedicti finis.[1] Nunc vero, etiamsi modo generali et positivo non valeamus determinare ad quos terminos se extendat eiusmodi ius; attamen possumus, modo negativo, etiam cum certitudine, determinare quod ius illud non se extendit usque ad hoc quod impediat praedictum finem, aut contra ipsum agat. Sola conceptio afinalistica, quae considerat ius illud tamquam quid absolutum et non tamquam medium ad finem naturae assequendum, potest conspicere illud tamquam ius in seipso essentialiter

---

[1] « Quod autem divitiae quae consistunt ex rebus necessariis ad vitam, sint finitae, (Aristoteles) probat tali ratione. Nullius actus instrumentum est infinitum in multitudine, neque magnitudine; ars enim fabrilis non habet infinitos martellos, neque etiam unum aliquem martellum infinitum. Sed praedictae divitiae sunt quaedam organa oeconomici et politici, quia eis utuntur ad gubernationem domus vel civitatis. Ergo, huiusmodi divitiae non sunt infinitae, sed est eis aliquis terminus ». S. Thomas, in *Politic. Aristotelis,* lib. I, lect. 6, com. 109, ed. Marietti 1951.

irrestrictum. Eiusmodi est conceptio liberalistica, quae considerat ius ad possessionem privatam tamquam extrinsece tantum limitatum per iura acquisita aliorum super res.

Quod autem ius ad proprietatem privatam, quod individuo quatenus tali advenit, ad sufficiendum necessitatibus suis privatis et ad consequendum fines sibi a natura assignatos, non se extendat ad possessionem illimitatam, statim percipitur. Nullus enim finis naturalis individui, quatenus talis, neque perfectio propria, neque realizatio iurium naturalium individui qua talis, postulant possessionem illimitatam. Sed, neque ius legandi patrimonium filiis eam requirit; tale enim ius non se extendit ad legandum tantam substantiam, quae conferat filiis vitam delitiosam socialiter sterilem, quae extra terminos iuris naturalis invenitur. Caeterum filiis etiam, ex magna parte, provideri potest de futuro, educatione et capacitatione oeconomica. Omnia praedicta non requirunt nisi moderatam possessionem.

Argumentatio liberalistica. – Proinde, non sese extricat a conceptione liberalistica C. Antoine qui ita scribit: « Homo habet ius sibi procurandi ea quibus indiget ad sustentationem et decorem vitae suae; quem effectum ipse obtinet ope instrumentorum quae natura sibi donavit, scilicet, industriam et vires. Nunc vero, nulla lex naturalis limitat exercitium huius industriae et virium omnium quas homo accepit a natura. Inde, ex hac parte, terminus sui iuris non est alius quam ille quo attingere potest perfectio suorum instrumentorum, energia suarum virium, et capacitas suae industriae. Ex altera parte, eo quod alii homines fruuntur aequali independentia, ius proprietatis necessario limitatur a iure alterius. Ex quibus omnibus eruitur haec conclusio finalis quod, ius proprietatis se extendit ad omne illud quod non laedit ius alterius, scilicet, ad bona consumptibilia et productiva, ad fundos et ad capitale, absque restrictione quantitatis praedictorum bonorum ».[2]

Haec argumentatio undequaque defectu laborat. Imprimis, conclusio nimis patet. Argumentatio incipit dicendo quod, « Homo habet ius sibi procurandi ea quibus indiget ad sustentationem et decorem vitae suae ». At, quaerimus: Suntne necessitates hominis illimitatae? Non quidem. Et argumentum procedit: « Nulla lex naturalis limitat exercitium industriae et virium omnium quas homo accepit a natura ». Quaerimus, num talis affirmatio possit admitti? Potestne homo constituere sibi in finem, accumulationem divitiarum, aut eam facere occupationem totalem vitae suae? Nonne existit lex naturalis quae limitat exercitium industriae et

[2] ANTOINE C., S. I., *Cours d'économie sociale,* p. 531, ed. 4ª.

virium hominis intra terminos mediorum ad fines existentiae humanae? [3] Lex naturalis regit hominis facultates et earum exercitium; et ipsa non sancit possessionem illimitatam aut monopolisticam, neque quod homo faciat accumulationem divitiarum occupationem principalem aut totalem vitae suae. Ex hac parte, nemo potest sibi vindicare ius morale ad illimitatam possessionem.

Demum, argumentum concludit: « Ius proprietatis se extendit ad omne illud quod non laedit ius alterius... absque restrictione quantitatis bonorum ». Haec propositio duo significare potest: Primo, quod ius proprietatis se extendit ad omne illud quod non laedit iura acquisita aliorum proprietariorum; et haec est conceptio liberalistica quae considerat homines tantum tamquam individuos aequaliter independentes. Secundo quod, ius proprietatis se extendit quousque non laedat aut reddat vana iura humana aliorum ad vitam decentem et moralem ducendam, aut ius horum ad aliquod minimum de proprietate habendum. In hoc sensu, mera iura proprietariorum cedere debent iuribus humanis aliorum. Quisnam est sensus praedictae conclusionis? Ex hoc quod, argumentatio adhibet conceptiones et expressiones liberalisticas, et prae mente habet tantum independentiam aequalem hominum, et ex ulteriori explicatione quod eiusmodi ius est « absque restrictione quantitatis bonorum », conclusio evidenter prae se fert sensum liberalisticum.

Et quidem, cum limitatio externa ad possessionem capiendam, effecta per actualem possessionem bonorum ab aliis hominibus, tolli potest beneplacito eorum, sive venditione sive donatione; inde sequitur quod ius ad possessionem esset in seipso illimitatum. Longe aliter sentit Pius XI quando sequentia scripsit: « Ut salutare et omni laude dignum opus agunt

---

[3] « Dicit ergo (Aristoteles) quod causa huius dispositionis, quod scilicet, dispensatores domorum quaerunt augere pecuniam in infinitum est, quia homines student ad vivendum qualitercumque, non autem ad vivendum bene, quod est vivere secundum virtutem. Si enim intenderent vivere secundum virtutem, essent contenti his quae sufficiunt ad sustentationem naturae.

Sed quia praetermisso hoc studio, student ad vivendum unusquisque secundum suam voluntatem, ideo unusquisque intendit acquirere ea per quae possit suam voluntatem implere. Et quia concupiscentia hominum tendit in infinitum; ideo in infinitum desiderant ea per quae possint satisfacere suae concupiscentiae ». S. THOMAS, in *1 Politicorum Arist.*, lec. 8, comm. 126 et 129, ed. Marietti, 1951.

Medium ideale pro Aristotele quantum ad possessionem naturalem, ut neque superflue possint (cives) delitiis intendere, neque etiam nimis parce vivere compellantur ». S. THOMAS, in *2 Politic.*, Lect. 8, comm. 262. Naturalis autem possessio est eorum, quae per se proporzionantur ad sufficiendum necessitatibus bonae vitae, id est, secundum virtutem. Cf. comm. 121.

quicumque, salva animorum concordia et doctrinae integritate, quam semper tradidit Ecclesia, intimam horum officiorum naturam atque *limites* definire conantur, quibus vel *ipsum ius* proprietatis vel usus seu exercitium dominiorum sint a socialis convictus necessitatibus circumscripta ».[4]

Principium individualisticum. Principium et argumentum ex quibus Antoine deduxit hominis ius irrestrictum ad possessionem privatam potest sic exprimi: Homo habet ius naturale possidendi ea quae producit; aequum sane est, quod talia pertineant ad hominem, qui ea produxit. Nunc vero, non datur definita limitatio quantum ad productivitatem humanam, aut quantum ad bona quae homo producere potest. Ergo, ius individuale hominis ad possessionem privatam est de seipso illimitatum. Praedictum principium iam enuntiatum est a Locke in suo opere *De Gubernatione Civili.*[5] Fuit etiam principium quod Carolus Marx adhibuit ad vindicandum omnes fructus et emolumenta laboris productivi pro opificibus. Ex quo erui potest, principium illud esse nimis amplum ut a partibus contrariis adhiberi valeat ad proprium intentum. At, logica conclusio e tali principio deducenda, non est ius illimitatum ad possessionem privatam; sed e contrario, ius restrictum. Nam, ut sequamur eumdem processum discursus, homo solus non posset multa producere; eo quod opus est illi attendere ad multas alias necessitates vitae humanae. Et, si homo conducat laborem aliorum hominum, idem principium valeret ad hoc ut, hi, ex sua parte, sibi vindicarent portionem bonorum productivorum; quin conductor opificum possit sibi appropriare omnia.

At, principium illud in seipso expendamus. Estne verum quod, homo habet ius naturale possidendi omnia quae producit? Hoc enim dubitari licet. Nam, homo proprie loquendo non producit res, sed tantum transformat materias primas; et ideo ea, qua vocamus productionem, non est nisi adhibitio vel usus quidam rerum terrae. Et nunc quaerimus: Potestne aliquis homo, quatenus individuus, vindicare sibi ius illimitatum ad utendum rebus terrae? Sophisma latens in praedicto principio consistit in hoc quod, ex adhibitione rerum naturalium, quae locum habet in productione artefactorum, concluditur ius ad possidendum eas. Actualis adhibitio rerum, ex se non confert ius ad eas possidendas; alioquin absurdum sequeretur quod, qui adhiberet rem alterius, eo ipso acquiret ius possidendi eam.

---

[4] *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, vol. 32, 1 iun. 1931, p. 192.

[5] Lib. 2, cap. 5. Cf. CZAJKOWSKI C., *The Theory of Private Property in John Locke's Political Philosophy* (diss.), Notre Dame, Indiana, 1941. Idem principium tenuerunt in antiquitate iurista romanus Paulus, et Ioannes Parisiensis. Cf. Id., *Op. cit.*, p. 6.

Scribit Fallon: « Qualis est applicatio et fundamentum principii: Omnis individuus habet ius ad producta laboris sui? Hoc principium est insufficiens ad fundandum ius possessionis. De facto: *a*) in omni re, materia prima et effectus virium naturalium non sunt producta laboris; *b*) in regiminibus in quibus permutationes praevalent, valor laboris cuiusque est functio laboris omnium, tam capitalis quam suppeditationum naturalium excultarum. Ex alia parte, divisio laboris et functionum in processu productionis et permutationis, obstat quominus influxus cuiusque cooperantis in valorem producti determinari possit cum praecisione: productum laboris non est determinabile cum praecisione ».[6] Verum est Leonem XIII adhibere analogam locutionem in Encyclica *Rerum Novarum*. At, Pontifex non eam adhibet ad statuendum ius naturale ad possessionem privatam, multo minus ad vindicandum ius illimitatum; sed eam adducit ad ostendendum praedium agriculturale aptum esse ut privatim possideatur contra contentiones socialistarum agralium. Ex Pontificis argumentatione posset etiam erui quod, conveniens esset colentem possidere praedium quod operatur.

Aliud sophisma latens in argumento supra citato consistit in hoc quod principium, quod tamquam praemissa maior adhibetur, agitur de labore tamquam titulo ad actualem possessionem; scilicet, ad retentionem et dominium, de re producta; principium non refertur ad ius acquirendi proprietatem in genere. Postea, interponendo praemissam minorem quod, non datur determinata limitatio productioni humanae, argumentum concludit quod, ius ad acquirendum proprietatem, in genere, est illimitatum. At, ubinam est probatio? Nonne, res e contra se habet, scilicet quod, titulus ad actualem possessionem alicuius rei praesupponit ius acquirendi possessionem privatam in genere; quod iam demonstravimus esse limitatum? Tantum praesupposito hoc iure sequitur quod, si homo aliquis applicet suum laborem super obiectum nulli pertinens, cum intentione appropriandi illud sibi, possit illud vindicare ut suum. Unde, extra limites iuris naturalis ad possessionem privatam, aliquis non posset vindicare rem aliquam ut suam in virtute praedicti iuris.

Deficientia fundamentalis. Error fundamentalis Liberalismi fuit quod, fortiter asserens ius inviolabile proprietatis, illud intellexit de iuribus possidentium tantum; et praetermissit considerare ius fundamentalius hominum ad aliquam proprietatem habendam. Inde, evenit quod legislationes liberalisticae non ultra processerunt praeter munimen legale dandum iuribus possidentium; et dederunt fundamentum accusationi marxi-

---

[6] FALLON V., S. I., *Principes d'économie sociale*, p. 173 s., ed. 3ª.

sticae quo, mechanismus statalis erat instrumentum divitum. Ita etiam explicatur quare nam Liberalismus, ex una parte fortiter asserens inviolabilitatem iuris proprietatis, ex altera parte nihil fecit ad medendum miseram sortem multitudinis proletariae. Sed, sicut Van Gestel recte advertit: « defendere proprietatem privatam sine intentione illam extendendi ad omnes, praesertim ad opifices et patresfamilias, est sibi ipsi contradicere; eadem enim argumenta quae adducuntur in favorem appropriationis personalis bonorum, valent pro omnibus ».[7] Unde solutio Ecclesiae Catholicae pro problemate sociali non est abolitio possessionis privatae, sicut vult marxismus; sed rationabilior applicatio principiorum divisionis bonorum et possessionis privatae, ita ut possessio privata extendatur, quantum fieri possit, ad omnes. Ad hunc finem oportet creare eas conditiones socio-oeconomicas quae reddant homines, qui volentes et capaces sint, habiles ad acquirendum moderatam proprietatem.[8]

Finis fundamentalis inaniri nequit. Quapropter, si ius naturale ad ampliorem possessionem privatam existit ad utilitatem humanam, socialiter et individualiter, numquam potest existere tamquam impeditivum eiusmodi utilitati. Et similiter, constituta ad divisionem bonorum inter homines servandam, institutio possessionis privatae existeret contra suam rationem essendi, si deveniret instrumentum et munimen concentrationum substantiarum in damnum hominum. Haec institutio, ad utilitatem hominum constituta, nequit esse principaliter medium paucorum praedivitum ad redditus capiendos, et ad excludendum homines ab usu necessario terrae. Nequit esse merum medium ditandi paucos, et plurimos in

---

[7] *La doctrine sociale de l'Eglise,* p. 137, 1952.

[8] Ius hominum ad habendum aliquod minimum de proprietate privata non implicat obligationem in societate dandi bona hominibus, ea ratione tantum quod sunt proletarii. Nam ius, praedictum non excludit quominus homines diligentiam et laborem personalem exerceant ad illud obtinendum. Esset destructivum ordinis socio-oeconomici favere signitiei hominum, praebendo eis omnia quae eis necessaria sunt. Unde adiumenta socialia talis mensurae esse debent, ut aliquod adiumentum praebeant, absque eo quod locum dent segnitiei. Alioquin, industria alicuius non esset sibi in profectum; nec pigritia alterius esset ei in nocumentum.

Attamen, ius praedictum hominum postulat ut opportunitates provideantur, ut ii qui volentes et capaces sint, possint acquirere, ope industriae propriae, parvam proprietatem; ex qua sufficere possint necessitatibus praesentibus et providere de futuro. Illud ius etiam postulat ne idipsum inane reddatur concentrationibus mediorum naturalium subsistentiae, contra scopum legis naturalis sancientis divisionem bonorum et possessionem privatam in utilitatem hominum.

In genere, societas prospicere debet ut homines adiuventur et non impediantur in prosecutione finium naturalium existentiae humanae et in actuatione iurium naturalium; talis enim est finis consociationis humanae.

miseria retinendi. Si vero institutio possessionis privatae sic esset, tunc inaniret proprium finem; et ita in proprium exitium pergeret. Finis fundamentalis quem natura assignavit bonis terrae, qui est inservire necessitatibus et utilitati vitae humanae, tam socialiter quam individualiter, prae mente semper haberi debet; ne institutio possessionis privatae, ob illum finem assequendum instituta, exeat terminos proprios et propriam rationem essendi, et pergat in ruinam propriam.

Dicit Pius XII: « Omnis homo, quatenus est anima et ratione praeditus, habet, actione naturae, ius fundamentale utendi bonis terrae, quamvis commissum sit voluntati humanae et formis iuridicis populorum regulare, magis in specie, actuationem huius iuris. Eiusmodi ius nequit ullo modo supprimi aliis quibusve iuribus certis et agnitis super bona terrae. Haud dubio, ordo naturalis proveniens a Deo exigit, tam proprietatem privatam et libertatem commercii mutui de bonis terrae per commutationes et donationes, quam etiam functionem regulatricem potestatis publicae super alterutram harum institutionum. Nihilominus, haec omnia manent subordinata fini naturali bonorum materialium; nec possunt se emancipare a primo et fundamentali iure, quod omnibus hominibus eorum concedit usum; quin potius inservire debent ut reddant possibilem actuationem huius iuris per conformitatem ad talem finem. Isto tantum modo poterit et oportebit obtineri, quominus proprietas privata et usus bonorum materialium afferant societati pacem, prosperitatem et consistentiam stabilem; neque amplius gignat conditiones precarias quae, relictae immiti vicissitudini potentatus et infirmitatis, suscitent animositates et invidias ».[9]

Iam Pius XI dixerat: « Ut eam utilitatem res creatae certo firmoque ordine parere possint, hominibus, bonorum partitionem, quae per dominia privata fiat, ab ipsa natura esse stabilitam. Id quod, ne a recto veritatis tramite aberretur, continenter prae oculis habeatur oportet. Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur ».[10] Eumdem sensum manifestat Codex Socialis Unionis Internationalis Studiorum Socialium his verbis: « Bona terrae essentialiter ordinantur ad necessitates generis humani et omnium hominum sufficiendas. Attamen, haec communis destinatio non officit quominus privatim aut personaliter approprientur; quod conforme est naturae huma-

---

[9] *Nuntius radiophonicus* in 50° Anniv. *Rerum Novarum,* 1 iunio 1941. *A.A.S.,* 23 iunii 1941, p. 210. Translatio auctoris ex originali gallico.

[10] *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 1 iunii 1931, p. 196.

nae et ordini sociali. Quodcumque tamen sit regimen proprietatis, primaria destinatio bonorum terrae tutari debet ».[11]

Moderatio potestatis publicae. Quae hucusque dicta sunt ducunt nos ad intelligendum quod, tam lex naturalis quam ius naturale possessionis privatae, essentialiter admittunt regulationem potestatis publicae in materia possessionum. Vidimus quidem, legem naturalem sancientem tale ius, intuitu utilitatis socialis et individualis, non statuisse formam aut regimen fixum; sed, vi eiusdem finis, essentialiter ambitum fert pro modificationibus instituendis, attentis mutationibus conditionum socio-oeconomicarum, ut praedictus finis obtineatur ope institutionis possessionis privatae. Ratione transcendentiae socialis eiusmodi iuris et institutionis possessionis privatae ad bonum communitatis, ambo relinqui non possunt anarchiae socio-oeconomicae et irrefrenato individualismo; hoc enim esset contra scopum legis naturalis. Lex enim naturalis praescribens principia divisionis bonorum et possessionis privatae pro utilitate sociali et individuali hominum, eo ipso etiam praescribit tales rationes esse instituendas, quae necessariae sunt ad praedictum finem assecurandum ope institutionis possessionis privatae. Quas rationes instituere, naturaliter competit potestati publicae, cui est naturaliter commissa cura de bono societatis et membrorum eius.

Dicit Pius XI: « Revera hominibus hac in re non solum sui proprii commodi, sed etiam communis boni esse rationem habendam, ex ipsa dominii quam diximus indole individuali simul et sociali deducitur. Officia vero haec singillatim definire, ubi id necessitas postulaverit neque ipsa lex naturalis praestiterit, eorum est qui rei publicae praesunt. Quapropter quid, considerata boni communis vera necessitate, eis qui possident liceat, quid illicitum sit in suorum bonorum usu, publica auctoritas, lege naturali et divina semper praelucente, sciscere potest accuratius. Immo vero Leo XIII sapienter docuerat " industriae hominum institutisque populorum esse a Deo permissam privatarum possessionum descriptionem " ».[12] « Cum vero res publica dominia cum boni communis necessitatibus componit, non heris privatis inimicam sed amicam operam praestat; etenim hac ratione valide obstat quominus privata bonorum possessio, quam ad vitae humanae subsidium providentissimus naturae Auctor decrevit, intolerabilia gignant incommoda, atque ita in exitium

---

[11] *Code Sociale: Esquisse de la doctrine sociale catholique,* ed. ab Unione Internationali Studiorum Socialium, n. 101, 3ª ed., Parisiis 1948.

[12] *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 1 iunii 1931, p. 193.

ruat: neque possessiones privatas elidit, sed tuetur; privataque dominia non debilitat, sed roborat ».[13]

Postrema verba bene sunt notanda. Moderatio potestatis publicae non est de se impositio extranea super ius et institutionem possessionis privatae, quemadmodum putat Liberalismus; sed quoddam complementum naturale. Moderatio usus antisocialis possessionis privatae et ordinatio regiminis possessionis privatae ad utilitatem socialem et individualem hominum, sunt actiones defensivae ipsius regiminis possessionis privatae et, indirecte, etiam beneficiariorum huius regiminis; quia praepediunt quominus possessio privata gignat talia incommoda humana, et pergat ad propriam destructionem. Regulatio tamen possessionis privatae ab auctoritate publica, manere debet intra terminos postulatos a bono societatis, quod etiam postulat tueri omnia iura complementaria possessionis privatae quousque possibile sit. Regulatio auctoritatis publicae uti debet sapienti discriminatione quantum ad speciem et extensionem possessionum, aut substantiarum. Et si, ad redimendum institutionem possessionis privatae a prostitutione deservienti delitiis vitae paucorum praedivitum; et ad denuo restaurandum divisionem bonorum et possessionem apud homines, Status recurrit ad expropriationem latifundiorum, talis actio est amicabilis et defensiva institutionis possessionis privatae; nam per eam obtinetur ne haec institutio eradatur a societate.

Caput 7

DE EXPROPRIATIONIBUS AGRARIIS REFORMATIVIS ET DE IURE NATURALI POSSESSIONIS PRIVATAE

Priusquam iudicium de expropriationibus agrariis reformativis feramus, iuvat breviter recolere quae superius dicta sunt de iure possessionis privatae amplioris substantiae, quam sit necessaria ad suppeditandum necessitatibus privatis individui. Parva enim possessio, quae respondet iuri individuali hominis ad proprietatem, de re, non habet transcendentiam socialem, ut problema sociale maioris momenti inducat. Vidimus ius naturale possessionis privatae existere, sub lege naturali, ad utilitatem vitae humanae socialem et individualem. Hi fines non sunt invicem exclusi; sed in casu magnae possessionis, quae excedit exigentias humanas vitae privatae individui, utilitas socialis est finis iustificans.

---

[13] *Quadragesimo Anno,* ibid., p. 194.

Ratione finis praedicti, ius naturale et lex naturalis non praescribunt formam rigidam aut regimen uniforme; sed admittunt diversa systemata et diversas formas dummodo sint consentaneae ad finem utilitatis socialis et individualis. Intuitu eiusdem finis, lex naturalis admittit introducere mutationes in forma aut regimine possessionis; immo, si hae mutationes sunt necessariae ad praedictum finem obtinendum, lex naturalis praescribit eas instituere. Igitur, in casu quo aliquod regimen vel aliqua forma possessionis privatae obnoxia existat praedicto fini, ob mutatas conditiones socio-oeconomicas, lex naturalis praescribit illud aut illam modificare, aut mutare, prout ratio finis dicti, in casu, postularet. Huius etiam finis ratione, lex naturalis admittit discrimen instituendum quantum ad substantias possidendas; et illud praescribit quando discrimen illud necessarium est ad propositum utilitatis humanae tum socialis tum individualis obtinendum. Lex naturalis admittit etiam limitationes apponendas in possessione quarumdam bonorum; immo, etiam praescriberet apponere tales limitationes quando necessariae evadunt, et iuxta proportionem quae necessaria est, ad finem utilitatis socialis et individualis hominum obtinendum.

Iuvat etiam recolere quod ius possessionis privatae, sancitum a lege naturali, non se extendit ad possessionem mere ad divitias accumulandas; aut propter solos redditus capiendos. Neque lex naturalis sancit privatam possessionem terrae ad meram retentionem, aut ut inculta relinquatur, vel mere ut devoveatur venationi, dum alii homines ea indigent ad subsistentiam; necessitates hominum praevalere debent iuribus divitum. Absentismus non cadit sub scopo legis naturalis, aut iuris naturalis possessionis privatae. Iuxta mentem Aquinatis, lex naturalis sancit possessionem privatam propter administrationem socialiter utilem; non ob meram fruitionem reddituum. Unde possessio quae est merum medium obtinendi et fruendi redditibus, absque administratione, non cadit sub scopo legis et iuris naturalis. Quod si usque modo res ita fuerunt, hoc non debetur nisi tolerantiae liberali legis positivae. Demum, iuvat recolere principium possessionis privatae, unde ius et institutio procedunt, esse sancitum a lege naturali ad firmandum divisionem bonorum apud homines; ut tali divisione utilitas vitae humanae tam socialis quam individualis obtineatur. Unde concentrationes fundiariae non cadunt sub scopo iuris aut institutionis naturalis possessionis privatae, nec sub scopo legis naturalis; sed potius e contrario se habent.

Quae cum ita sint, asserere licet, expropriationes latifundiorum a publica potestate factas ad exsequendum principia divisionis bonorum et possessionis privatae, sub forma rationali, ut inde amoveatur periculum seditionis et obtineatur pacificatio interna, cadere sub scopo

legis naturalis. Expropriationes quoque fundorum, qui relinquuntur inculti aut devoventur merae venationi, ut dividantur apud ruricolas proletarios, etiam cadunt sub scopo legis naturalis. Cadunt enim sub scopo utilitatis socialis et individualis humanae, quae est propositum legis naturalis sancientis ius possessionis privatae. Immo, eiusmodi expropriationes prosequuntur idem propositum immediatum legis et iuris naturalis, quod est partitio bonorum apud homines ob utilitatem eorum, tam socialiter quam individualiter. Tales expropriationes postulantur a lege naturali, ut substantiae necessariae ad vitam humanam multitudinis, iterum dividantur apud homines, et ut possessio privata denuo instituatur apud homines. Concentrationes enim fundorum sunt negatio divisionis bonorum et possessionis privatae apud homines.

Longe tamen sit a nobis approbare qualemcumque expropriationem omnium fundorum magnorum. Possunt enim adesse casus, in quibus expropriatio non esset utilis socialiter et individualiter: ut quando terra est nimis saxosa et minus apta culturae, ita ut productionem alicuius momenti reddere valeat nonnisi cum operetur tota simul; aut etiam, quando adest abundantia terrae et parvus numerus hominum. Haud quidem ignoramus messes commerciales, prout obtinentur ex latifundiis, magnos redditus afferre aerario publico. At, putare magnos redditus constituere bonum societatis maius quam commodum humanum communitatis, esset in eumdem errorem incurrere oeconomiae liberalis, quae identificavit divitias cum bono communitatis socialis. Aequior distributio potentiae oeconomicae, operosior activitas oeconomica multitudinis, pax et stabilitas interna, constituunt melius fundamentum pro redditibus publicis. Praeterea, messes commerciales provideri possunt etiam a multis dominis quemadmodum a paucis praedivitibus, qui eas ultimo a cultoribus obtinent. Et praebitis adaequatis organizationibus mercatus et exportationis, simul cum bonis incitamentis, multitudo parvorum dominorum eiusmodi messes providebunt.

Expropriationes agrariae democraticae et marxisticae. – Quae nuper dicta sunt applicantur expropriationibus agrariis reformativis democraticis, quae quaerunt exsequi principium possessionis privatae agrorum rationabiliori et ampliori norma. Hae expropriationes quaerunt redimere institutionem et regimen possessionis agrorum ab illegitima forma, quae ministrat tantummodo delitiae vitae paucorum predivitum, non bono nationis. Expropriationes democraticae quaerunt disseminare democratiam etiam in ordine oeconomico; et ita sensum communicare aequalitati et democratiae politicae. Quod propositum obtinent praebendo hominibus aliquam potentiam oeconomicam, absque eo quod auferant alios factores oeconomico-sociales maioris momenti: ut sunt

initiativa privata et incitamenta ad eam. Praedictae expropriationes quaerunt facere possessores de agricolis proletariis, et disseminare possessionem terrae.

Dum expropriationes agrariae marxisticae nonnisi transferunt concentrationes agrorum in manus Status; et extendunt miseriam et servitutem oeconomicam ruricolarum in mensura maiori. Non quaerunt exsequi, rationabiliori forma, principium possessionis privatae; sed illud excludunt. Non terram aut beneficia possessionis distribuunt; sed laborem agriculturalem et proletarianismum. Non quaerunt denuo instituere possessionem privatam terrae apud homines; sed eam auferre.

Doctrina Pontificum. – Dicit Pius XI: « Ut eam utilitatem res creatae certo firmoque ordine parere possint hominibus, bonorum partitionem, quae per dominia privata fiat, ab ipsa natura esse stabilitam... Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur ».[1] « Sua cuique pars bonorum attribuenda est: efficiendumque, ut ad boni communis seu socialis iustitiae normas revocetur et conformetur partitio bonorum creatorum, quam hodie ob ingens discrimen inter paucos praedivites et innumeros rerum inopes gravissimo laborare incommodo cordatus quisque novit ».[2] « Hisque accedit ingens ruralium mercenariorum exercitus ad infimam vitae conditionem depressus omnique spe destitutus " quipiam quod solo contineatur " umquam obtinendi; proindeque, nisi consentanea atque efficacia remedia adhibeantur, proletariae conditioni perpetuo obnoxius ».[3] Quibus verbis Pontifex enuntiat principia divisionis bonorum et possessionis privatae; et simul censurat concentrationes possessionum tamquam iisdem principiis et legi naturali absonas.

Et iterum dicit: « Ius possidendi privatim bona cum non sit lege hominum sed natura datum, non ipsum abolere, sed tantummodo ipsius usum temperare et cum communi bono componere auctoritas publica potest. Cum vero res publica dominia cum boni communis necessitatibus componit, non heris privatis inimicam sed amicam operam praestat; etenim hac ratione valide obstat quominus privata bonorum possessio, quam ad vitae humanae subsidium providentissimus naturae Auctor decrevit, intolerabilia gignat incommoda, atque ita in exitum ruat: neque possessiones privatas elidit, sed tuetur; privataque dominia

---

[1] *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* 1 iun. 1931, p. 196.
[2] *Quadragesimo Anno,* ibid., p. 197.
[3] *Quadragesimo Anno,* ibid., p. 198.

non debilitat, sed roborat ».[4] Sensus paradoxicus horum verborum patefit. Haec verba bene applicantur expropriationibus reformativis agrariis, quae factae sunt ad redintegrandum principium possessionis privatae. Quamvis enim apparenter violent ius possessionis privatae, non tamen tollunt nisi eius illegitimam expressionem et falsam apparentiam, quae non deservit utilitati sociali et individuali hominum, sed ad roborandum contentiones negantium tale ius. Eiusmodi expropriationes, privatam possessionem non elidunt, sed tuentur; iusque possessionis non debilitant, sed roborant.

Pius XII haec dicit: « Conscientia christiana non potest admittere tamquam iustum, ordinem socialem qui, vel negat per principium quoddam, aut reddit impossibile aut inane ius naturale ad proprietatem tum de bonis consumptionis, tum de bonis productionis. Sed neque potest admittere systemata illa quae agnoscunt ius proprietatis secundum conceptum totaliter falsum, et proinde absonum a vero et recto ordine sociali ».[5] « Politica socialis et oeconomica futuri temporis, activitas moderatrix Status, municipiorum, institutorum professionalium, non poterunt consequi modo stabili suum finem eminentem, scilicet, veram fecunditatem vitae socialis et productionem normalem oeconomiae nationis, nisi verendo et tuendo functionem vitalem proprietatis privatae in eius momento tam personali quam sociali. Quando autem distributio proprietatum est impedimentum huic fini, quod non semper nec necessario provenit ex incremento patrimonii privati, tunc Status potest intervenire intuitu communis interesse, et regulare earum usum; aut si aliter tali fini provideri nequit, etiam edicere expropriationem, largiendo tamen congruam indemnitatem ».[6]

Pontifex affirmat principium possessionis privatae tanquam sancitum a natura, et proinde reiicit illa regimina aut ordines sociales qui vanum faciunt ius naturale multorum ad proprietatem habendam; quod locum habet in regimine concentrationum agrorum. Indigitat functionem fundamentalem et necessariam possessionis privatae ad attingendum productivitatem normalem oeconomiae nationalis. Quando autem concentrationes substantiarum impediunt exercitium potentialis oeconomici membrorum societatis et productivitatem normalem nationis, Pontifex non cunctatur approbare expropriationem a potestate publica

---

[4] *Quadragesimo Anno*, ibid., p. 193 s.

[5] *Nuntius radiophonicus* in quinto anniv. conflictus mundialis secundi, 1 sept. 1944, *A.A.S.*, vol. 36, 22 sept. 1944, p. 252. Transl. auctoris ex originali italico.

[6] *Idem*, ibid., loc. cit.

faciendam ad melius exsequendum principium divisionis proprietatum, sub conditione congruae indemnitatis dandae.

Qua in re, oportet recolamus bona, quae cadere possunt sub possessione privata, alterius et alterius generis esse possunt. Quaedam enim bona essentialiter limitata inveniuntur, uti sunt agri; alia vero bona de se non sunt limitata, uti sunt producta industriae aut capitale industriale. Quaedam etiam bona de se sunt limitata, uti sunt producta industriae aut capitale industriale. Quaedam etiam bona de se sunt naturaliter media ad subsistentiam pro multitudine, uti sunt iterum agri; alia vero sunt ad decorem aut delectamentum vitae, aut etiam ad gerendum productionem industrialem. Incrementum possessionis quoad prima bona, sub forma concentrationis agrorum, necessario redundaret in miseriam multorum, in diminutionem activitatis oeconomicae multitudinis, in angustam productivitatem et infirmam oeconomiam nationalem, ut superius explicatum est. E contra vero, incrementum possessionis quantum ad media industrialia productiva artefactorum, dummodo non sit monopolisticum, non importat mala oeconomico-socialia, sed commodum societatis.

Iam quidem dixerat Leo XIII: « Neque enim efficaci ratione dirimi causam, de qua agitur, posse vidimus, nisi hoc sumpto et constituto, ius privatorum bonorum sanctum esse oportere. Quamobrem favere huic iuri leges debent, et quoad potest, providere ut quamplurimi ex multitudine rem habere malint. Quo facto, praeclarae utilitates consecuturae sunt; ac primum certe aequior partitio bonorum ».[7] Quibus verbis, Pontifex attentionem vocat ad functionem proprietatis in causa miseriae sublevandae proletariorum; unde et leges favere debent iuri hominum proprietatis obtinendae; et providere ut quamplurimi ex multitudine proprietatem nancisci possint. Propter momentum functionis proprietatis in vita humana, solutio Pontificis pro problemate sociali medendo, et ad proletariorum miseram sortem sublevandam, non est eradicatio proprietatis privatae ut vult marxismus; sed disseminatio proprietatis privatae apud multitudinem.

Difficultas ex praeterito feudali. – Verumtamen, quaedam difficultas oritur ex praeterito, feudali, in quo regimen latifundiorum erat forma communis; ex quo non videtur tale regimen esse contra legem naturalem, quemadmodum praevia argumentatio significavit. Ad hoc respondemus quod, conclusio illata valida est; scilicet quod *per se* loquendo, concentrationes agrorum non verificant principia divisionis bonorum et

---

[7] Encycl. *Rerum Novarum.*

possessionis privatae apud homines; sed potius excludunt ea et, proinde, non sunt conformes legi naturali. Attamen, lex naturalis, sub scopo utilitatis humanae socialis et individualis admittit latitudinem quamdam; scilicet, diversa regimina possessionis quae tali proposito deserviunt, attentis particularibus conditionibus socialibus aetatis.

Domini feudales erant potius personae publicae quam privatae; et in conditionibus politicis et socialibus aetatis feudalis, possessio latifundiorum a dominis feudalibus, et institutio colonatus illius aevi, providebant paci et ordini publico, necnon utilitati vitae humanae tam sociali quam individuali. Et inde, in dictis conditionibus, illud regimen possessionum non erat contra legem naturalem. Immo, difficile intelligitur quale aliud regimen poterat afferre illud minimum commodum humanum possibile in illis conditionibus, in quibus administratio politica non longe aberat a forma primitiva. Distingue tempora et concordabis iura.

Attamen, institutiones illae tunc exstiterunt adaequatae ad providendum commodo illo minimo humano sociali et individuali, *per accidens;* hoc est, contigit eas tunc adaequatas esse ob conditiones particulares socio-politicas illius aevi. Unde, si propter eiusmodi conditiones particulares contigit, *per accidens,* possessionem latifundiorum et colonatum intra ambitum legis naturalis tunc existere; non potest argui quod etiam nostris temporibus existunt sub ambitu legis naturalis, aut quod *per se* loquendo eidem non sunt contrarii.

Difficultas ex Verbis Leonis XIII. – Altera difficultas desumitur ex verbis Leonis XIII dicentis: « Iura quidem, in quocumque sint, sancte servanda sunt: atque at suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. ... Alteri quod suum est detrahere, ac per speciem cuiusdam aequabilitatis in fortunas alienas involare, iustitia vetat nec ipsa communis utilitatis ratio sinit ».[8] At, haec verba applicantur praereptioni proprietatis aliorum, ab hominibus privatis, praetermissis iuribus possessionis. Hoc esset in exitium ordinis et securitatis publicae, quae sunt essentiale bonum societatis. Praedicta verba Pontificis non applicantur actioni potestatis publicae agentis intuitu necessarii commodi communitatis, et attentis iuribus possessionis per solutionem congruae indemnitatis. Status, curam gerens de bono et de iuribus communitatis, non est aequalis privatis dominis; sed pollet iure superioris ordinis, exigendi a membris communitatis ut faciant aut cedant in bonum communitatis, quod ab ipsis faciendum aut cedendum est.

[8] Encycl. *Rerum Novarum.*

Praeterea, verba illa non applicantur praecise ad regimen latifundiorum, quod excludit distributionem bonorum terrae et possessionem privatam, excludendo multitudinem a possessione terrae. Quantum ad nostrum propositum attinet, ipse Leo XIII dixerat: « Universitas generis humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit ».[9] His verbis Pontifex exprimit principia legis naturalis quae constituunt fundamentum naturale pro iuribus acquisitis iustitiae commutativae. Ipse non loquitur de concentrationibus bonorum, sed de eorum partitione; non de principio proletarianismi ruricolarum, sed de possessione privata, tamquam maxime conducibiles ad pacem tranquillitatemque humanae conviventiae. Et quando, alibi, Pontifex dicit: « Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolatas servandas ».[10] verba non intelligenda sunt de actione Status exproprianti ad tollendum possessionem privatam e medio. Nam Leo XIII ea verba protulit contra « socialismi placitum de possessionibus in commune redigendis quia iis ipsis, quibus est opitulandum nocet ».[11] Tali enim ratione proletarii non sublevantur, sed magis in inopia innodantur.

Iura iustitiae commutativae ob possessionem, vi legis naturalis, adduci possunt tantum quando possessio, in casu particulari, fundatur super principia legis naturalis; et non est eisdem contraria. Eiusmodi iura adduci possunt, praesupposita aequalitate membrorum societatis; at, non existit aequalitas inter proletarios qui nihil habent, et paucos praedivites qui nimis habent.

---

[9] Encycl. *Rerum Novarum.*
[10] Encycl. *Rerum Novarum.*
[11] Encycl. *Rerum Novarum.*

EPILOGUS

RESTAURATIO POSSESSIONIS PRIVATAE ET DESPROLETARIZATIO

Recte dicit Röpke: « Proprietas sub forma extensae proprietatis et possessionis magnificae est abusus et symbolum privationis proprietatis in multitudine. Sed, proprietas moderata est fundamentum laboris et diligentiae, beneficium pro individuo et pro societate. Unde, oportet, quantum possibile sit, impugnare priorem et favere posteriori. Restauratio proprietatis importat luctam contra excessivam proprietatem et possessionem magnificam, quae non tantum amiserunt sensum humanum et socialem, sed etiam contrariae sunt proprietati. Hae enim formae proprietatis concipi non possunt absque privatione proprietatis in multitudine. Concentratio proprietatis, quae ordinarie significat concentrationem mediorum productionis, implicat re vera negationem proprietatis in sensu humano. Eiusmodi concentratio viam parat concentrationi totali proprietatis et, inde abolitioni proprietatis; prout eam intelligit socialismus. Restauratio verae possessionis significat, proinde, decentralizationem possessionum ».[12]

Concentratio agrorum est manifeste contraria principio possessionis privatae et, proinde, legi naturali quae sancit illud. Non est possibile defendere legis naturalis principia de divisione bonorum et de privata possessione, absque impugnatione concentrationis possessionis agrorum; et absque propugnatione distributionis eorumdem et disseminationis proprietatis privatae. Absurdum esset, ex una parte tueri principium possessionis privatae, et ex altera parte, claudere oculos ad inopiam multitudinis. Igitur, « adsit minus de capitalismo et plus de capitalistis! ut dicit Van Gestel. Non declaramus bellum contra proprietatem privatam, quamadmodum facit collectivismus; sed, e contrario, volumus disseminationem eiusdem, tali modo, quod regimen humanum et sociale proprietatis obtineat locum capitalismi exaggerati, qui est obnoxius tum hominibus et societati, tum etiam oeconomiae ».[13]

Restauratio proprietatis privatae, et redemptio proletariorum ruralium, habent suas radices in ipsa lege naturali sanciente principia divisionis bonorum et possessionis privatae, in virtute quorum, homines obtinent ius naturale ad possessionem privatam.

---

[12] *Civitas Humana,* Amsterdam 1947. Citatus a VAN GESTEL, O. P. *La doctrine sociale de l'Eglise,* p. 136, Parisiis, 1952.

[13] *La doctrine sociale de l'Eglise,* p. 137.

UNIVERSITAS CATHOLICA SANCTI PATRITII

I

DE LEGE ABSTINENDI AB OPERIBUS SERVILIBUS

(de qua Moralistae tractant sub tertio decalogi et primo Ecclesiae praecepto, Canonistae vero sub canone 1248 *C.I.C.*)

(F. Cremin)

SUMMARIUM

Quod attinet ad legem abstinendi ab operibus servilibus, de qua in canone 1248, videtur deesse ex parte fidelium uniformis et universalis observantia, et ex parte doctorum scientifica interpretatio necnon certa, uniformis et sibi constans doctrina. In plurimis enim Ecclesiae regionibus et locis haec lex, etsi magni momenti sit utpote in iure divino fundata, a fidelibus parum observatur. Quoad doctrinam vero, canonistae maxima ex parte vel mere citant doctrinam moralistarum vel lectorem pro interpretatione referunt ad moralistas. Hi autem principia iuris minime prae oculis habent, ita ut iuridice considerata eorum expositio sit minus scientifica.

In doctrina vigenti doctorum quadrupex tendentia sententiarum discerni potest. Alii docent criterion operis servilis esse finem operis, alii finem operantis, alii communem hominum aestimationem, alii — sed nec sufficienter nec satis iuridice exponentes — consuetudinem. Quae omnes sententiae aliquibus difficultatibus laborare videntur. Incertitudo autem et diversitas doctrinae praecipue oriuntur ex eo quod notio traditionalis operum servilium iam formata est antequam his ultimis saeculis, adventu revolutionis industrialis, novae species operum notae sunt cum inventione varii generis machinarum.

Quare proponitur ut in futuro Concilio haec lex considerationem recipiat, eo fine ut stricta legis observantia ex parte fidelium magis uniformis et universalis reddatur, utque notio operum servilium clarificationem recipiat, etiam, in quantum necesse sit et expedire videatur, vel per interpretationem authenticam legis vel forsitan, salvo iure divino, per aliquam legis modificationem. Ad quamvis autem clarificationem faciendam, pro solutione generica recurrendum est non mere ad veterem doctrinam et iurisprudentiam et ad receptas apud probatos auctores interpretationes, verum etiam ad finem legis necnon ad interpretationem

consuetudinariam. Si haec una cum probata doctrina traditionali debitam considerationem recipiant, criterion ultimum operis servilis, opinamur non erit necesario solus conceptus traditionalis alicuius operis, nec solus finis operis, nec solus finis operantis, nec sola communis hominum aestimatio in se sumpta. Sed erit potius complexus horum omnium in consuetudine legitima contentus, vel rectius erit observantia fidelium in quantum a Superiore ecclesiastico competenti approbatur utpote complectens haec varia criteria seu elementa constitutiva.

Si Patres consentiunt clarificationem legis esse necessariam, et ad exsecutionem scientifice et effective perduci curando ut in lege interpretanda maior vis consuetudini legitimae tribuatur, forsitan — si licet solutionem specificam et omnino temptativam proponere, quae tamen variis considerationibus suadetur — ipsis expedire videatur vim consuetudinis probatae in aliqua forma in ipsum legis textum aliquo modo explicite introducere. Non quidem sub clausula conditionata, ut in hoc canone 1248 iam habetur clausula « nisi aliud ferant legitimae consuetudines » quoad legem abstinendi a publico mercatu, etc. Sed potius sub verbis in quibus consuetudo probata habeatur uti determinatio vel constitutio ipsius notionis operum servilium, fere ut in lege ieiunii, de qua in canone 1251, § 1. « probata locorum consuetudo » habetur uti determinatio quantitatis et qualitatis ciborum qui mane et vespere sumi possunt. Forsitan igitur inserendo in textum canonis 1248, post verba « abstinendum ab operibus servilibus », haec aliave similia verba: « secundum probatam locorum consuetudinem determinatis (*vel* determinandis) »?

Haec solutio non caret quidem difficultatibus, praesertim quoad determinationem formae consuetudinis in textum introducendae et applicationem legis reformatae. Nihilominus videtur esse medium simplex et efficax clarificationem desideratam in doctrinam introducendi et in lege providendi variationibus quae necessario in disciplina et in observantia fidelium inveniuntur in diversis Ecclesiae regionibus et locis. Si Concilium aliquo modo clarificationem fecerit quae maiorem rationem consuetudinis legitimae habeat uti determinantis vel constituentis opera servilia, et praesertim si in aliqua forma vim consuetudinis legitimae in textum legis introduxerit, multa beneficia sequentur.

Determinatio enim operum servilium non erit in arbitrio fidelium nec in iudicio privato doctorum tantum, sed erit in iudicio auctoritatis ecclesiasticae super consuetudinem competentis. Nova disciplina prae oculis habebit doctrinam traditionalem, ita ut nullo modo parvipendatur doctrina tradita nec ulla admittatur interruptio nec revolutio doctrinae. Posthac vero doctrina erit modificata variis considerationibus quae,

cum adventu aetatis machinarum et novarum specierum operum, auctores ad diversa criteria operis servilis invocanda moverunt. Nova disciplina erit definita et flexibilis, mediante consuetudine legitima quae mutatis temporibus ipsa et mutatur in illis. Itaque necesse non erit ut toties quoties per saecula Sancta Sedes aliis novis conditionibus et speciebus operum, advenientibus cum adventu et progressu automationis et virtutis nuclearis et cuiusvis alius in futuro inventionis, providere debeat per aliam interpretationem ad modum legis vel modificationem.

1. Materia studii et status quaestionis

Quod attinet ad legem de abstinendo ab operibus servilibus, de qua in tertio decalogi praecepto necnon in primo Ecclesiae praecepto in canone 1248 *C.I.C.*, videtur deesse:

1) ex parte fidelium uniformis et universalis observantia legis; et

2) ex parte moralistarum et canonistarum scientifica interpretatio legis, necnon certa et uniformis et sibi constans doctrina.

In plurimis enim Ecclesiae regionibus et locis haec lex, etsi magni momenti sit utpote in ipso iure divino fundata, a fidelibus recenti tempore parum observatur, idque praesertim ex fine ultimi belli, tum quia durante bello ratione circumstantiarum specialium tot fideles ob varias causas tamdiu excusabantur ut post bellum cessatum praevia legis observantia stricta negligatur vel ignoretur, tum quia recentioribus annis etiam ante bellum initum aliqua incertitudo iam orta utrum aliqua opera sint servilia ideoque prohibita necne.

Per longum enim tempus, et praecipue ex adventu revolutionis industrialis et aetatis machinarum, ipsi doctores, et moralistae et canonistae, etsi de multis operibus eandem in genere doctrinam eandemque legis interpretationem exponant, de multis aliis disputabant utrum pro stricte servilibus haberi debeant. Nec mirum. Ipsa enim notio operis servilis maxima ex parte in prioribus et mediis saeculis elaborata est, ita ut ratio non potuisset haberi diversarum vitae conditionum operumque variorum quae nonnisi his ultimis saeculis, maxime vero ex intentione varii generis machinarum, nota sint.

Adde quod maxima ex parte canonistae, qui de canone 1248 *C.I.C.* tractant, vel ad moralistas uti doctores probatos lectorem referunt pro interpretatione huius legis et speciatim pro notione operum servilium, vel doctrinam moralistarum mere citant quin ipsi principia iuridica interpretationis ad legem intelligendam adaequate applicent. Moralistae autem, qui de hac lege sub tertio decalogi praecepto et sub primo Ecclesiae

praecepto tractant, in expositione sua prae oculis quidem habent doctrinam traditionalem theologorum necnon considerationes rationis, minime vero recta principia iuris praesertim quoad interpretationem legis, ita ut iuridice considerata, relate ad legem ecclesiasticam in canone 1248 statutam, eorum expositio sit minus scientifica. Ita, exempli gratia, ii moralistae, qui aliquam rationem consuetudinis habent, magna ex parte consuetudinem admittunt mere uti causam a lege excusantem, non vero uti legis interpretem.

2. Doctrina vigens eiusque defectus

In genere tantum loquendo et omissa citatione auctorum, ne expositio nostra simplicitate vel claritate privetur, in doctrina vigenti doctorum quadruplex tendentia sententiarum discerni potest in diiudicando utrum hoc vel illud opus sit servile ideoque prohibitum. Quae omnes tamen sententiae aliquibus difficultatibus laborare videntur.

1. Plurimi auctores docent finem operis esse solum criterion, quin ullam accipiant rationem finis operantis seu intentionis agentis, vel communis hominum aestimationis, vel consuetudinis nisi forte uti causae excusantis. Hi vero non sunt sibi constantes, quia, cum agatur de solvendis quaestionibus in concreto, maxime autem ubi quaestio est de operibus dubie servilibus aut de sic dictis « communibus », recurrunt etiam ad alias considerationes extraneas uti finem operantis necnon ad causas excusantes, aliquoties habita simul ratione parvitatis materiae et brevitatis temporis, ut permittere possint aliquod opus quod ex ipsius fine uti servile et prohibitum considerari debeat, vel ut responsum certum dare possint de liceitate alicuius operis in concreto, de cuius natura servili in abstracto cum certitudine loqui non possint.

2. Alii auctores tenent criterion esse non mere finem operis sed etiam — et quidem, iuxta multos, primarie vel principaliter — finem operantis, ita ut ratio semper haberi debeat finis agentis, considerando speciatim utrum recreationis vel mercedis causa factum sit opus de quo quaeritur. Hi quoque, ut de liceitate alicuius operis in concreto dignoscant, sicut fautores primae sententiae aliquoties invocare debent causas excusantes et considerationes parvitatis materiae et brevitatis temporis, necnon aliquatenus communem aestimationem hominum saltem sub specie consuetudinis uti « causae excusantis ».

3. Alii vero doctores communem hominum aestimationem pro criterio primario habent. Inter quos sunt multi auctores recentissimi, quorum opiniones per multos iam annos prolatae sunt in periodicis quae in variis linguis ex diversis Ecclesiae regionibus in lucem eduntur. Quae

doctrina, etsi magnam assistentiam praebeat in quaestionibus concretis solvendis, aliquibus difficultatibus laborat. Difficile enim est per hanc vel illam regionem, et fere impossibile est per universam Ecclesiam, communem hominum aestimationem cum certitudine discernere sine assistentia auctoritatis ecclesiasticae competentis. Praeterea haec communis aestimatio non est criterion independens quod auctores applicare possunt, quia aliquatenus saltem derivatur et gradatim efformatur ex ipsa auctorum doctrina, ita ut criterion ipsum ex parte sit quasi circulus vitiosus.

4. Apud auctores recentissimos qui in periodicis scribunt tendentia plus minusve temptativa discerni potest consuetudinem in aliquo sensu, et praesertim una cum communi hominum aestimatione, admittendi in ipsa notione operum servilium explicanda et in ipsa lege intelligenda, eo ut practica solutio casuum praeberi possit necnon remedium incertitudini set inconstantiae doctrinae probatae, de cuius defectibus ipsi doctores magis magisque conscii facti sunt. Haec sententia, quae adhuc tamen — in quantum scimus — non est sufficienter elaborata nec satis iuridice explicata, nobis videtur in se semina habere quae, si una cum fructu aliarum sententiarum misceantur, ex deliberationibus Patrum in futuro Concilio Oecumenico meliorem doctrinam optandam producere possunt.

Ex his igitur variis auctorum sententiis patet doctrinam vigentem de lege abstinendi ab operibus servilibus carere illa definitione et uniformitate et simplicitate quae, praesertim in praecepto tanti momenti, maxime desiderantur.

3. Quid proponitur

Quapropter videtur opportune proponendum ut in futuro Concilio Oecumenico haec lex abstinendi ab operibus servilibus considerationem a Patribus recipiat, eo fine ut:

1) stricta legis observantia ex parte fidelium magis uniformis reddatur et universalis; utque

2) ipsa notio operum servilium *clarificationem* recipiat qua ipsa doctrina magis certa et sibi constans et uniformis reddatur, etiam, in quantum necesse sit et expedire videatur, vel per *interpretationem authenticam* legis et doctrinae traditionalis vel forsitan, salvo iure divino, per aliquam ipsius legis *modificationem*.

4. Solutio generica

Cum lex de qua hic agitur sit ecclesiastica, etsi in iure divino fundata, ad quamvis clarificationem optabilem faciendam recurrendum est, non mere ad veterem doctrinam et iurisprudentiam necnon ad receptas

apud probatos auctores interpretationes, verum etiam ad finem legis (ad normam can. 18) necnon ad interpretationem consuetudinariam (ad normam can. 29). Quae tamen considerationes nobis videntur hucusque apud auctores probatos vel omnino negligi vel regulariter multo minorem valorem recipere quam mereantur, in diiudicando quae opera sint servilia et prohibita.

1. *Finis legis* primarius est ut fideles abstinere debeant ab illis operibus quae apta sunt ad illos impediendum quominus obligationem suam adimpleant publicum cultum debitum Deo dandi. Id est, ut apparet ex antiqua evolutione ipsius legis in prioribus saeculis quando prius notio et postea terminus « operis servilis » introducta et elaborata sunt, ut fideles abstinere debeant ab illis operibus quae operarii pro victu suo quotidiano facere solebant. Quare, in diiudicando utrum aliquod opus in concreto sit servile ideoque prohibitum necne, aliqua saltem ratio habenda est huius inter alias considerationis, utrum hoc opus, quod operarius vult facere die festo de praecepto, sit in specie diversum ab illo in quo per alias sex hebdomadae dies pro victu suo laborare solet, ita ut pro hoc operario hoc opus sit medium recreationis et nullo modo impedimentum obligationis suae cultum Deo dandi.

2. *Interpretatio usualis seu consuetudinaria,* cum consuetudo sit optima legum interpres, specialem valorem ab auctoribus recipere debet, praesertim in huiusmodi lege interpretanda quae videtur ex voluntaria fidelium consuetudine in primis saeculis introducta fuisse. Quare probati auctores multo maiorem rationem habere debent legitimae consuetudinis ideoque probatae fidelium observantiae ut in communi hominum aestimatione manifestatae. Quod et beneficia magna ipsi doctrinae conferre potest. Ipsa enim probata observantia fidelium prae oculis habere solet non mere finem operis eiusque naturam (considerando utrum opus sit corporale vel mentale etc.), et finem operantis (considerando praesertim utrum opus fiat recreationis vel mercedis causa), verum etiam — quod multum desiderandum videtur — novas conditiones et circumstantias. Mutationes enim sociales et oeconomicae et industriales quae decursu temporis occurrere solent, maxime vero decursu temporis recentissimi cum progressu mirabili in inveniendo et in perficiendo machinas miras et automationem et virtutem nuclearem, ita characterem operis, cuius finis quidem idem manet, modificare vel mutare possunt ut opus, quod in uno saeculo vel periodo pro servili et prohibito traditionaliter habeatur, in alio pro non-servili et permisso habendum sit. Quod maxime valet si finis legis prae oculis, uti debet, habeatur, necnon necessitas ex parte operariorum sese liberandi ab illa fatigatione mentali et tensione

nervosa quae, in complexitate vitae modernae, pro plurimis operariis, qui in officinis exclusive laborant, sit magis timenda et vitanda quam fatigatio corporalis.

5. Criterion ultimum

Quodsi finis legis et interpretatio consuetudinaria debitam considerationem recipiant, una cum probata doctrina traditionali, criterion ultimum in diiudicando utrum aliquod opus sit hac lege ecclesiastica prohibitum vel permissum non erit necessario solus conceptus historicus et traditionalis huius operis (utrum sit traditionaliter « servilis » vel « liberalis »), neque solus finis operis (utrum sit corporale vel mentale etc.), neque solus finis operantis (utrum fiat recreationis vel mercedis causa), neque sola communis hominum aestimatio in se sumpta. Sed erit potius complexus horum omnium in probata consuetudine revera contentus, vel rectius erit ipsa fidelium observantia tantum quae a Superiore ecclesiastico competente approbatur utpote complectens haec varia criteria seu elementa constitutiva, in quantum censeantur hanc vel illam speciem operis, aut hoc vel illud opus in concreto, reddere servile et prohibitum, vel non, in sensu verborum legis.

Ita forsitan, saltem in aliquibus locis vel regionibus et pro aliquibus operum speciebus, illud pro non-servili et permisso haberi debeat quod et simul sit specie diversum ab illo quod operarius pro victu suo facere solet per sex alias hebdomadae dies, et simul ab operario fiat non mercedis sed recreationis causa ad consulendum sanitati suae physicae vel mentali.

6. Solutio specifica et temptativa

Si Patres Concilii consentiunt clarificationem huius legis necessariam esse, necnon ad executionem scientifice et effective perduci curando ut in lege interpretanda maior vis consuetudinis legitime tribuatur, forsitan — si licet solutionem specificam et omnino temptativam proponere — expedire videatur in aliqua forma vim probatae consuetudinis in ipsum legis textum aliquo modo explicite introducere. Haec solutio videtur simul variis considerationibus suaderi, necnon beneficia conferre etiam maiora quam fluunt ex mera applicatione consuetudinis uti legis interpretis.

Quod attinet ad considerationes huic solutioni suadentes, hae imprimis exponi possunt:

1° Vi normarum generalium, in hac lege sicut et in aliis consuetudo legitima iam admittitur ut optima legis interpres ad normam can. 29;

et consuetudo ante Codicem vigens contra legem, si centenaria sit aut immemorabilis, influxum in legem habere potest ad normam can. 5, si forte Ordinarius, salvo tamen iure divino, pro locorum ac personarum adiunctis existimet eam prudenter submoveri non posse.

2° Ipse can. 1248, in quo statuitur lex abstinendi ad operibus servilibus, expresse servat consuetudines legitimas contrarias quoad obligationem abstinendi ab aliquibus aliis negotiis. Lex enim statuit: « ...abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines..., publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus ». Implicite igitur hic admitti videtur in ipsa lege consuetudo contraria etiam quoad obligationem abstinendi ab illis operibus per se servilibus quae necessario cum negotiis hic enumeratis connectuntur.

3° In doctrina sua de abstinendo ab operibus servilibus, moralistae regulariter consuetudinem admittunt, etsi minus scientifice, uti causam excusantem. Immo inter recentissimos praesertim auctores sunt qui eam admittunt, in aliquibus casibus vel in aliquibus operum speciebus, ut aliquo modo indicantem vel determinantem naturam operis servilem aut liberalem, etsi maxima ex parte conceptum iuridicum consuetudinis non exponant.

4° In disciplina et in observantia fidelium, plurimae variationes necessario inveniuntur in diversis Ecclesiae regionibus et locis. Si vis consuetudinis in textum legis introducatur, hae variationes aptam in lege provisionem recipere videntur, et quidem modo plus simplici et efficaci quam si recurratur ad ullam aliam singulam solutionem, quae ipsa forsitan defectus in doctrina potius aggravet quam amoveat.

His aliisque considerationibus moti, et quaerentes medium simplex et effectivum quo simul in doctrina clarificatio optata introduci possit, et in lege provisio apta fieri possit de variationibus in disciplina et in observantia fidelium, omni qua par est diffidentia proponere velimus ut in ipsum legis textum vis consuetudinis in aliqua forma explicite introducatur. Non quidem sub clausula conditionata quae obligationem legis suspendat, ut in lege abstinendi a publico mercatu etc. habetur clausula « nisi aliud ferant legitimae consuetudines », sed potius verbis in quibus consuetudo probata habeatur uti determinatio seu constitutio ipsius notionis operum servilium, fere ut, exempli gratia, in lege ieiunii, de qua in canone 1251, § 1, « probata locorum consuetudo » habetur uti determinatio quantitatis et qualitatis ciborum qui mane et vespere sumi possunt (Haec clausula « servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine », quae in priori schemate canonis non invenitur, videtur in textum canonis 1251, § 1 introducta fuisse

eo ut in lege provisum sit variationibus disciplinae et observantiae fidelium quoad quantitatem et qualitatem ciborum in frustulo et coenula, quae aliter in lege generali vix normam recipere possint, et cum quibus comparari possunt illae variationes quae in disciplina et in observantia legis de operibus servilibus hodie inveniuntur).

Forsitan igitur clarificatio desiderata fieri possit inserendo in textum canonis 1248, post verba « abstinendum ab operibus servilibus », haec aliave similia verba: « secundum probatam locorum consuetudinem determinatis (*vel* determinandis?) » vel aliud simile verbum loco « determinatis », ut, e. g., « aestimatis », « definitis », etc. Ita textus reformatus huius canonis 1248 tunc esset:

« Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab operibus servilibus secundum probatam locorum consuetudinem determinatis, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus ».

7. Bona huius solutionis

Quodsi, in doctrina et in lege de abstinendo ab operibus servilibus, Concilium Oecumenicum aliquo modo clarificationem fecerit quae maiorem rationem consuetudinis legitimae habeat uti determinantis vel constituentis opera servilia, et praesertim si in aliqua forma vim consuetudinis legitimae in textum legis introduxerit, tunc sequentur in genere illa beneficia quae ex applicatione consuetudinis probatae regulariter fluunt, et speciatim in hoc casu illa quae supra in nn. 4 et 5 huius studii explicavimus.

Imprimis vero determinatio operum servilium non erit in arbitrio fidelium ipsorum — quod rationi et legi repugnet. Neque erit doctorum probatorum tantum, sive moralistarum sive canonistarum, privatim iudicare quae sint opera servilia et prohibita — quod doctrinam ulteriori exponat incertitudini et diversitati. Sed erit competentis auctoritatis ecclesiasticae, cuius consensus requiritur ut consuetudo vim legis obtineat ad normam can. 25, rationem habere sententiae probatae doctorum necnon omnium aliarum considerationum quae pensari debent, inter quas sunt finis operis, finis operantis, communis hominum aestimatio, et finis legis, uti supra indicavimus, et exinde debita harum omnium ratione habita determinare, sive tacite sive expresse, prout occasio oriatur et casus ferat, utrum secundum consuetudinem probatam aliqua species operis vel aliquod opus habendum sit pro servili et prohibito.

Nova igitur disciplina, quae ex huiusmodi clarificatione emerget et

sub iudicio competentis auctoritatis ecclesiasticae stabit, prae oculis habebit sententiam traditionalem doctorum probatorum, ita ut nullo modo parvipendatur doctrina tradita nec ulla admittatur interruptio nec revolutio doctrinae. Posthac vero haec doctrina erit debito modo modificata illis variis considerationibus quae in his ultimis saeculis et praesertim in his recentissimis diebus, advenientibus novis operum speciebus cum adventu aetatis machinarum, ipsos auctores moverunt ad diversa criteria invocanda ut diiudicare possint utrum opera sint servilia et prohibita. Quae et nova disciplina habebit simul definitionem et optabilem flexibilitatem. Vigentem enim doctrinam et observantiam ab earum defectibus et nunc purgabit et in futurum praeservabit, mediante consuetudine legitima quae mutationum et novarum conditionum debitam rationem habere potest. Neque necesse erit ut toties quoties per saecula Sancta Sedes aliis novis conditionibus aliisque novis operum speciebus providere debeat per aliam interpretationem ad modum legis vel modificationem, quia temporibus mutatis consuetudo et mutatur in illis.

8. Conclusio

Solutio specifica in hoc studio temptative tantum proposita et elaborata videtur esse medium simplex et efficax defectus doctrinae auctorum et observantiae fidelium simul sanandi. Non caret tamen difficultatibus, maxime quod attinet ad determinationem formae consuetudinis introducendae necnon ad applicationem legis reformatae. Forsitan autem nobis liceat sperare fore ut huius studii propositum eiusque solutio generica et solutio specifica videantur digna esse consideratione, quae ex deliberationibus Patrum in Concilio aliquam clarificationem legis abstinendi ab operibus servilibus producat, eo ut observantia stricta ex parte fidelium reddatur uniformis et universalis, et sententia doctorum liberetur ab eius incertitudine et diversitate, et, si casus ferat, interpretatio authentica vel modificatio legis fiat quae sit definita et flexibilis et apta evolutioni.

II

QUAEDAM ALIA PROPOSITA ET VOTA

(F. Cremin)

1. Determinatio naturae, obiecti et auctoritatis magisterii episcoporum residentialium.

2. Clarificatio doctrinae de relatione inter Sacram Scripturam et Traditionem uti fontes revelationis.

3. Discussio de mediatione universali Beatae Virginis Mariae.

4. Examinatio conditionum traditionalium pro bello iusto gerendo, prae oculis habito progressu scientifico in evolutione virium nuclearium necnon in exploratione spatii.

5. Moralitas adhibendi, vel producendi, arma belli nuclearia aliaque arma moderna.

6. Doctrina vera de finibus matrimonii elaboranda contra errores modernos, et praesertim contra eos qui hedonismum sexualem, contraceptionem, et inseminationem artificialem respiciunt.

7. Festorum de praecepto reductio magis uniformis ubique Ecclesiae.

8. Magis uniformis observantia legis ieiunii et abstinentiae.

9. Expositio doctrinae verae socialis de relationibus inter dominos et opifices, quae specialem habeat rationem tum obligationis opificum iustum opus pro mercede iusta tribuendi tum obligationis dominorum sociationem et co-responsabilitatem in industria fovendi.

10. Redactio nova Codicis Iuris Canonici quae non mere includat legislationem variis modis iam factam post Codicis promulgationem, verum etiam legislationem in futuro Concilio Oecumenico faciendam in quantum normas in Codice requiret, necnon sequentia in quantum utilia vel necessaria iudicentur:

1° Solutio dubiorum praesertim iuris, saltem in canonibus qui in Codice pro Ecclesia Orientali dubio vacant.

2° Reparatio lacunarum legis maioris momenti.

3° Normae iuris de nonnullis passim desiderandae, e. g. de constitutione et operatione Apostolatus Laici et Actionis Catholicae, de adnotatione baptismi filiorum adoptatorum, de potestate Summi Pontificis matrimonium ex privilegio sic dicto « Petrino » dissolvendi in favorem fidei.

4° Simplificatio iuris passim desideranda, e. g., quoad iurisdictionem requisitam ad confessiones religiosarum audiendas (can. 876, 522 et 523); quoad facultatem confessarii dispensandi in iure matri-

moniali vi can. 1043-1045, et praesertim de eius facultate in urgente mortis periculo dispensandi « pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum » (can. 1044) et « solum pro casibus occultis » cum iam omnia sunt parata ad nuptias (can. 1045, § 3); quoad reservationem et absolutionem peccatorum et censurarum, praesertim vero quod attinet ad canones 900 et 2254.

DE MYSTICO CORPORE CHRISTI QUAESTIONES AC PROPOSITA QUAEDAM

(K. McNamara)

Ex indagatione theologica doctrinae de Mystico Corpore Christi quaedam graves ortae sunt quaestiones in quibus theologi adhuc in diversas abeunt opiniones. Duo praecipua doctrinae capita ansam praebent controversiae, fines nempe praecisi Mystici Corporis identitasque eius membrorum. Quamquam magna ex parte lis de usu terminologico versatur, etiam diversitas terminologica confusionem causare potest, immo iam nimis causavit. Ex quo fit quod fructus quam maxime uberrimi e praeclara Encyclica Papae Pii XII *Mystici Corporis Christi* non colliguntur. Quamvis in recentibus annis tam theologi quam populus Christianus in comprehensione huius doctrinae multum profecerunt, mira tamen opinionum diversitas circa quasdam easque haud parvi momenti quaestiones impressionem producere potest hanc doctrinam vagam esse intellectuque difficilem.

Extra fines Ecclesiae Catholicae maior adhuc de hac doctrina invenitur confusio, et etiam inter theologos qui veram doctrinam de Ecclesia invenire satagunt graves in hac materia grassantur errores. In specie apud multos invenitur opinio secundum quam sola genuina ac vera notio Corporis Mystici illa est quae, omnibus spatii temporisque limitibus posthabitis, in una ingenti unione Ecclesiam triumphantem et patientem una cum Ecclesia militante consociat. Ex quo sequitur quod propria conditio ac status Ecclesiae visibilis, Ecclesiae a Christo institutae ut opus redemptionis suae perenne redderet, multum obscurantur et causa unionis Christianae magnum detrimentum patitur.

Quaestiones controversae

Oriuntur quaestiones quae sequuntur:

I. Utrum recte membra vocentur Mystici Corporis animae beatae in coelis et animae in purgatorio detentae.

II. Quomodo exprimenda est relatio ad Mysticum Corpus Christi iustorum extra visibilem structuram Ecclesiae existentium?

III. Utrum haeretici manifesti, saltem bona fide errantes, aliquo sensu membra sint Corporis Christi?

IV. Utrum haeretici occulti sint membra huius Corporis?

V. Quaenam est vera notio membri Corporis Mystici utrumque gradus admittat?

Circa quas omnes quaestiones orta est confusio. Videtur quod haec confusio lectione accuratiore quorundam fontium theologicorum, ipsius praesertim Encyclicae *Mystici Corporis Christi,* magna ex parte evitari potuisset. In sequentibus paginis doctrina huius documenti compendiosae examinationi subiicitur, necnon doctrina S. Pauli, S. Thomae Acquinatis magnorum denique ecclesiologorum XVI et XVII saeculorum.

SECTIO I - DOCTRINA ENCYCLICAE « MYSTICI CORPORIS CHRISTI »

Papa Pius XII, in Encyclica *Mystici Corporis,* docet quod doctrina de Ecclesia Mystico Corpore Christi est mysterium revelatum: « Ecclesiam esse corpus saepe Sacra Eloquia praedicant » (*A.A.S.* 10 [1943], 199).

ECCLESIA, UT CORPUS, EST ALIQUID VISIBILE

Quia Ecclesia est corpus, ita docet Pius Papa XII, unum quiddam et indivisum est; etiam aliquid concretum est et visibile. Notio igitur corporis sumenda non est in sensu tenui vel « spirituali », sicut aliquis loqueretur de corpore scientiae, aut idearum, aut de « ingenti corpore angelorum ac sanctorum in coelis ». Notio visibilitatis, quae aperte ad corpus humanum pertinet, servanda est. In Encyclica, ubi Papa docet quid per imaginem corporis, ad Ecclesiam applicatam, significetur, haec inter alia scribit:

« Sicut autem humanum corpus propriis instrumentis ornatum cernitur, quibus vitae, sanitati, ac sui ipsius singulorumque membrorum incremento consulat: sic humani generis Servator ex infinita bonitate sua Corpori suo mystico mirum in modum prospexit... » (*Ibid.,* 201).

Ex quo libet metaphoram corporis ex humano corpore desumi.

ECCLESIA ROMANO-CATHOLICA: CORPUS SOCIALE ET VIVUM

Haud mirum est igitur Corpus Mysticum Christi cum Ecclesia visibili, Catholica et Romana identificari. Tanquam organizatio socialis, haec

Ecclesia visibilis est membraque sua externis ac visibilibus inter se consociantur vinculis, fidei nempe et regiminis eorumdemque sacramentorum usus.

Ecclesia autem non est nisi corpus sociale; est etiam corpus vivum, quod quidem per imaginem corporis humani significatur. Ex quo patet eam invisibilibus etiam vinculis obstringi et uniri, vita nempe interiore ac mystica, ei eiusque membris a Spiritu Christi communicata.

NOTIO MEMBRI: VINCULA EXTERNA AC INTERNA

Sub huius lumine explicationis intelligere possumus doctrinam Pii Papae de conditionibus requisitis ut aliquis sit membrum in Ecclesia. Quae conditiones involvunt elementa non tantum externa sed etiam, ut videtur, interna. Haec enim scribit:

« In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt » (*Ibid.,* 202).

Externa vincula ad notionem membri requisita in istis verbis patent. Ut persona sit reapse membrum Corporis Mystici requiritur *i*) Baptismus *ii*) Professio verae fidei *iii*) Communio cum Ecclesia sub hierarchia Romano-Catholica.

Quod membra Ecclesiae internis etiam colligantur vinculis istis supra citatis verbis « regenerationis lavacrum receperunt » innuitur, i. e. ad novitatem vitae sunt adducti, et iterum paulo postea eadem conclusio erui potest quando Papa dicit quod « qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt ». Ubi indicatur quod uno divino Spiritu Corporis vivere aliquid necessarium est ut persona sit huius Corporis membrum.

In proxime sequenti paragrapho, ubi explicatur quod peccatores (schismaticis, haereticis et apostatis exceptis) membra remanent Ecclesiae, in mentem nobis revocat quod non « ab iis *omnis vita recedit,* qui licet caritatem divinamque gratiam peccando amiserint, atque adeo superni promeriti iam non capaces evaserint, fidem tamen christianamque spem retinent, ac caelesti luce collustrati, intimis Spiritus Sancti suasionibus impulsionibusque ad salutarem instigantur timorem, et ad precandum suique lapsus paenitendum divinitus excitantur ». In iudicando ergo quinam sint membra Ecclesiae, habemus aliqua determinata applicanda criteria. Criteria haec quattuor sunt:

I. Baptismus.

II. Unitas fidei.

III. Unitas Regiminis.
IV. Unitas vitae supernaturalis.

Quicumque in aliqua ex his quattuor conditionibus deficit, nequit tanquam verum, actuale membrum Ecclesiae considerari. Quando conditiones partim tantum implentur aliqui theologi de imperfecto seu partiali membro Ecclesiae loquuntur. Qui tamen loquendi modus confusionem facile generare potest, neque ullo fundamento in Encyclica *Mystici Corporis* inniti videtur. Cum clarae ac praecisae requirantur conditiones ad hoc ut persona sit membrum in Ecclesia, optandum est quod aliquis alius loquendi modus adhibeatur ad eorum statum designandum qui has conditiones non simul implent. In Ecclesia Corpore Christi, sicut etiam in corpore humano, nullum datur tertium quid inter « esse membrum » et « non esse membrum ». Qui sensu etiam attenuato membrum Ecclesiae est debet Animam Ecclesiae in se ut principium animans ac veluti informans habere; atqui hanc possident neque iusti « extra Ecclesiam » neque, ut videtur, haeretici occulti; ergo nullo vero sensu membra Ecclesiae esse possunt.

Itaque non sunt membra Ecclesiae:

I. Non-christiani in statu gratiae existentes.

II. Haeretici publici, etiam bona fide errantes. Ista enim conditio « Professio unius fidei » non verificatur.

III. Schismatici, etiam bona fide extra Ecclesiam degentem, et excommunicati (vitandi nempe, ut dicuntur).

IV. Probabile est quod haeretici occulti membra Ecclesiae esse desinunt. Dum vincula externa eos adhuc cum Ecclesia coniugunt, vinculum internum vitae supernaturalis omnino deficit propter amissionem virtutis fidei. Quod tamen vinculum omnino essentiale esse videtur.

Corpus Mysticum in sensu stricto non includit Ecclesiam triumphantem et patientem

In sensu lato et, post Encyclicam *Mystici Corporis,* fere improprio, animae quae visione beatifica in coelo fruuntur atque animae quae in purgatorio purgantur membra Corporis Mystici vocari possunt. Ad confusionem praecavendam caute explicandum est notionem Corporis Mystici hic in sensu minus stricto adhiberi.

De iustis « extra Ecclesiam »

Positio eorum qui voto tantum cum Ecclesia coniunguntur adhuc minus clara esse videtur. Si dicitur quod sunt « in » Ecclesia, sensus ad hoc restringendus est quod vis sanctificans Ecclesiae in eis agit. Non

enim sunt stricte intra fines Ecclesiae, quia hi sunt natura sua visibiles. Ad Ecclesiam pertinere iuste dici possunt in quantum Ecclesiae adhaerent, influxus eius salvifici participes fiunt et, ut ita dicam, cum ea trahuntur in eius versus coelum progressu.

SECTIO II - DOCTRINA S. PAULI

Doctrina quae supra exponitur tanquam vera Encyclicae *Mystici Corporis* interpretatio est etiam doctrina S. Pauli.

S. Paulus pluries loquitur de Ecclesia tanquam corpore, corpore nempe Christi. Encyclica *Mystici Corporis* aliquos citat locos paulinos et eos interpretatur de Ecclesia visibili, e. g. *Col.*, 1, 18; *Rom.*, 12, 5, 4; *I Cor.*, 12, 13. Habemus ergo interpretationem authenticam horum locorum, quae certiores nos facit de vera extensione conceptus paulini Corporis Christi: est simpliciter Ecclesia visibilis. Argumentum Apostoli aliquoties hoc admodum clarum reddit, e. g. in *Rom.*, 12, 4, 5: « Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra ». In sequentibus versibus S. Paulus enumerat varia officia et ministrationes in visibili Ecclesia et de eis consilia tradit, ita ut clarum sit Corpus Christi cum hac visibili Ecclesia identificari.

Simile invenitur argumentum in *I Cor.*, 12, ubi metaphora corporis evidenter dependet ab imagine corporis humani. Iterum in hoc capitulo enumerat varia munera quae membris Ecclesiae visibilis propria sunt, et argumentum evolvitur tali modo ut concipi nequeat eum Corpus Christi considerare tanquam associationem quae ex parte tantum visibilis est (quod verificaretur si Corpus Christi cum Communione Sanctorum identicum esset).

SECTIO III - DOCTRINA S. THOMAE AQUINATIS

Haud parva exorta est confusio ex eo quod S. Thomas nomen « Corpus Mysticum » in sensu lato adhibebat ad designandum eorum omnium coetum qui cum Christo vinculis spiritualibus colligantur (*S. Theol.*, III, q. 8, a. 3). Sane communitatem seu corpus illi omnes efformare dici possunt qui gratia Christi animantur aut saltem ei per fidem uniuntur, cuius corporis Christus Caput est iique membra. Hoc sensu acceptum Corpus Christi includit non tantum membra Ecclesiae Catholicae sed

etiam iustos extra visibilem structuram Ecclesiae necnon, in sua plena extensione, iustos qui ante Christum vivebant et membra Ecclesiae triumphantis et patientis. Notio visibilitatis hic abest; « Corpus » istud est corpus spirituale et invisibile, quod omnium membrorum sola organica unitate a Christo Capite dependente constituitur. Hic S. Thomas mediaevalem adhibet corporationis notionem ut illam mysticam unionem exprimat quae eos omnes, tum vivos tum mortuos, in dependentia a Christo consociat et organizat qui qualicunque modo moventur influxu vitali a natura humana Christi emanante.

Sensus strictus et biblicus Corporis Christi a « Mystici Corporis » determinatus

Encyclica *Mystici Corporis*, vestigia Leonis XIII in Encyclica *Satis Cognitum* premens, in definitionem Mystici Corporis seu Ecclesiae determinationem concretam, historicam « Romano-Catholica » definitive introduxit. Non sufficit ergo Ecclesiam exclusive definire per internas realitates, per vincula spiritualia, invisibilia cum Christo, quae certe elementa essentialia sunt sub ratione salutis aeternae. Ecclesiae Christi contra Reformatores defensio illud effecit, ut aspectus nempe visibilis, hierarchicus Ecclesiae locum permanentem in vera Ecclesiae definitione acciperet. Haec est ratio propter quam iuxti « extra Ecclesiam » tanquam Ecclesiae membra recognosci nequeunt.

Verum quidem est quod notio « Ecclesia » seu « Corpus Mysticum » tanquam conceptus analogicus sumi potest, qui in variis diversimode adimpletur associationibus ad historiae salvationis diversa momenta pertinentibus: in Ecclesia Veteris Testamenti, in eorum omnium coetu, angelis inclusis, quorum Caput est Christus, in Ecclesia militante in terris, etc. Secundum hoc notionis « Corpus Mysticum » alicuius legitimi usus in sensu latiore quam in Encyclica *Mystici Corporis* adhibetur indubitata datur possibilitas. Attamen in hoc casu caute explicari oportet quod Corpus Christi de quo S. Paulus loquitur, in quantum visibilitatem et functionum varietatem importat, notio essentialiter diversa est a tali lato sensu Corporis Mystici; quod porro hoc Corpus paulinum illa est Ecclesia quam Christus fundavit et de qua tanquam adhuc futura loquebatur in promissione Petro facta: « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » (*Matt.*, 16, 18). Ecclesia Novi Testamenti, et Corpus Christi cum quo S. Paulus eam identificat, Ecclesia nempe promissionum — indefectibilis, infallibilis, una, sancta, catholica et apostolica — est essentialiter visibilis et militans atque fines sui ipsius fines Ecclesiae Romano-Catholicae sunt.

Errores acatholicorum

Ex eo quod praecedentem non capiunt doctrinam, acatholici aliqui, inter quos multi qui sincere veram Ecclesiae Christi notionem determinare quaerunt, doctrinam Primatus Romani perperam omnino intelligunt. Putant enim quod Corpus Mysticum, de quo S. Paulus et christiana traditio loquuntur, realitas est supraterrestrialis, cuius visibilis Ecclesia non est nisi una pars, eaque ima, sat exigua et, comparative loquendo, minoris momenti. E quo concludere pergunt unitatis vincula vere efficacia mystica esse et interna, seu — cum praecipue in mente habent gratiam et characteres sacramentales — « sacramentalia », quibus tota Ecclesia, in coelis et in terris, in unam grandem animarum coetum obstringitur. Veram ergo naturam Ecclesiae omnino detorqueri tenent quando unitas eius vel alicuius eius partis tanquam essentialiter dependens concipitur a tali munere quale est Primatus, quem contendunt esse munus administrativum tantum nullaque ratione sacramentale. Tanquam unitatis ecclesiasticae verum fontem et organum episcopatum proponunt per universum orbem diffusum; qui, cum realitas sit sacramentalis praetereaque morte non extinguatur sed usque ad alteram perseveret vitam, ita ut collegium apostolicum omnes tum spatii tum temporis transcendens limites semper existat, totam Ecclesiam, et coelestem et terrestrem, in unum vastum et sacramentale Corpus Mysticum apte arcteque colliget (cf. e. g. E. L. Mascall, *The Recovery of Unity*, Londinium, 1958, 194-233).

Quae quidem falsa opinio ex erronea notione potestatis iurisdictionalis in Ecclesia partim fluit, multo magis autem ex ignorantia illius doctrinae quae docet Corpus Christi in stricto sensu esse Ecclesiam visibilem; in qua Ecclesia realizatur Incarnationis Dei visibilis continuatio et opus Redemptionis perenne redditur, ita ut Ecclesia visibilis proprio ac distinctivo modo existentiae polleat, qui in Ecclesia coelesti non verificatur; cuius existentiae modi unum idque praecipuum elementum est visibilis regiminis unitas sub Petro capite.

SECTIO IV - DOCTRINA MAGNORUM ECCLESIASTICORUM XVI ET XVII SAECULORUM

Ecclesiologi magni e periodo quae Concilium Tridentinum immediate subsequebatur optime de theologia Catholica circa Ecclesiam meruerunt. Quorum doctrina magnum exercebat influxum in Encyclicam *Mystici Corporis*. Haud parvi interest harmoniam notare inter doctri-

nam eorum et conceptum supra delineatum sub illius Encyclicae lumine de membris finibusque Corporis Mystici.

« MEMBRUM » METAPHORA EST E CORPORE HUMANO DESUMPTA

Scripta horum theologorum perscrutantes invenimus quod, quaerendo quinam sint Ecclesiae vel Mystici Corporis membra, eos in mente habent qui in Ecclesia sunt tanquam membra sunt in corpore. Evidens est quod notio membri metaphora est a corpore humano desumpta. « Membrum », ita Banezius « quod metaphorice dicitur de partibus Christianae reipublicae, per comparationem ad membra animalis » (D. BANEZIUS, *Scholastica Commentaria in Secundam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae,* Venet., 1615, p. 48). Cum quo comparari possunt loci sequentes: S. BELLARMINUS, *De Ecclesia Militante,* Neapolis, 1856, p. 75; F. SYLVIUS, *Controversiarum Liber Tertius, Opera Omnia,* Antwerp, 1698, p. 242. Ita plures alii.

Quicumque ergo adimplet relate ad Ecclesiam conditiones quae requiruntur ut aliquid sit vere membrum corporis vivi, tanquam membrum Corporis Mystici agnoscendus est. Etiam theologi qui multum ab invicem dissentiunt circa quaestionem quinam sint de facto membra Corporis Mystici de hoc principio fundamentali inter se harmonice consociantur. Suarezius, exempli gratia, docet quod sola virtus fidei facit membrum Ecclesiae, ita ut nullum elementum visibile sit necessarium (*Opera Omnia,* t. XIII, *De Fide, Spe et Caritate,* Paris 1858, pp. 245 sqq.). Bellarminus e contra tenet quod non nisi elementa visibilia requiri possunt (*Op. cit.,* p. 75, 89, ff.). Uterque tamen tenet quod criterium adhibendum illud est, utrum nempe conditiones quae in corporis vivi membro requiruntur adimpleantur necne.

FRANCISCUS SYLVIUS ET ANTONIUS PEREZ: DOCTRINA ENCYCLICAE « MYSTICI CORPORIS »?

Franciscus Sylvius et Antonius Perez veluti mediam ingrediuntur viam inter positiones Suarezii et Bellarmini. Cum Bellarmino enim docent quod character baptismalis aliaque externa vincula requiruntur ut aliquis sit membrum Ecclesiae; cum Suarezio autem putant quod fidei actualis possessio etiam requiritur (F. SYLVIUS, *Op. cit.,* p. 242; ANTONIUS PEREZ, *Pentateuchum Fidei,* Matriti, 1620, pp. 22 et sequentes). Itaque explicite postulant conditiones tum externa tum interna. Haec videtur esse doctrina quam Encyclica consecravit. Concedendum est quod Encyclica non explicite dicit non solam professionem

sed etiam actualem possessionem fidei necessariam esse ut persona sit membrum in Ecclesia, sed doctrina eius, ut supra contendimus, est quod interna vincula vitae quae membrum cum Christo colligent pro vera notione membri necessaria sunt. Utrum aliqua talis cum Christo internae connexionis vestigia etiam in haeretico occulto maneant, Encyclica non determinat. Responsio affirmativa, ut supra contendimus, vix admitti potest.

Res autem praecipua est quod Encyclica suam facit doctrinam horum theologorum secundum quam membra Corporis Mystici determinanda sunt ad analogiam corporis humani; praeterea applicando hoc principium eo usque procedit ut sat clarum indicet vincula unitatis tum externa tum interna requiri ut aliquis sit Mystici Corporis membrum, uti reapse Perez et Sylvius expresse docuerant. Dum ergo doctrina S. Bellarmini maximi est momenti in evolutione doctrinae Encyclicae, modificatio istius Bellarmini doctrinae nihilominus admitti videtur, in quantum doctrina implicite saltem acceptatur vitae vincula internae pro vera notione Corporis Mystici membri requiri.

CONCLUSIO

Proponitur igitur quod Concilium Ecumenicum iamiam tenendum de finibus ac extensione Corporis Mystici agat, cum peculiari relatione ad puncta quae sequuntur:

I. Corpus Christi de quo S. Paulus et Traditio Christiana loquuntur est primario et stricte Ecclesia visibilis in terris.

II. Nomen « Corpus Mysticum » latiorem extensionem sensu laxiore accipere quidem potest; quo tamen in casu caute procedendum est ad confusionem praecavendam.

III. Vincula tum externa tum interna requiruntur ut persona sit membrum Corporis Mystici, et quaestio de identitate membrorum determinanda est secundum analogiam membrorum corporis humani.

IV. Iusti « extra Ecclesiam » revera cum Ecclesia uniuntur, quamquam intra fines Ecclesiae non sunt sed vita ecclesiali modo invisibili animantur.

DE APOSTOLATU LAICORUM

(I. Newman)

Etiamsi hodie apostolatus laicorum plus quam olim aestimatur, videtur quod omnes eius possibilitates non exhauriuntur propter deficientiam tum in expositione doctrinali eius naturae et ambitus, tum in structura iuridica in qua exercetur.

Quod attinet ad doctrinam, multa scripta in hac materia habemus. Tamen remanent extra corpus officiale theologiae dogmaticae. Forsitan Concilium Ecumenicum expositionem dogmaticam circa Ecclesiam compleat, quae a Concilio Vaticano Primo incepta est. In hoc casu, theologia laicatus locum extensivum habere debet in Constitutione dogmatica *De Ecclesia.*

Cursus theologiae dogmaticae non sufficienter agit de Ecclesia ut communitate apostolica, in quantum laici partem fere passivam habere videntur. Haec omissio viam ad alias lacunas in theologia sternit, praesertim circa relationem inter Ecclesiam et materias temporales, quibus in rebus activitas laicorum utilissima esse potest. Theologia realitatum terrestrium plene elaborari debet, non solum propter obiectionem Existentialistarum Christianitatem esse anti-humanisticam, sed etiam eo fine ut laici principia Christiana in rebus temporalibus incarnare urgeantur.

Fundamenta theologiae laicatus ad Constitutionem *De Ecclesia* pertinent. Vere ad doctrinam de Ecclesia pertinent, et recte designari debent *De Laicis in Ecclesia.* Propter hoc, possibilitas divisionis Constitutionis *De Ecclesia* in duas partes examinari debet. Pars prima, « De Ecclesia ut est societas monarchica et hierarchica », de omnibus aspectibus Ecclesiae ut institutionis apostolicae tractaret. Pars secunda, « De Ecclesia ut est communitas fidelium », tum de vita interiore Ecclesiae, Mystici Corporis, tractaret, tum de munere generali hominis Christiani, tanquam membri communitatis visibilis, quae ad salvationem hominum et transformationem vitae a Christo in mundum missa est. Forte Constitutio tractaret etiam de natura et obligatione apostolatus laicorum et de thesibus principalibus humanismi Christiani.

Materia de theologia laicatus dividenda est, ut videtur, in quinque sectiones:

1. Existentia apostolatus laicorum in Ecclesia

Hic apostolatus, quamvis sit secundarius et apostolatum Hierarchiae praesupponat, immediate fluit ex hoc quod laicus est membrum communitatis salvificae quae a Christo in mundum missa est. In quantum ut laicus auxilium praebet missioni Ecclesiae, agit vere ut laicus, cum suo proprio apostolatu.

2. Natura apostolatus laicorum

Apostolatus laicorum exerceri non potest independenter ab auctoritate hierarchica Ecclesiae. In se autem est privatus et non officialis, et ita apprime distinguenda est ab apostolatu Ecclesiae regentis et docentis.

3. Formae apostolatus laicorum

a) *Spiritualis*: Apostolatus qui pertinet ad activitates quae directe religiosae sunt, vel indirecte et proxime cum religione coniunguntur.

Temporalis: Apostolatus qui pertinet ad activitates quae remote cum religione coniunguntur.

b) Personalis; familiaris; organizatus.

4. Obligatio participandi in apostolatu laicorum

a) *In genere*: Omnes ad exercendum aliquem apostolatum tenentur. Radices huius obligationis sunt incorporatio in Corpus Christi Mysticum, Sacramentum Confirmationis, exigentiae caritatis et voluntas expressa Ecclesiae.

b) *In specie*: Apostolatus personalis et familiaris aliquo modo obligat omnes, secundum diversas tamen uniuscuiusque circumstantias et opportunitates.

Apostolatus, ut in aliqua particulari associatione exercetur, non obligat nisi per accidens, i. e., quando bonum Ecclesiae hoc requirit et facultas participandi ex parte laici individualis adest.

5. Relatio inter apostolatum laicorum et Hierarchiam

Apostolatus laicorum participatio in apostolatu Hierarchiae fieri potest per receptionem mandati (missionis canonicae). Hoc modo participatio fit in opere officiali sed non in missione specifica Hierarchiae. Eius status sed non natura mutatur.

Ex parte theologica impossibile non est quod laici participationem in potestatibus iurisdictionis (docendi et regendi) Hierarchiae acquirant. Ratio huius est duplex; primo, quia character Baptismalis et character Confirmationis praestant capacitatem obedientialem in ordine ad omnia quae requiruntur pro diffusione Corporis Mystici Christi; secundo, quia iurisdictio in se non facit clericum. Haec participatio ampliari vel restringi debet nutu rectorum Ecclesiae.

* * *

Structura iuridica, intra quam apostolatus laicorum exerceri potest, neque sufficienter adhuc elaborata est neque in lege Ecclesiae incorporata est. Unicus tantum canon (can. 682) de iuribus laicorum loquitur, idque in contextu qui fere suggerit quod pars laicorum in Ecclesia mere passiva est. In generali, Codex Iuris Canonici laicos considerare videtur ut obiecta ministrationis clericalis.

Nihilominus, certum est quod problemata oriri possunt et oriuntur de statu, iuribus et activitatibus associationum pro apostolatu laicorum, quae aliquibus claris regulis evitari possent.

Hae regulae puncta sequentia includere debent:

A) Definitio nominis « laicus »

Laici, in materia apostolatus, definiri debent: « omnes fideles, clericis et religiosis, tum in sensu stricto tum in sensu lato, exceptis ».

B) Formae apostolatus laicorum

Actio Apostolica Individualis: Haec definiri debet: « qualiscumque activitas ex parte laici individualis quae ad promotionem religionis plus quam ad spiritualitatem propriam dirigitur. Haec forma apostolatus mandatum Hierarchiae accipere potest, per quod laicis etiam in potestate iurisdictionis participare permitti deberet.

Haec suggestio emendationem can. 118 requireret, vel saltem introductionem latioris potestatis dispensandi in hac materia. Videtur quod conditiones hodiernae, praesertim in territoriis missionum, hoc requirant.

Actio Catholica: Secundum suggestiones S. S. Pii XII, Congressui Laicorum factas (Roma, 1957), Actio Catholica definiri debet tanquam complexus associationum laicorum, pro apostolatu spirituali, quae ut Actio Catholica a debita auctoritate agnoscuntur. Haec auctoritas est Sancta Sedes in casu associationum internationalium, Hierarchia na-

tionalis in casu associationum nationalium, et Episcopus loci in casu associationum mere localium.

Hoc modo evitari potest confusio quae oritur quando eadem associatio hic sed non illic admittitur ut Actio Catholica.

Praeterea, si Episcopus quam associationem, a debita auctoritate ut Actionem Catholicam agnitam, in suam dioecesim admittit, haec tanquam Actio Catholica in dioecesi ipso facto accipi debet.

Actio Temporalis Christiana: Haec definiri debet tanquam complexus associationum quae ad opus apostolicum, quod solum remote cum religione connectitur, consecrantur.

C) Regulae pro apostolatu laicorum

Actio Catholica: Distinctio fieri debet inter Actionem Catholicam quae mandatum habet et Actionem Catholicam nudam.

Natura huius mandati describi debet, ut facile recognosci possit. Secundum iudicium et utilitatem Hierarchiae, scopus mandati maioris minorisve extensionis capax esse debet.

Dum suam libertatem in materiis administrationis ordinariae retinent, officiales laicales talium associationum directiva concreta ab Hierarchia accipere debent.

Actio Temporalis Christiana: Propter indolem temporalem huius actionis, mandatum Hierarchiae normaliter recipere non potest. Per modum exceptionis tantum talis actio interdum ab Hierarchia incipi potest.

Associationes pro actione temporali sua principia generalia ab Hierarchia sumere debent; pro cetero independentia completa gaudent. Hae associationes etiam acatholicos admittere possunt, si hi illorum principia Catholica accipiunt.

D) Director in associationibus pro apostolatu laicorum

Episcopus potest, quamquam ad hoc non tenetur, directorem ad associationem pro apostolatu laicorum constituere.

Talis director officialiter repraesentat Episcopum. Auctoritate Episcopi gaudet in casu associationis mandatae.

Relatio iuridica inter clerum — praesertim parochum — et associationes pro apostolatu laicorum clare definiri et exponi debet.

DE RECONCILIATIONE DISSIDENTIUM CUM VERA CHRISTI ECCLESIA

(P. Hamell)

Ut Catholici quam fructuosissime officium hodie impleant unitatis a Christo volitae inter cultores suos promovendae, maxime opus est ut theologia ecumenismi scientifice adstruatur atque ecclesiologiae integretur. Nam quo magis homines in scientiis addiscendis et in mediis communicandi perficiendis proficiunt, quo intimius inter se confoederantur populi et nationes, re politica, economica, sociali huc tendente, eo clarius patet scandalum discidiorum Christianos scindentium, eoque gravius obstant dissensiones religioni nostrae sanctae diffundendae. « Idque praesertim nostris hisce temporibus contingere lamentamur, quibus omnes Christifideles, collatis mentibus ac viribus, in unam Iesu Christi Ecclesiam congregari necesse est, ut contra invalescentes cotidie magis impietatis conatus communis acies conferta, concors, immota repugnet » (Pius XII, *Orientalis Ecclesiae, A.A.S.* 36, 132). Addatur quod Dissidentes, ope « World Council of Churches », tanta molientes, omnium oculos concitant ad videndum quid apud Catholicos agatur ad unitatem Christianam provehendam.

Exaranda igitur est theologia oecumenismi Catholici specificatis obiecto, scopo, principiis, methodo.

Finis oecumenismi imprimis statuendus est de quo disputant theologi utrum conversio simpliciter dicendus sit, ab errore nempe ad veritatem, an potius opus fovendi elementa quae apud Dissidentes sint boni supernaturalis, eliminandi quae sint mala.

Dissidentes hodierni, multis saeculis post exortam haeresim aut schisma elapsis, quomodo spectandi sunt? Quomodo se habent relate ad Ecclesiam Catholicam? Quibus bonis supernaturalibus fruuntur? Qui sciens et volens fidem, communionem, unitatem abiicit, aperte seiungitur a Corpore Christi mystico quod est Ecclesia. Quid dicendum est de baptizatis in haeresi aut schismate et bona fide gaudentibus? Utrum et in quantum concedendum sit apud tales adhuc superesse fidem, revelationem, vitam sacramentalem, caritatem? Utrum et quomodo haec supernaturalia in structuram socialem influant? Sane, Orientales dissidentes « non ingenti discrimine seiunguntur » a nobis (Leo XIII, *Praeclara Gratulationis,* LA 14 [1894] 199). Difficilius vero iudicatur de Protestantibus utpote haeresim sectantibus quae characteri ipsi supernaturali religionis nostrae directe adversatur (Leo XIII, *Immortale Dei,* LA 5 [1885] 133; *Iam Pridem,* LA 6 [1886] 13; *Providentissimus*

Deus, LA 13 [1893] 339; *Praeclara Gratulationis,* LA 14 [1894] 203; *Militantis Ecclesiae,* LA 17 [1897] 248-59; *Annum Ingressi,* LA 22 [1902] 57-8). Votum demum caritatis perfectae quo Christiani dissidentes cum Ecclesia Christi uniri possunt, societas qua talis emittere non valet, ita ut pro societate dissidente difficilius adhuc salvetur coniunctio cum Ecclesia.

Oecumenista igitur humillime petit ut edoceatur quo processu, quibus principiis innixus, quibus conditionibus statutis, opus reconciliationis quod omnibus Catholicis incumbit curare debeat.

Documenta Pontificia exhortantur ut unitatem Dissidentium cum communi Patre prosequamur precibus ad Deum effusis, integerrimae virtutis exemplo, labore indefesso, scriptis, alloquiis, operam adiutricem Ecclesiasticae Hierarchiae navando; urgent tamen fratres separatos ad unitatem alliciendos esse conversatione benevola, mutua aestimatione, sinceram efficacemque animorum benevolentiam adiumentum validissimum esse ad errantes cum Ecclesia Christi conciliandos.

Ut igitur dialogus oecumenicus fructu gaudeat, Catholici pro viribus niti debent, putamus, ut utrique parti clare in limine dialogi innotescant haec:

Ecclesia Catholica credit et affirmat se esse unam ac veram Christi Ecclesiam, fierique non posse quin Ecclesia Christi eadem prorsus hodie existat quae in aevo apostolico fuit; se nulla contaminatione maculatam esse; nihil sibi deesse, notam tamen unitatis obscurari atque gratiam supernam impediri in animis humanis quamdiu millia millium Christianorum ab ea seiuncti existant.

Catholici animo sincero, benevolo fratres separatos prosequuntur eorumque reditum ad unitatem veram anhelant, caritate Christi compulsi. Gratias Deo agentes, laetantes excipiunt, admittunt quidquid boni sit apud Dissidentes, sive Orientales, sive Protestantes. Provocant ad affata Sanctae Sedis de tanta apud Orientales divinae Revelationis parte religiosissime asservata, de sincero Christi Domini obsequio et in eius Matrem intemeratam amore pietateque singulari, de ipsorum Sacramentorum usu vigente (Pius XI, *Rerum Orientalium, A.A.S.* 20, 287).

Dolentes confitentur « miserrimum discidium quod tam multas... ecclesias ab radice unitatis abstraxerat, cum ex mutua imprimis populorum ignoratione et dispicientia, tum ex praeiudicatis opinionibus, quae diuturna animorum alienatione consecuta esset, necessario exstitisse; nec posse, nisi ea impedimenta amoverentur, tot malis medicinam adhiberi » (Pius XI, *Rerum Orientalium, A.A.S.* 20, 277).

Quia tamen fides docet Ecclesiam Romanam esse Christi Ecclesiam ad quam omnes revocandi sunt, Catholici investigationes dubio sic dicto

methodico innixas de existentia aut de identitate Ecclesiae verae nullomodo nec instituere nec participare possunt.

Quae omnia, principiis theologicis atque studiis historicis illustrata, in synthesim exarata ecclesiologiae videntur integranda.

DE SACRA LITURGIA

(G. Montaque)

I. Nova et emendata editio *Pontificalis Romani* valde desideranda est. In primis reformatio liturgiae Ordinum Minorum requiritur.

Quamquam canon 978 (Codicis Iuris Canonici) urget ut clerici, antequam ad altiores Ordines promoti sint, in receptis Ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, sese exerceant, in adiunctis hodie in seminariis praevalentibus hoc fieri nequit. Plerumque quidem fit ut duae Ordines Minores eadem occasione iisdem subiectis conferantur ita ut nonnisi spatium brevissimum Ostiariatum receptum inter et Lectoratum et inter Exorcistatum et Acolythatum interveniat. In petitionibus Sacro Concilio Tridentino submissis nonnulli, ne Ordines Minores tanquam « nuda nomina » aestimarentur, suaserunt aliquos modos in quibus Ordines exercerentur — e. g. ut Ostiarii librum status animarum ad usum parochi conficiant atque dent etiam opera ut coemeteria saepius verrantur et recte custodiantur; ut Lectores pericopes ex Sacris Scripturis fidelibus ante et post Missam legerent; ut Exorcistae aegris ministrent; ut Acolythi munera catechistarum exsequerentur. Quibus votis in silentio praetermissis sancta Synodus decernit ut in posterum ministeria Ordinum non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, functionibus eorum, quantum fieri commode poterit, restitutis et quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis clerici caelibes praesto non sint suffici etiam coniugati vitae probatae et idonei ad ea munera obeunda promoveri possint. Hodie res pastorales multum different ab iis quae illis temporibus obtinebant quia in regionibus multis pauciores sunt sacerdotes et vocationes adhuc paucae; quod nequaquam in melius vertetur vel ullo pacto minuendo obligationem caelibatus clericalis vel sacri ministerii statum ad vilitatem redigendo. Sed contra si res vere dignoscitur Ordines Minores usui adhiberi possunt ad sacerdotii dignitatem exaltandam et ad trahendos idoneos in statum clericalem. Insuper valent ad vocationem ad presbyteratum sacramentalem ab apostolatu laicorum aut « sacerdotio » laicorum secernendam.

Etsi Ordines Minores et Subdiaconatus fortasse medio aevo essent gradus veri potestatis Ordinis, intentio Ecclesiae nunc immutata esse

videretur. Papa Pius XII in Constitutione Apostolica *Sacramentum Ordinis* partem in ordinatione essentialem et exclusivam ritui primitivo impositionis manuum reddendo, Subdiaconatum et Ordines Minores quae sine impositione manuum conferentur in sacramentalia simplicia eo ipso redegit. Ordines Minores qua sacramentalia et restaurentur in positionem originalem tanquam propugnaculum statum clericalem inter et mundum et habeantur tanquam gradus in praeparatione spirituali ad presbyteratum. Necesse est emendatio rituum orationumque eorum ita ut manifesti essent solemnes benedictiones ab Episcopo dandae, sacramentalia, occasiones gratiae ex opere operantis et ex opere operantis Ecclesiae, vim habentes positam in virtutes Presbyteratus et in necessariam praeparationem spiritualem ad Ordines Maiores. Per duas tales benedictiones dandas solis clericis qui sint caelibes et ad sacrum Presbyteratum destinati, omnem potestatem Ordinum Minorum significari possunt. Quarum benedictionum ritus vera signa esse debent quod his levitis, postea quando sacerdotio insigniti erunt, custodia bonorum ecclesiasticorum, potestas exponendi Sacras Scripturas, ministerium aegrorum, servitium altaris commendabuntur. Ad has veritates orationibus ritibusque Ordinum Minorum significandas opus est mutationis tantum per lituram omnium provocationum ad munera quibus alumni de facto non perfunguntur vel ad potestates quae de facto non recipiunt e. g. munus custodiendi portas ecclesiae vel potestas eiiciendi daemonia.

In prima benedictione clericis exeunte primo cursus tehologici anno danda ritus Ostiariatus Lectoratusque coniungi possunt in unum atque pondus in virtutes fidelitatis, obedientiae, amoris scientiae, imponendum sit tali modo: Benedictio locum habet intra Missam. Pontifex clericos ante ipsum genuflexos admonet de *a*) diligentia in bonis Ecclesiae custodiendis, *b*) obligatione scientiae acquirendae, *c*) exemplo dictis et factis fidelibus praebendo. Tunc tradit singulis et claves ut signa bonorum materialium Ecclesiae et librum Sacrarum Scripturarum ut signa scientiae sacrae, dicens formulas Pontificalis. Postea dat benedictionem, dicens orationes *Domine sancte* ut nunc in ordinatione Lectorum et *Omnipotens aeterne Deus* ut in ordinatione Acolythorum.

Secunda Benedictio post secundum cursus theologici annum danda componi potest ex orationibus ritibusque Ordinum Exorcistatus et Acolythatus et pro alumnis virtutes abnegationis, veri studii gloriae Dei animarumque salvationis et fidei virtutem imploret. Ita disponatur: Intra Missam Pontifex, dicta *Gloria in excelsis,* sedet et dat clericis instructionem: *a*) ut seipsos abnegent sicut decet omnes qui mancipati sunt divinis altaris ministeriis; *b*) ut in amore Dei et animarum crescant; *c*) ut praecipue virtutem fidei augere colant. (Cf. Instructio Acoly-

thorum ut nunc in Pontificali, omissis verbis de luminariis ecclesiae accendendis). Deinde illis tradens candelam accensam dicit formulam primam in Ordinatione Acolythorum sed sic emendatam: « *Accipite... cereum et scitis vos ad servitium altaris mancipati etc.* ». Postea dat benedictionem dicens orationes *Deum Patrem omnipotentem* et *Domine sancte, Pater omnipotens;* quae orationes inveniuntur in Pontificali: De Ordinatione Acolythorum sed omittenda sunt verba de luminariis accendendis necnon de vino suggerendo.

Tales benedictiones solemnes solis clericis ad presbyteratum candidatis dandae sint et in hoc valeant ad statum ecclesiasticum a mundo et sacramentum Presbyteratus a « sacerdotio » laicorum secernendum. Laici etiam nominati apostoli semper a clericis distinguendi sunt; officia catechistarum etc. si talia ab Ecclesia sint constituenda ita tamen committi debentur ut nullo modo cum ritibus Ordinum Minorum vel cum praeparatione ad sacramentum Sacerdotii confundi possint.

II. Similiter codificatio rubricarum Caeremoniarum Pontificalium valde desideranda est. Cum *Caeremoniale Episcoporum* fundamentum habeat in quasdam compilationes saeculo XVI editas (nempe *Caeremoniale S. R. Ecclesiae* (1516) et *De Caeremoniis Cardinalium et Episcoporum,* Paris de Grassi editore) in multis rebus perpetuos reddit mores qui ad medium aevum et consuetudines temporum feudalium pertinent. In illis regionibus in quibus cum prima editio *Caeremonialis* in saeculo XVII in lucem emissa sit, Ecclesia aut vehementer vexabatur (in (Anglia et Hibernia) aut nondum firmiter in regione constituta sit (e. g. in America Septentrionali) *Caeremoniale* de facto numquam plene est acceptum. Hodie tempus postulat in caeremoniis plus gravitatis poni in naturam pastoralem officii Episcopalis non autem in minutiis caerimoniarum. Iam in illo novo (1957) *Ritu Pontificali Ordinis Hebdomadae Sanctae Instaurati* habemus egregiam applicationem rituum Pontificalium Hebdomadae Sanctae et debitam eminentiam quoad Episcopum ut est praecipuus pastor gregis sui. Itaque secundum hoc exemplum *Caeremoniale Episcoporum* emendetur e. g.:

a) Caligae et Sandalia iam ne gerantur: sunt enim incommoda, nescimus rationes similitudinum eorum et praeterea caeremonia vestitionis dignitate caret.

b) Simpliciores sint vestes Praelatorum. Vestem opere denticulato et reticulato distinguere ratione honoris aut dignitatis magis ad saeculum XVII quam ad saeculum XX pertinet.

c) Decet ut pro omnibus functionibus Pontificalibus, saltem ad faldistorium Episcopus induat paramenta aut in secretario aut sacristia nunquam autem in sanctuario.

UNIVERSITAS CATHOLICA MEDIOLANENSIS SACRI CORDIS

UNIVERSITÀ CATTOLICA DEL SACRO CUORE

Milano, 2 maggio 1960

Eminenza Reverendissima,

Con venerata Sua del 18 luglio 1959 Vostra Eminenza chiese anche alla nostra Università di sottoporre alla Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico del materiale di possibile discussione su ogni materia che potesse interessare la vita e la disciplina dei cattolici.

Le Facoltà della nostra Università hanno studiato nei trascorsi mesi i problemi da proporre all'esame dei Padri del Concilio e mi hanno presentato le conclusioni, che io ora trasmetto alla Eminenza Vostra, redatte con la maggior concisione possibile compatibile con la chiarezza.

Le bacio con devozione la porpora e Le presento il più vivo ossequio.

FRANCESCO VITO

Allegati:

n. 1. - De iustitia sociali inter gentes
n. 2. - De existentia Dei philosophice demonstranda
n. 3. - Sacerdotes in psychologiae studiis versentur
n. 4. - De instantibus rei demographicae processibus progressibusque.

DE EXSISTENTIA DEI PHILOSOPHICE DEMONSTRANDA

I

Iterum atque iterum saeculo nuper praeterito infallibile Ecclesiae Magisterium *fideismum* damnavit, cuius erroris sectatores hominum mentibus quamlibet facultatem exsistentiae Dei rationabiliter demonstrandae detraxerant.

Iam Concilium Vaticanum *Constitutione* illa *dogmatica de fide Catholica* Summique Pontifices Litteris Encyclicis *Pascendi, Studiorum ducem* et *Humani generis* uno ore declaraverunt *Deum rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse* (*Conc. Vatic., De Revel.,* II; Denz. 1785); attamen fideismus, fucatus quamvis personatusque, novissimis temporibus e latebris usque scatet. Damnata sane sunt decreto *S. Officii* (die 17 iunii 1958) opera Henrici Duméry, at non desunt inter catholicos doctos viros qui doctrinis aperte adversantibus dogmati a Concilio Vaticano sollemniter enuntiato ac definito plaudant faveantque.

Hoc igitur est in votis, ut quod futurum est Oecumenicum Concilium illius dogmatis memoriam repetat revocetque.

II

Quod doctrinae caput (Dei scilicet exsistentiam rationabiliter demonstrari posse) duplici fundamento nititur: suis viribus pollere veterem in scholisque traditam metaphysicam doctrinam (quae mens est Encyclicarum cum *Pascendi* tum *Humani generis*), atque humanas mentes ad veritatem assequendam sane idoneas aptasque dicendas.

In praesens autem non desunt qui pro tradita doctrina *metaphysicen,* quae dicitur, *subiecti* supponere conentur explicitisque verbis, prae ceteris, ipsum causalitatis principium negent. Veremur quidem ne prorsus inutile sit eos condemnare, qui ad extrema ex erroribus consequentia pervenerint, nisi pariter eodemque actu ii reprobentur, qui ipsa veritatis fundamenda evertunt, seminaque inducunt, e quibus iidem errores inexorabiliter enascentur atque illico luxuriabunt.

III

Eventuum vices hominumque facinora, ex duobus praesertim novissimis immanibus bellis, omnium animis persuaserunt de ipsis Iuris Naturalis fundamentis necessario ac sollemniter affirmandis. Adde, quod complures Philosophiae Iuris ac Politicorum magistri eas suggerunt petulanter doctrinas, quibus nulla condendi Iuris ratio consistere queat, quin et ad id perveniunt, ut nullum absolutum summumque ius iam condi possit.

SACERDOTES IN PSYCHOLOGIAE STUDIIS VERSENTUR

Qui nostris temporibus in studia Psychologiae evolvenda incubuerunt, in ea praesertim, quae ad progredientem aetatem spectant, quaedam mira nec opinataque animi insignia ex adulescentium utriusque sexus moribus notaverunt, quae non parentibus tantum animadvertenda, et iis etiam addiscenda sunt, qui munere funguntur conformandi adolescentium adultorumque animos ad divinas doctrinae morumque institutiones.

Nonne cavendum est ut ad eadem Psychologiae studia aggredienda Seminariorum alumni inducantur, qui in Theologiae curriculis versantur, vel saltem qui, post nuper receptum Presbyteratus Ordinem, ad studia perficienda sedulo incumbunt? Cum vero complura sint huius scientiae perscrutandae deverticula (*clinica,* ut dicitur, ac *de adolescentibus,* etc.), eiusdem praecepta alte a magistris declarentur, sive ab ordinariis Moralis Theologiae doctoribus, sive a peritis viris, ad id munus peculiariter advocatis. Arduum sane difficillimumque Sacerdotii ministerium et obaudiendas sacras confessiones complectitur et animis dirigendis deditur et accessum ad mentes cordaque complurium utriusque sexus adolescentium requirit: perutiliter ergo Seminariorum alumni optimis quibusque Psychologiae elementis imbuantur.

DE INSTANTIBUS REI DEMOGRAPHICAE PROCESSIBUS PROGRESSIBUSQUE

Periti eruditique de re Demographica viri, attentius in dies attentiusque ea expedire conantur, quae de augmentis humanae stirpis incrementisque ab omnibus praesentiuntur.

Graves inde controversiae exortae sunt, ac nuper graviores effectae,

praesertim cum, medicis hygienicisque auctis notitiis adiumentisque, iisdemque inter populos cultu humanitateque paene expertes vel divitiis prorsus carentes distributis, datum specimen intereuntium hominum ad infimos repente indices recederet, nascentium vero ad summos eveheretur.

Quamquam Ecclesiae magisterium complura documenta de re morali circa ordinanda dispensandaque hominibus nascendi initia elargitum est, nonnulli tamen homines curis sollicitudinibusque adhuc anguntur, quippe qui ex quadam de difficili re ignorantia laborent, argumentorumque multiplices difficultates minime discribere valeant.

Mature igitur iam affirmandum censemus rei demographicae summam non in se tantum atque ex se spectandam esse, sed habita ratione oeconomici ordinis sese in dies explicantis atque expendientis.

Ac peculiariter quaestio ne contrectetur, nisi perpensis miris novisque omnium artium inventis: nam homines mirum in modum corporea omnia etiam atque etiam domant, impedimentaque complura pervincunt eaque ad vitae utilitates progressusque reducunt atque subiciunt.

DE IUSTITIA SOCIALI INTER GENTES

Mutuae inter gentes necessitudines ad rei socialis rationes spectantes non minori gravitate hisce temporibus expediuntur quam, exinde a medio saeculo nuper praeterito, investigatio perficienda fuit de coniunctis officiis consuetudinibusque inter dispares civium coetus. Communi namque prosperitate per fabriles industrias quaesta obtentaque, politica oeconomicaque instituta nationum, quae Occidentales vocantur, penitus commutata sunt. At nuper post confectum bellum, ante omnium oculos propositum est singulas gentes haud simili bonorum ubertate minime frui; quod magis magisque patet, cum multiplicentur in dies rerum subvectus nuntiique festinantius communicentur. Concitationes inde animorum natae minaeque belli cohortae.

Ecclesia Catholica, praesertim per Summum Pontificem Pium XII, nihil praetermisit, quin affirmaret iustitiae fundamentum ad mores cum exteris quoque gentibus gerendos adhibendum esse, eadem ratione, qua, haud remotis temporibus, asseveraverat iustitiam firmamentum conflictuum inter societatis coetus componendorum arcemque esse (Encyclicis *Rerum Novarum, Quadragesimo anno*).

Rerum publicarum moderatores quique politicis rebus ubicumque terrarum componendis intersunt, et verum iamdiu duxerunt et aperte declaraverunt iustitiam inter nationes omnes certo servandam esse (*Char-*

tam quidem *Atlanticam* a. 1941 datam memoramus, conscriptumque *Proemium* ad *Chartam illam civitatis S. Francisci,* nec non multiplicia illa testimonia apud *Nationum Unitarum Contionem* habita). Dein, cum sodalicia inter nationes constituta, tum opulentiores populi complura pauperioribus gentibus auxilia distribuerunt atque in posterum maiora promiserunt.

Sed gravis adhuc quaestio pendet, quaenam harum largitionum causa sit, cum omnes communiter generatimque affirment se paci in orbe terrarum conservandae consulere. Quod honestum sane probumque consilium nobis attentius rem inspicientibus ineptius quidem ad auxilia in posterum diu producenda videtur: veremur namque ne quem largitorem suae prodigalitatis poeniteat vel accipientes grato aperte animo tandem deficiantur.

Iustitia ergo utpote solidius fundamentum inter gentes proferenda est, quae hominum personas respicit et digno honore excolendas et ad meliora continuo efferendas.

Ut omnes homines iure proprio ac nativo fruuntur ad subsidia vitae obtinenda, ita tenuioris cultus gentes ius proprium habent beneficia ex opulentioribus populis recipiendi. Quod quidem minime ius proprietatis tollit, quin et ipsum firmioribus fundamentis auget consolidatque, instrumentumque primum condendae legis efficit de bonis distribuendis ad omnium hominum commoda procuranda necessitatesque sublevandas.

Hoc tamen iuris principium, quo futurae inter gentes rationes nitantur atque innoventur, bonum usum adhuc exercitationemque desiderat. Rogamus inde, compluresque nobiscum postulant catholici docti viri, ut de hac re proba doctrina cum theologiae philosophiaeque rationibus congruens elaboretur, scientiarumque socialium experimenta minime neglegantur.

UNIVERSITAS MARIANOPOLITANA

UNIVERSITÉ DE MONTRÉAL

Montréal, 27 avril 1960
N. P. 1220/60

Eminence Révérendissime,

Vous trouverez ci-inclus deux mémoires, l'un préparé par la Faculté de Théologie de l'Université de Montréal, l'autre par le Doyen de la Faculté des Sciences politico-sociales de la même Université.

Nous sommes un peu en retard pour vous envoyer ces documents mais nous croyons qu'il est encore temps pour les verser aux dossiers de la Commission antépréparatoire du Concile.

Trois autres mémoires sont en préparation: l'un de la Faculté de Médecine, l'autre par le Doyen des Etudes commerciales et un troisième par la Faculté de Philosophie. Dès que ces documents seront prêts, je vous les expédierai.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'expression des sentiments de vénération avec lesquels, en baisant votre pourpre sacrée, je suis heureux de me redire

de Votre Eminence Révérendissime
le très humble et dévoué Serviteur en N.-S.

✠ PAUL EMILE Card. LÉGER
Archevêque de Montréal

Montréal, 29 avril 1960

Eminence Révérendissime,

Pour faire suite à la lettre que je vous adressais le 27 avril courant, n. p. 1220/60, veuillez trouver ci-inclus le troisième document préparé par l'Université de Montréal. Les deux autres suivront sous peu.

Daignez agréer, Eminentissime Seigneur, l'expression des sentiments de vénération avec lesquels, en baisant votre pourpre sacrée, je suis heureux de me redire

le très humble et dévoué Serviteur en N.-S.
de Votre Eminence Révérendissime

✠ PAUL EMILE Card. LÉGER
Archevêque de Montréal

DESIDERATA CONCILIO OECUMENICO PROPONENDA A FACULTATE THEOLOGIAE

I - Cum *Catechismus Romanus,* seu Catechismus Concilii Tridentini, adhuc sit liber pastorum et norma praedicatorum, desideratur revisio illius catechismi in qua integrarentur omnia puncta doctrinae definita a tempore concilii Tridentini v. g. de infallibilitate Romani Pontificis, de Immaculata Conceptione et Assumptione Mariae Virginis, de sacramento Ordinis, etc. Praeterea, praesentibus necessitatibus responderent accuratior interpretatio textuum Sacrae Scripturae et usus theologiae Kerygmaticae dictae.

II - Ut concilientur veneratio erga Bibliam, inquisitio vere scientifica, et docilitas erga Magisterium Ecclesiae; ut efficacius dirigatur labor circa datum revelatum; desideratur quaedam *Constitutio de Fontibus Revelationis,* in qua praecisius explaneretur:

1) Quid sentiat Ecclesia de « Verbo Dei scripto *et tradito* »: i. e. notio Traditionis, utrum Traditio sit solus sensus fidelium? Utrum unicus fons Revelationis sit « Scriptura lecta in Ecclesia »?

2) Item quaenam sint relationes inter S. Scripturam et Traditionem?

3) Item in quonam sensu sit accipienda mens Leonis XIII circa Inspirationem datis novis methodis interpretationis (v. g. genera litteraria) quae saepe aliqualem diffidentiam generant erga S. Scripturam.

4) Item quid sit sentiendum de decisionibus Commissionis Biblicae.

5) Tandem quid sit Magisterium Ordinarium Ecclesiae; quaenam sint eius munus et auctoritas, speciatim in interpretatione Encyclicarum; et quomodo in conscientia ligare possunt Encyclicae.

III - Desideratur aliqua constitutio generalis de notione *supernaturalitatis,* de eius gratuitate, et forsan de aliquibus consectariis sicut v. g. de existentia limborum puerorum, item de sorte parvulorum qui mortui sunt antequam baptizari possent: quidnam valeat opinio eorum qui tenent illos parvulos salvari sive fide parentum, speciatim matris quae voluit baptismum infantum, sive etiam Ecclesiae communis Matris omnium; quid de opinione illorum qui putant parvulos momento mortis, habere illuminationem et consequenter optionem personalem et definitivam. Hodie multum disputatur de hoc puncto doctrinae: non pauci vellent dare

aliquam consolationem matribus qui infantes perdunt ante baptismum eorum, etiam sine culpa parentum.

IV - Quid sit sentiendum de omnibus theoriis psychologicis modernis ad Humanitatem Christi applicatis, in quibus praesentatur illa Humanitas tamquam subiectum independens psychologice a persona Verbi et conscia per se: quae doctrina videtur aperire viam ad « hominis assumpti » theoriam, reprobatam ab Encyclica « Sempiternus Rex » (1951).

V - Quaeritur num, mutatis circumstantiis oeconomicis aut, ut dicunt, data evolutione historica, adhuc possit sustineri id quod docuit Pius XI *De mercede familiari debita ex iustitia districta,* in *Casti Connubii* (*A.A.S.* XXII, p. 589), *Quadragesimo Anno* (*A.A.S.,* XXIII, pp. 200-202) et Divini Redemptoris (*A.A.S.,* XXIX, p. 80)?

Explicatio huius principii perficeret unitatem catholicorum in quaestione tanti momenti.

VI - Desideratur notio clara *operis servilis* a quo debent fideles abstinere diebus dominicis et festis de praecepto. Variae enim dantur a variis auctoribus definitiones operis servilis; unde multum iuvaret definitio clara, omnibus acceptabilis, ad conscientiam fidelium serius formandam et ad casus particulares solvendos.

VII - Desideratur revisio circa opera in *Indice* relata, forsitan indicando pericula cuilibet operi propria, sequendo viam et doctrinam a Sancta Sede expositam. Iuvaret confessarios et etiam fideles expositio clarior regularum quas sequi debent in applicatione Indicis.

VIII - Desideratur aliqualis simplificatio quoad *reservationem censurarum,* et forsan circa aliqua *impedimenta matrimonialia.*

SPIRITUALITÉ DE L'HOMME D'AFFAIRES

Les notes qui suivent posent le problème de l'homme d'affaires chrétien, tenu par métier de réaliser sa vocation d'homme et de baptisé dans les cadres et sous la dépendance d'une économie qui s'est édifiée au long des années et continue de fonctionner sans référence aux valeurs spirituelles et à la vocation surnaturelle de ceux qui y participent.

L'homme d'affaire contemporain, comme le type professionnel qui s'est dégagé de l'économie technique-scientifique à mesure que lui-même la façonnait de ses mains, est un des types sociaux les plus influents de notre époque. Pourvoyeur des individus et de la société en biens utiles, dispensateur d'une proportion sans cesse croissante de l'emploi, principal créateur des capitaux de renouvellement et d'expansion de l'économie, son activité professionnelle se déploie, non pas au niveau de l'individu

isolé comme praticien d'une profession autonome, mais à celui des institutions, comme chef social. De l'idée qu'il se fait de lui-même et de son rôle dépendent l'ordre et la marche de la société.

Or, par métier, il est voué à la production et à la distribution des richesses. De toutes les grandes professions de notre temps, la sienne est la seule qui ait directement pour object la création des biens matériels. D'où opposition au moins virtuelle entre l'objet de son activité professionnelle et le précepte évangélique de pauvreté, de détachement.

Pour réussir, l'homme d'affaires, comme le praticien de n'importe quelle profession, doit aimer son métier, s'y adonner de toutes ses forces. D'autant plus que le régime des affaires est fondé sur la concurrence et que ses techniques sont en constante et rapide évolution. Aucun métier n'exige mobilisation plus complète des énergies. D'où pour celui qui le pratique, le risque de se laisser accaparer par la recherche de l'argent au détriment de ses fins supérieures d'homme et de chrétien.

L'économie technique scientifique déjà installée dans la plupart des pays de l'Occident est désormais une aspiration commune à tous les autres. Elle procède d'une sorte de matérialisme pratique, issu du libéralisme et du positivisme scientifique. Elle ne combat pas nécessairement les valeurs morales, mais n'y attache de prix qu'accessoirement, dans la mesure où ces valeurs dictent aux individus une conduite et créent un climat social favorable à la stabilité et au progrès des affaires.

L'homme d'affaires en est l'artisan. C'est sur sa compétence que l'on compte pour en assurer l'expansion continue dans les pays évolués, et en apporter les bienfaits aux pays dits sous-développés — au risque d'en propager en même temps l'esprit.

L'homme d'affaires a donc le devoir: *a*) de réaliser sa vie d'homme et de chrétien *dans* et *par* l'exercice de son métier; *b*) d'exorciser l'économie du matérialisme pratique dont elle procède et de la rebâtir selon la conception chrétienne de l'ordre. Sur ce point, les Souverains Pontifes depuis Léon XIII ont prodigué un enseignement doctrinal complet. Reste à former les hommes qui en assureront la réalisation. Pour que les relations d'affaires et le fonctionnement des institutions soient réglés selon la justice, il faut que l'esprit de charité anime tous ceux qui y participent — particulièrement ceux qui en ont l'initiative première et la direction.

Il importe donc d'assurer aux hommes d'affaires, animateurs de la vie économique, une formation spirituelle qui leur permette, avec la grâce de Dieu, de surmonter le conflit dans lequel ils sont quotidiennement engagés, et qui oppose les fins de leur activité professionnelle aux préceptes évangéliques.

On peut se demander si l'enseignement usuel de l'Eglise touchant les rapports de l'homme et des biens matériels ne devrait pas être réexaminé en regard des besoins d'une époque où la production et la distribution des richesses sont devenues une fonction primordiale des sociétés, et pour bien des peuples, une condition de salut. Au sujet de ceux qui, par la création d'entreprises, font servir leur fortune à la prospérité commune, saint Thomas d'Aquin parle de la vertu de *magnificence* et Pie XI de la vertu de *munificence*. Mais quels moyens mettre en œuvre pour éclairer la démarche quotidienne de l'homme d'affaires, créateur de richesses et chef social, et l'inciter à faire vertu de son activité professionnelle? Problème de spiritualité qui se situe au delà de la connaissance même approfondie de la philosophie et de la morale sociales, et qui en commande la pratique.

MEMOIRE À LA COMMISSION PRÉPARATOIRE AU CONCILE ŒCUMÉNIQUE SUR LE PROBLÈME DES « FACTEURS NON-THÉOLOGIQUES ».

Le présent mémoire a pour but d'attirer l'attention de la Commission Préparatoire au Concile Œcuménique sur le problème des « facteurs non théologiques », c'est-à-dire sur les facteurs d'ordre culturel, social, économique, politique, racial, ethnique, éducationnel, etc. et leur influence sur les relations entre les différentes collectivités chrétiennes.

La question des « facteurs non-théologiques » est liée au double phénomène de transcendance et d'incarnation de l'Eglise. L'Eglise étant insérée dans le dynamisme même du développement humain sous la forme d'une organisation visible, ne peut-être étrangère aux structures temporelles. Par exemple, dans l'Institution ecclésiale, certaines structures sont divines (l'apostolicité), d'autres sont d'origine ecclésiastique et donc intimement liées aux précédentes mais néanmoins différentes des premières. D'autres structures, enfin, accompagnent l'Eglise suivant les temps et les lieux pour l'insérer dans chaque société et sont, jusqu'à un certain point, dépendantes des conjonctures culturelles, politiques, économiques et sociales de chaque société.

La question des facteurs « non-théologiques » se situe au plan de ces conjonctures, mais elle est d'autant plus importante que l'immanence de l'Eglise est inséparable de sa transcendance. Cependant, les influences « non-théologiques » sur la vie religieuse n'ont été pendant longtemps que fort peu étudiées. Aujourd'hui, grâce au développement très récent

de la sociologie, de l'économique, de l'anthropologie, de la science politique, etc., il est devenu possible d'examiner plus en détails les conséquences de l'immanence, de l'incarnation de l'Eglise dans la conjoncture spécifique de chaque société humaine.

Il existe beaucoup de raisons pour croire que certains des problèmes devant le Concile Œcuménique se situent au niveau des conjonctures spécifiques des différentes sociétés humaines. Il serait donc souhaitable que la Commission Préparatoire au Concile Œcuménique examine cette question pour déterminer son importance. Nous nous permettons de suggérer qu'il serait peut-être avantageux pour les délibérateurs du Concile Œcuménique qu'une étude spéciale, faite conjointement par des théologiens et des spécialistes des sciences sociales, soit entreprise sur la question des facteurs « non-théologiques ». Cette étude servirait aussi à clarifier l'attitude que devraient prendre les catholiques envers ces problèmes.

Nous nous permettons donc de suggérer que la Commission Préparatoire étudie les possibilités de réunir des représentants des sciences sociales (ayant une connaissance des problèmes de conflits entre groupes: les disciplines principales sont la sociologie, l'antropologie, la science politique et la science économique), avec des spécialistes des différentes régions où l'union entre les communautés chrétiennes présente des aspects particuliers (Moyen-Orient, Afrique, Asie, etc.). Ces différents spécialistes siégeraient ensemble avec des théologiens choisis pour leur connaissance des conflits doctrinaux entre les différentes communautés chrétiennes.

Ce Comité devrait être capable non seulement de préciser l'existence et l'importance des facteurs non-théologiques ayant opéré comme cause de conflit entre les différentes communautés chrétiennes, mais aussi de présenter des recommandations spécifiques quant aux possibilités de diminuer les causes non-théologiques de tensions ou de conflits.

Nous nous permettons aussi de suggérer que ce Comité soit formé le plus rapidement possible afin de lui donner la possibilité de faire entreprendre, si ceci est jugé nécessaire, des enquêtes régionales par des spécialistes catholiques des sciences sociales. Ces enquêtes auraient pour but pratique d'orienter les recommandations du Comité au Concile Œcuménique.

UNIVERSITAS CATHOLICA NIAGARAE

NIAGARA UNIVERSITY

Die 12 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Facultates istius almae Universitatis Niagarae et Seminarii Dominae Nostrae Angelorum necnon utriusque instituti alumni una mecum Eminentiae Tuae ac omnibus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico membris magno cum affectu atque ferventi animo salutem dicunt.

Cum utriusque facultatis Magistris pertractatione habita de re et audita mea consultatione, humiliter Eminentiae Tuae et tuae Commissioni mitto hic allata proposita quae, inter multa selecta, nostra sententia maxime Ecclesiae prodesse et vestra perspectione ac consideratione digna esse existimavimus.

Opportunitate utor ut certiorem te faciam de mei Praedecessoris in officio Rectoris Magnifici, Admodum Reverendi Francisci L. Meade, C.M., decessione, quae evenit die 13 februarii 1958. Quare eiusdem C.M. Superiores me ut eius in locum succederem designarunt.

Dum meae devotionis ac aestimationis tibi afferro protestationes Spiritus Sancti auxilium invoco ut Eminentiam Tuam et tuos socios in conspicuo labore adiuvet.

Humilem tuum servum in Christo me declaro

VINCENTIUS T. SWORDS, C. M.
Praeses

VOTA

De liturgia

Desideramus nostram vocem addere commendationibus iam antea factis ut Divinum officium brevietur et lectiones ad tres limitentur. Hoc praesertim subveniret sacerdotibus in ministerio animarum incumbentibus saltem in diebus festis et Dominicis.

Desideramus ritum baptismatis infantium simplificari circa caeremonias praescriptas antequam in baptisterium ingrediatur unum tantum exorcismum servando.

In celebratione paroecialium vel conventualium Missarum, vel in aliis Missis in quibus assistit congregatio fidelium liturgica lectio Scripturarum locorum (nempe Evangelii, Epistolarum vel aliarum lectionum) in vernacula lingua permittatur et adversus congregationem.

De populo christiano

Commendamus ut populus Christianus iterum atque iterum instruatur et inducatur ad spiritum sacrificii a magistris et praedicatoribus; nam spiritus saecularis et amor suipsius graves rationes constituunt quibus permulti animati non sunt ad religiosam vocationem amplectendam. Cupimus etiam ut frequentius doceatur et praedicetur de eminentia et gloria religiosae atque sacerdotalis vocationis.

Provisiones capiantur ad pugnandum crassum materialismum quod tot ex nostris catholicis affecit.

Provideatur ad illuminandam et commendandam sanctitatem matrimonii, auctoritatem patris familias, vocationem matris ut herae.

De sociologia

Commendamus: Media excogitari ad completiorem applicationem socialium doctrinarum Leonis XIII et Pii XI in catholicis nationibus.

De clero

Commendamus: Ministros Protestantes, qui uxorem duxerunt et conversi sunt ad Ecclesiam veram, permitti ut sacris studiis se dent in aptis

seminariis et recipiant ordinem presbyteratus, ita reducendo in praxi generali quod recenti tempore Sancta Sedes permisit paucis in casibus. Hoc posset fieri ad tempus seu ad experimentum, verbi gratia per hanc generationem.

De adolescentium institutione

Ut in catholicis Universitatibus et huiusmodi scholis (quae v. g. in Statibus Foederatis Americae « Colleges » dicuntur) atque in Seminariis maioris momenti et ponderis sint contemporaneae philosophiae studia optamus, earum praesertim idearum contra Christiana principia pugnantium, quas saepissime maerenti animo subvertere vidimus ingenia animosque nostrorum iuvenum. Ideo studiosi catholici, sive ex Universitatibus sint sive ex Seminariis, ita parati esse deberent putamus hac de re ut perapte quam maxime perniciosis contemporaneae philosophiae sententiis respondere ex Scholastica philosophia valerent.

De Ecclesia

Optamus ut

a) Tamquam sententia Oecumenici Concilii edatur illud iam vulgatum Sancti Officii documentum die 8[a] mensis augusti anno 1949 Em.mo Card.li Cushing data circa « Feeney » casum, in quo Sanctum Officium ipsum tam perpulchre ac concinne praebet authenticam et traditionalem Ecclesiae interpretationem illius iam definitae veritatis « Extra Ecclesiam nulla salus ».

b) Synthetice Sacrum Concilium explanet relationem inter voces iuridico-theologicas « *Persona in Ecclesia* » (canon 87) atque « *Subditus seu subiectum Ecclesiae* » et « *Membrum Ecclesiae* » (*Mystici Corporis Christi quod est Ecclesia* Pius XII, die 29 mensis iunii, anno 1943).

De mariologia

Erga coelestem Matrem nostram, Mariam, pietate atque amore, quae semper in hac nostra Universitate ac Seminario plusquam per integrum saeculum praestiterunt et quae tamquam hereditas tradita sunt Filiis a Patre ac Fundatore nostro S. Vincentio a Paulo, vehementer compulsi rogare audemus ut Sancta Synodus animadvertat ac ponderet Beatae Virginis Mariae titulos, quibus co-redemptrix atque mediatrix gratiarum omnium invocatur.

Obsecramus ergo Sanctam Synodum ut isti tituli qui sint et num definiendi sint tamquam dogmaticae veritates perspectetur; quodsi ita res se habeat, num sit hoc nostrum aptissimum tempus ut definiantur.

UNIVERSITAS CATHOLICA
NOVIOMAGENSIS

SENAAT DER R.K. UNIVERSITEIT

Nijmegen, 19 aprilis 1960

Eminentissime ac Illustrissime Domine,

Precibus Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico, expressis in litteris diei 18 mensis iulii anni 1959 sub n. 2 C/59-32, professorum senatus Universitatis Catholicae Noviomagensis in Hollandia hisce litteris libenter annuit. Gratias agenti cumulatissimas propter praedictas preces, Senatui Universitatis Noviomagensis, re inter diversarum facultatum professores mature perpensa, visum est — si ei fas sit — sequentia themata ac problemata, catholica haud ambigua solutione adhuc carentia, benevolae animi attentioni Patrum Concilii Vaticani secundi esse proponenda.

Sperans fore ut haec vota aliquantulum prodesse possint muneri Commissionis Antepraeparatoriae, Senatus Universitatis Noviomagensis humiliter petit ut Paternitas Vestra paternam suam benedictionem ei impertiatur.

L. G. A. SCHLICHTING
Rector

QUOAD MYSTERIUM ECCLESIAE

Ut pluribus quaestionibus practicis sub lite positis solutio afferri possit, valde exoptandum videtur, ut Sacra Synodus quaestionem palmarem, circumstantiarum temporis causa a Concilio Vaticano primo derelictam, prius reassumat, nempe de constitutione Ecclesiae. Circa quae sequentia.

1. Ut definiatur mysterium Ecclesiae relate ad ideam biblicam Regni Dei, ita ut Ecclesiae tam character pneumaticus quam indoles sacramentalis seu visibiliter terrestris clariore in luce ponantur.

2. Qua definitione facta, accuratior definitio hierarchiae ecclesiasticae seu status clericalis tradi possit, ea lege ut varii gradus hierarchiae atque horum inter se nexus patefiant: scilicet relatio inter Summum Pontificem et episcopos in mundo dispersos, sensus s. d. autonomiae potestatis episcopalis in propria dioecesi relate ad supremam iurisdictionem papalem et ad varios modos apostolatus ecclesiastici supradioecesani, relatio inter presbyteratum et episcopatum necnon inter diaconatum ex una parte et episcopatum et presbyteratum ex altera. Hac elucidatione compertum foret, utrum exoptandum sit ut praeter diaconatum, qua viam ad presbyteratum, restaurari possit antiqua traditio sacri ordinis diaconatus qua muneris clericorum quorundam de se ad ordinem persbyteratus non provehendorum. Caelibatus horummodi diaconorum specialem animi attentionem Patrum Concilii mereatur. Demum his omnibus praehabitis pateat utrum exclusio omnis feminae a munere hierarchico sit iuris divini necne.

3. Praeter statum clericalem definiatur status quoque laicorum fidelium in mysterio salutis Ecclesiae, ut genuinus sensus, locus proprius propriumque munus laicorum in Ecclesia clarius liqueant. Insuper ut praedefinitum munus horum in Ecclesia laicorum etiam canonice determinetur et protegatur.

4. Exoptandum deinde videtur ut, ratione habita christianorum separatorum necnon baptizatorum non amplius reapse fidelium, varii gradus incorporationis in Ecclesia circumscribantur ea lege ut notio « membrum Ecclesiae » accurata evadat.

QUOAD HABITUDINEM ECCLESIAE RELATE AD MUNERA HUMANITATIS INTRAMUNDANA SEU TERRESTRIA

1. Cum rationes et circumstantiae politicae inde a damnatione ecclesiastica Liberalismi penitus transmutatae sint, hodiernis in adiunctis sub novo lumine quaestio ponitur de indole saeculari Status seu de « laicitate Status », quippe quae notio de iure saltem et per se amplius non sit particeps characteris anti-religiosi sicut e contra in laicismo saeculi XIX moris erat. Quam ob rem optandum est ut argumentum seu contentum authenticum « tolerantiae christianae » necnon iura « libertatis conscientiae » profundius enucleentur.

2. Cum libera disquisitio scientifica pro hominibus scientiis deditis sit officium conscientiae, quo fungi debent fugientes tam omnem concordismum non-scientificum inter rationem et fidem quam scientismum, fas sit optare ut praedicta libera disquisitio scientifica etiam cohortatione ex parte Ecclesiae hierarchicae fruatur.

3. In eodem prospectu exoptandum est, ut Ecclesia, damnando systemata et sententias in re philosophica, sociali, psychologica etc. cum doctrina et moribus Ecclesiae militantes, expressius declaret se non intendere nucleos veritatis hisce sententiis ac systematibus non raro inhaerentes in periculum ac discrimen ponere.

4. Demum in eadem mentis aura quaestio poni possit, utrum praesertim in educatione vocatorum ad sacerdotium methodi et rationes probatae scientiarum psychologiae, paedagogiae, sociologiae experientalis etc., efficaciore modo adhiberi debeant.

QUOAD PROBLEMATA CURAE PASTORALIS ECCLESIAE PRAESERTIM IN RE LITURGICA ET MISSIONARIA

1. Ut populus christianus actuosa participatione intimius in sacris communicare possit, exoptandum videtur ut studio submittatur usus linguae vernaculae in Sacra Liturgia. Lingua tamen liturgica, quaequae sit, sacrae indoli Liturgiae adaptetur.

2. Permittatur concelebratio in sacrificio eucharistico ubi circumstantiae peculiares id suadeant, e. gr. in communitatibus religiosis, in seminariis, et alibi ubi plures adsint sacerdotes secus Missas s. d. privatas insimul celebrantes.

3. Studeatur possibilitas ut etiam in ritu latino iis quoque qui non

sunt sacerdotes detur communio sub duabus speciebus, saltem occasione sollemniorum festivorum.

4. Studeatur insuper possibilitas adaptandi, critice perpensa propria indole culturae gentilitiae, liturgiam ecclesiasticam moribus horum gentilium propriis.

5. Ratione habita urgentium in praesens quaestionum ad missiones pertinentium valde optandum est ut qui missiones ad exteras gentes exequi debent plenius erudiantur in omnibus disciplinis tam sacris quam profanis, quae missionariis opus sint quales sunt missiologia, scientia religionum comparata, ethnologia, linguistica etc. Quapropter summopere commendetur studium apud quoddam Institutum Missionale Scientificum eo fine erectum ut ad mentem Ecclesiae genuinam de re missionaria scientiam tradat ac promoveat.

6. Ut in Facultatibus theologicis necnon in Seminariis maioribus melius observentur ea quae Summus Pontifex Pius XI f. m. iam ab anno 1928 praescripsit de tradendis disciplinis theologiam, historiam, ius canonicum atque liturgiam christianorum orientalium spectantibus. Saepe enim clerus latinus in hac materia adhuc ignorantia laborat eo magis nociva quod ob res politicas earumque effectus nunc numerosiores christiani orientales vivunt « in partibus latinorum », ita ut multo frequentius quam antea coutantur.

QUOAD IUS CANONICUM

1. Optandum videtur, ut lex Indicis novae crisi submittatur atque nostris temporibus magis accomodetur, v. gr. ut « Index librorum » non sit index librorum prohibitorum sed potius index librorum ab Ecclesia indicatorum ut non consentaneorum doctrinae et moribus Ecclesiae. Insuper exoptandum est ut auctor, cuius liber indicatur, prius certior fiat de indicatione sui libri ea lege ut accurate sciat in quo fefellit.

2. Ius canonicum, licet in mysterio Ecclesiae ultimo radicetur, in omni tamen sua codificatione positiva iure quoque naturali nititur. Quapropter in omnibus sine exceptione processibus ecclesiasticis iura naturalia accusati (e. gr. defensionis causae suae, defensionis contra denuntiationes et adiutorii advocati) salva remaneant oportet. Exinde exoptandum est, ut species absentiae huius cautionis in determinatis canonibus et consequenter praesertim in praxi tollatur.

Haec sunt humilia vota quae Senatui Universitatis Catholicae

Noviomagensis, scilicet facultati theologiae, facultati philosophiae et scientiarum litterarum, facultati iuris, facultati scientiarum medicinarum, facultati scientiarum mathematicarum et scientiae naturae, visa sunt esse proponenda Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico. Quibus votis Senatus pias adiungit suas preces, ut Spiritus Sanctus corda et voces Patrum Concilii adaperiat Lumini divino, gnaro discretionis inter ea quae a nobis humanitus forsan sint dicta et ea quae divina collustratione sint proposita.

UNIVERSITAS CATHOLICA OTTAVIENSIS

UNIVERSITAS OTTAVIENSIS

Eminentissime Domine,

Epistula quam Eminentia Tua mittebat die iulii 1959, postulabatur Universitas Studiorum Ottaviensis ut, una cum reliquis catholici orbis Athenaeis, in parte esset laboris pro Concilio Oecumenico praeparando.

Invitationi itaque Tuae respondentes, nostrae Studiorum Universitatis professores, coniugatis viribus atque conlatis confertisque, quos ad Te mittere modo honestum est mihi fructus protulerunt.

Non omnes, prout iussum fuerat, a Nostris tractatae sunt quaestiones, quae quoque geri possunt. Verum potius in pauciora omnium conversa est mentis acies, sed indicatis quoque nonnullis aliis, quippe quae natae esse videantur Romam undique conventurae Patrum sententiam rogatum.

Eminentiam Tuam certiorem facere vellem gaudii, quo afficiebantur nostri Athenaei professores in laborando. Noverant illi ita cum laboribus totius Ecclesiae se communicare, ut catholica veritas, quae semper eadem est, amica et socia generis humani ostendi queat, hodie quemadmodum heri et nudiustertius.

Tandem liceat Eminentiae Tuae maximas agere et habere gratias, quod tali nos dignatus honore, ut sociam praestaremus operam, pro modulo nostro, in tanta causa, qualis est futurum Oecumenicum Concilium, de quo vere olim dicetur: « In omnem terram exivit sonus eorum; et in fines orbis terrae verba eorum ».

Ad osculum sacrae Purpurae provolutus, Eminentiam Tuam oro atque obsecro ut mihi singulisque Catholicae Studiorum Universitatis Ottaviensis professoribus et alumnis benedicas.

HENRICUS LÉGARÉ, O.M.I.

DE ECCLESIA CHRISTI

Historice quidem, *Constitutio dogmatica de Ecclesia Christi,* a Vaticano promulgata, est opus imperfectum. Ideo dicta est « constitutio dogmatica prima ». (Collectio Lacensis, 7, Acta et decreta Concilii Vaticani, 317, d). Fuit sermo de hac re, sicut ceteroquin et de nonnullis aliis, ob temporum adiuncta abbreviatus.

Logice autem, latae a Vaticano definitiones de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio videntur extra contextum versari amplioris intimiorisque veritatis revelatae de re christiana quae est Ecclesia, eaque Mysticum Christi Corpus. Quod profecto Vaticanos Patres non fugiebat, ut ex Actis Concilii liquet, atque in eodem ipso publicatae constitutionis textu significatur expresso saepius, vel insinuato, nexu Romanae praerogativae cum tota integraque de Ecclesia Christi revelata veritate.

Oecumenice vero, ut aiunt, vel apologetice, Constitutio Vaticana est christianis separatis documentum haud gratum. Nonnisi privilegium Romani Episcopi sancire videtur. Certe dici nequit in ea legi praecipua capita ecclesiologiae catholicae.

Itaque hoc est in votis, quod postularentur Patres futuri concilii de renovanda constitutione dogmatica de Ecclesia Christi. Haec ea donetur amplitudine eoque complemento quae tantam rem decent, tum secundum se, tum pro nostrorum temporum opportunitate, cum comparate ad geminam *constitutionem dogmaticam de Fide catholica* eiusdem Vaticani. Nunc errores, dubitationes atque mentis sermonisque confusiones quoad ipsam Ecclesiam Christi nequaquam desunt, quemadmodum tunc quoad ipsam divinam fidem. Fas est prorsus *unam sanctam* quaerentibus indicare summis lineamentis quae sit fides catholica et apostolica.

Ad hoc geminam Vaticani constitutionem de Fide catholica imitandum esse quis non inscite putaret. Quae in schema huius constitutionis disseruit Franzelin (*Coll. Lac.,* 7, Acta et decreta Conc. Vat., 1611, 554) notatu sunt digna.

Resumatur autem primum schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi examini Patrum Vaticani propositum, cum suis Adnotationibus (*Ibid.* 567-641). Atque adhibeantur magnae Litterae Encyclicae Leonis XII et Pii XII, inque primis *Satis Cognitum* et *Mystici Corporis.*

Potiora capita catholicae doctrinae de *Mysterio Ecclesiae* sunt utique proponenda, ab institutione societatis ecclesiasticae per Christum Historicum, ut aiunt, ad Ecclesiae et Status mutuam relationem usque. Praesertim catholico dogmate censentur firmanda haec quae sequuntur:

Ecclesia Catholica Romana et Corpus Christi Mysticum

Secundum Litteras Encyclicas *Mystici Corporis* et *Humani Generis* Pii Pp. XII, Corpus Christi Mysticum et Ecclesia Catholica Romana unum idemque sunt. Attamen in hanc rem nondum uno ore eademque sententia conveniunt Theologi.

Membra Ecclesiae « in re » et « in voto »

Durior utique videtur formula « membrum voto ». Est quasi metaphora metaphorae. Exclusa fuit a primo schemate constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi proposito Patribus in Vaticano. (Coll. Lac. 7, Acta e Decreta Conc. Vat. 591 [11] b). Implicite tamen adest in Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (*A.A.S.* XXXV, 1943, pp. 203, 243). Explicatur quodammodo in epistula S. Officii, Suprema haec, die 8 augusti 1949, ad archiepiscopum Bostoniensem. (Monitor Ecclesiasticus, 1953, p. 418). Eamque alii aliter iam vulgant Theologi. (P. Parente, Collectio Theologica Romana, Theologia Fundamentalis, De Ecclesia Christi, Marietti, 1950 [3ª], p. 185). Quidquid est, definita terminologia de hac re certe iuvabitur sermo theologicus. Ceterum praeit Tridentinum quoad sacramentum baptismi (Denz. 796). Votum Baptismi ac Votum Ecclesiae videntur separari non posse. Quod apte illustrabitur adhibitis iis quae Angelicus docet de Voto Eucharistiae (III, 73, 3).

Munera « hierarchica » et « laica » in Ecclesia

Est in Ecclesia, sicut ordo clericorum, ita et ordo laicorum, cum propria functione pro Corpore Christi, quorum charisma, seu ministerium, extollitur hodie, sed quod ipsum in se postulat certis contineri terminis secundum catholicam fidem. Schemate Corporis Christi quod est Ecclesia, Paulus apostolatus omnem totumque hominem renovatum elevatumque indicat (*Eph.* et *Col.*).

Dignitas Ecclesiae prae omni ecclesiastica functione

Fortasse non sine ratione dicitur ecclesiologia catholica hactenus fuisse praeconium Hierarchiae. Quod tamen non ita est in ipsis Magisterii documentis. Atque provide omnino id non ita esse adhuc manifestabitur solemni iudicio.

Ius divinum episcopatus localis eique impertiendae iurisdictionis a R. Pontifice

Divinum ius episcopatus subordinati quam opportunissime recolitur hac nostra tempestate. Causae unionis est quid convenientissimum. Itemque participata immediate a Romano Pontifice potestas iurisdictionis in suum gregem quem quisque singulum singulus pascit Christi nomine in communione catholica.

Magisterii propria functio

Haec e Vaticano liquere utique deberet (*Dz.* 1781, 1792, 1793, 1800, 1836-40). Sed nonnihil obscurabatur res modo editis variis opinionibus de *traditione.* Perpetuus catholicae Ecclesiae consensus tenuit ac tenet traditionem esse normam fidei. Olim definite loquebantur de traditione Apostolorum, Ecclesiae, vel sanctorum Patrum. Tridentinum autem de « sine scripto traditionibus » (*Dz.* 783) est locutum. Paulatim vero infinite de Traditione sermo fieri coepit. Traditio dicitur alter aliusve Revelationis fons, qui Scripturae praestat modo suo, estque tessera contra Protestantium effatum « Scriptura sola ». Hactenus distinguitur Traditio, sicut a Scriptura, ita et a *magisterio,* cuius est verbum revelatum, scriptum vel traditum, fideliter custodire et infallibiliter declarare. Mox idem dicitur Traditio quod praedicatio Ecclesiae, proindeque idem quod Magisterium. Quemodmodum sensu pleniore inter Scripturam ac Traditionem non esse distinguendum edicitur. Denique concluditur « Scriptura sola » dici licere catholice quoque etsi non sine addita sana interpretatione. Notaturque Catholicos et Protestantes convenire iam posse in aliquam renovatam Traditionis notionem. Multa profecto vera eaque optima prorsus de Traditione fuisse novissime elucubrata negabit nemo. At haeret animus in multis aliis. Perutiliter ergo in proponenda catholica veritate, quae Ecclesiam Christi spectat, enodabitur qua ratione sistere atque consistere haec tria creduntur: *scriptura, traditio, magisterium.*

Spiritus Sanctus et Anima Ecclesiae

Partes Spiritus Sancti quoad Ecclesiam Christi gratissimae sunt pietati Christi fidelium. Eaeque ad intelligentiam mysterii Ecclesiae omnino faciunt. Suntque summi momenti in dialogo oecumenico, ut aiunt. Theologia quoque inde iuvari potest.

Ecclesiae et Status mutua relatio

Hoc doctrinae caput facile illustrabitur citato primo schemate constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi Patribus Vaticanis proposito. De hac re sermo longior est ibi: Cap. XII-XV (Coll. Lac., 7, Acta et Decreta Conc. Vat., 572-576, 619-630). Quoad eandem rem non dissimilis est praesens aetas. Multaque hodie circumferuntur de experimento, quod dicunt, Medii Aevi, de Bulla *Unam Sanctam,* de Syllabo, quae nonnullam admirationem nata sunt inferre. Atque de potestate in temporalibus, ut aiunt, alii aliter disserunt recentiores auctores, progressum, vel evolutionem, sin revolutionem, in novissimis diebus praesagientes enarrantesque.

His quae praecedunt, nonnulla annectuntur vota, quae videntur cum antecedentibus esse connexa:

Episcopi in ecclesiis suis, si fieri potest, et quantum fieri potest, ampliore polleant facultate. Semper obviam venit difficultas demonstrandi discrimen inter substantiam primatus Romani et modum quo alia in aetate aliisque in conditionibus exercetur.

Opportunitati ad redintegrandos Ordines infra presbyteratum studere legitimum fortasse est. Praesertim expedire videtur Diaconatum sua prisca significatione donari, ad tot tantaque obeunda in Ecclesia munera, quae ipsa sacerdotium dicenda sunt distendere atque vincire.

Laicorum opera magis magisque adhibenda in iis quae sacerdotali non egent dignitate. Inque primis eorum qui pertinent ad Actionem Catholicam. Huius munus proprium in Ecclesia re patere atque exerceri oportet. Ceterum in multis laici praestant facilitate peritiaque.

Ministri Pastoresve acatholici, matrimonio iuncti, Ecclesiam ingredientes vel ingredi cupientes, a sacris Ordinibus ne arceantur, verum potius Ecclesiae matris benigna providaque dispensatione haud difficilis esto aditus.

Excommunicationis poena rarissime et nonnisi sceleribus minanda. Ecclesia mater, extra quam nulla est salus, dici non debet filiorum suorum prodiga. Neque est homini moderno facilis captu.

DE DOCTRINA PROPAGANDA ET IN LYCEIS MAGNIS COLENDA

Postulatum quoad enucleandam catholicam doctrinam de Fidei cum Scientia relatione

Cum adhuc praeiudicata opinione acatholici plures, et nonnulli catholici quoque homines, Ecclesiam scientiae contrariam esse exsistiment, atque Magisterium actis suis progressionis sufflamen obicemque inquirendi et investigandi veri. Quod certe iis qui catholico gloriantur nomine dedecori est, idemque ipsam multorum conversionem ad catholicam religionem praepedire potest. Cumque quidquid per oecumenicum Concilium fuerit actum vel declaratum, longe atque late futurum sit ut divulgetur, prae omni alio ordinarii Magisterii documento vel monumento.

Peropportunum utique videtur, quod solemne illud Vaticani iteretur pro nostrorum temporum conditione, nimirum: « ... tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent » (Const. dogm. *De fide cath.*, Dz. 1799).

Atque moneantur iterum iterumque christiani doctores ne leviter, quae nonnisi dubia, incerta, caduca sunt, pro veritate commutent. Speciatim ad evolutionis, et psychanalysis, ut aiunt, systema quod attinet, enodatam catholicam sententiam desiderare licet omnino.

Postulatum quoad Indicem librorum prohibitorum

Librorum prohibitorum usus frequentior est hodie in Lyceis magnis, isque necessarius est ad doctrinarum pervestigationem. Quem usum nonnihil impedire dicenda est praesens lex ecclesiastica, iubens Ordinarii licentiam « pro singulis libris » atque « in casibus dumtaxat urgentibus » (*C.I.C.*, can. 1402, §). Cum tamen Catholicarum Studiorum Universitatum Rectores et Decani, qui sacerdotio sunt aucti, censeri

deberent ad iudicandum per se num expediat actu librum prohibitum ab Athenaei alumno legi idonei prorsus (*C.I.C.,* can. 1397, 1 in fine). Praeterea sunt in Indice libri non pauci, quos recentiores diceret nemo, nec hac nostra tempestate adeo perniciosos, quosque frequentare ad docendum vel studendum necesse est.

Postulatur itaque ut Index, certis temporibus, verbi gratia decimo sexto quoque anno, recognoscatur, indeque expungantur libri quibus nihil amplius periculi inesse visum est. Itemque ut Catholicarum Studiorum Universitatum Rectores et Decani, qui sacerdotio sunt aucti, facultate polleant doctoribus auditoribusque Athenaei sui legitimum usum permittendi librorum prohibitorum.

Postulatum quoad moralem obligationem legum ecclesiasticarum

Cum legum ecclesiasticarum gravitas a legislatoris maxime pendeat voluntate, quippe qui, ob a se iudicatas circumstantias, quod est grave sub levi et quod est leve sub gravi, ut aiunt, potest iubere: cumque legislatoris mens soleat in *C.I.C.* manifestari, cum una tantum exceptione delictorum quibus poenae ecclesiasticae sunt annexae (*C.I.C.,* can. 2218, 2): sola autem theologorum opinio sufficere non videtur ad faciendam certitudinem de graviori vel leviori obligatione in singulis casibus, atque nonnumquam accidere potest, praeter mentem legislatoris, urgeri legum gravitatem.

Quapropter petitur ut legislator ecclesiasticus in condendis legibus suam manifestet mentem obligandi sub gravi vel sub levi.

POSTULATA DE RE LITURGICA

Quoad usum linguae « vernaculae » in actione liturgica

Actuosam fidelium participationem in Ecclesiae liturgia promovendam esse urgent recentiora documenta Romana, inque primis Instructio *De Musica sacra,* a Sacra Rituum Congregatione, die 3 mensis septembris 1958 data (*A.A.S.* 1958). Quod votis respondet omnino liturgici motus, ut aiunt, nunc vigentis. Haec porro participatio, donec christianus populus patrio sermone quisque suo in orando cum Ecclesia uti prohibetur, imperfectior semper erit summoque tenus ore. Latina etenim lingua ipsa, circa medium saeculum IV, ideo liturgia Romana uti coepisse dicitur, ut fideles proprio orarent sermone. Aliunde praecipuae vigentes atque usitatae linguae absolutione perfectioneque praeditae

sunt, ut periculum erroris in liturgicis interpretandis formulis abesse iam dicendum videatur. Praeterea quaestio de lingua actionum liturgicarum, post celebratum Concilium Tridentinum, ab altera oecumenica synodo intractata, noviter postulat ob mutata tempora tractari.

Quocirca bene futurum Concilium decerneret usum linguae « vernaculae » licere in omnibus Missae (« in cantu » vel « lectae ») partibus, quae populi immediatam important communicationem, aut ipsum populum directe spectant, quemadmodum est Liturgia Verbi, quam vocant.

Quoad caerimoniarum ordinem in Missa solemni

1. Quae a ministris, vel a schola, vel a populo, cantantur aut leguntur, sacerdos ne iubeatur et ipse per se recitare.
2. Introitus, ministris ecclesiam ingredientibus, cantetur, atque interim celebrans faciat aspersionem iuxta ritum pontificalem.
3. Quae « ante infimum gradum Altaris » dici solent, omittantur.
4. Liturgiae Verbi, quam vocant, id est a « Kyrie » usque ad « Credo », praesit sacerdos « ad sedile ».
5. Omittantur quae « ad Lavabo » dicuntur, praeter primum psalmi versum et Gloria Patri.
6. Oratio super oblata, iuxta suam priscam significationem, cantanda, vel elata voce recitanda, statim post « Lavabo », omissa oratione Suscipe, Sancta Trinitas.
7. Desiderantur Praefationes propriae:
   — Paschalis in Dominicis per annum.
   — De Adventu.
   — De Epiphania in tempore post Epiphaniam per annum.
   — De Paenitentia in tempore Septuagesimae.
8. In « Canone », genuflexio post « per omnia saecula saeculorum », quo concluditur Doxologia Canonis, est facienda, et nequaquam ante.
9. Permittatur populus « Pater Noster » cantare.
10. « Confiteor » ante Communionem omittatur.
11. In distributione communionis sacerdos dicat: « Corpus Christi » vel « Corpus Domini nostri Iesu Christi ».

Quoad Missam lectam

1. Quae praecedunt, nec sunt Missae in cantu propria, et in Missa lecta permittantur.
2. Liturgiae Verbi, quam vocant, praesit sacerdos, sistens ad cancellos versus populum, adhibito conveniente « legili ». Incipiendum

fortasse aliqua oratione eucharistica, si quidem Introitus significatione tum caret.

3. Ritus « Lavabo » supprimatur, qui necesse non est sicut in Missa solemni.

4. Orationes Leoninae post Missam omittantur.

5. Oratio imperata semel tantum dicenda, post « Collectam ».

VARIA

1. Recognoscenda liturgia quorumdam sacramentorum, ut singulorum propria significatio meliore innotescat ratione (e. g. Baptismus), vel ut solemniore donentur ritu (e. g. Matrimonium).

2. « Missa cum diacono », quemadmodum provisum est in ordine Hebdomadis Sanctae, et in Missis per annum liceat.

3. Supprimatur omnis usus « planetae plicatae ».

4. Rubrica quoad « Flectamus genua - Levate », prout nunc est in Hebdomade Sancta, valeat etiam per totum annum.

5. Edocendi enixeque monendi clerici atque utriusque sexus religiosi ut secundum rationem vitae suae in Ecclesia orationem liturgicam, prae variis piis exercitiis, plurimi faciant eamque frequentent.

POSTULATA DE RE CANONICA

Quoad legem renovandam vel simpliciorem reddendam

Consideranti praesentem eamque sat implexam vivendi rationem, itemque Ecclesiae praesentis conditiones atque necessitudines, quemadmodum convenientiam praecavendi christianae mentis quoad fieri potest confusionem, obviam veniunt.

1. Factum praeprimis in dies crebrescens a lege dispensationem petendi concedendique in iure communi.

2. Nonnulla deinde praepostera quadamtenus instituta quae adhuc sunt in C.I.C.

3. Momentum praeterea simplicioris legis nonnumquam praeferendae.

Operae pretium exinde videtur ut olim

1. Facultates quinquennales, quae a Sede Apostolica locorum Ordinariis fieri solent, ius commune ingrediantur tanquam ea quae ad ordinariam pertinent potestatem.

2. Genus proprium operum, quae in Dominicis aliisque diebus feriatis prohibentur, definiatur, seposita vetusta notione operum servilium, ut aiunt, ac potius adhibita ratione mercedis acceptae, vel emolumenti.

3. Canonicum poenarum systema simplicius quam quod nunc est constituatur, atque diminuatur numerus poenarum « latae sententiae ».

4. Vetusta beneficiorum institutione suppressa, officio parochorum « salarium » sit adnexum, ab Ordinariis locorum statuendum.

5. Ordinarii locorum, quoad bona ecclesiastica licite abalienanda, vel quoad aes alienum contrahendum, ampliore polleant facultate, ratione habita aliarum conditionum per alia loca in re oeconomica, ut aiunt.

Quoad iurisdictionem ad confessiones audiendas

Saepius hac nostra tempestate se itineri committunt homines. Contingit autem sacerdotibus, occasione data, presbyterum alienae dioecesis adire se velle ad confitenda peccata sua. Praeterea « copia confessariorum », quod ad religiosos laicos attinet, revera desiderari videtur.

Quamobrem in votis est lex quae statueret

« Unusquisque sacerdos, iam ad confessiones audiendas a proprio Ordinario loci approbatus, audire in confessione et absolvere potest, ubique terarum, quemcumque sacerdotem necnon personas quae cum sacerdote ratione propinquitatis vel famulatus degunt ».

« Unusquisque sacerdos, iam ad confessiones audiendas a proprio Ordinario loci approbatus, audire in confessione et absolvere potest, ubique terrarum, quemcumque religiosum laicum qui, ad confessionem faciendam, adeat ».

UNIVERSITAS CATHOLICA PARISIENSIS

FACULTAS THEOLOGICA

Tit. I: DE ECCLESIA

Caput I: De Ecclesia universali

Ad mentem Patrum Concilii Vaticani atque Summorum Pontificum in eorum litteris encyclicis, Concilium hos tres articulos in lumen revocare possit.

Art. 1. *De modis quibus Spiritus Sanctus Ecclesiam agit.*

« Hoc affirmare sufficiat, quod, cum Christus Caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima »:[1] Christo enim conformat omnia et singula Eius membra. Spiritus Sanctus infundit augetque vitam gratiae in Corpore Christi; impellit assistitque Ecclesiam docentem; Principium est quoque sanctitatis et ardoris apostolici in fidelibus usque ad martyrii testimonium, adhuc vigens nostris temporibus; et sic Ecclesia fide cernitur societas supernaturalis vivificata et coadunata a Spiritu quem Dominus misit a Patre[2] secundum suam promissionem.

Art. 2. *De habitu sacramentorum Ecclesiae ad Ecclesiam.*

Sacramenta ab Ecclesia, Eius sponsa, confecta Christi sunt actiones sanctificantis. Per Baptismi sacramentum Ecclesia filios suos multiplicat, et per Eucharistiae sacramentum unitas Corporis Christi roboratur propter caritatis vinculum quo Capiti iungitur. Per alia quoque sacramenta Ecclesia vitam et actionem Christi in membris significat et influit.

Art. 3. *De infallibilitate Ecclesiae.*

Infallibilitas a Christo promissa atque data, primo et praecipue in Ecclesia residet. Etenim « Ecclesia columna est et firmamentum veritatis ».[3] Quam veritatem ab Apostolis acceptam et successoribus traditam Ecclesia tenet ac possidet in Scripturis, quas custodit et fideliter interpretatur, ac in Traditione, a Scripturis inseparabili. Concilium

---

[1] Leo XIII, *Divinum Illud, A.S.S.*, XXIX, 650. Pius XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, XXXV, 220.

[2] Io. XV, 26.

[3] *I Tim.* III, 15.

Oecumenicum necnon Summus Pontifex, cum a cathedra loquitur, fidem Ecclesiae infallibilis authentice declarat ac definit.[4]

Caput II: De episcopis

Art. 4. *De collegio episcoporum.*

Collegium episcoporum, cuius primatum tenet Summus Pontifex, Petri successor, missionis ac iurium collegii apostolici accepit hereditatem. Collegialiter [5] ergo episcopi, pro munere suo permanente, traditionem custodiunt ac ecclesiasticum magisterium exercent. Unde necessitas apparet cooperationis assiduae episcoporum cum Romana Sede ac momentum magisterii *ordinarii* Ecclesiae docentis.

Art. 5. *De episcopo in sua dioecesi.*

Episcopus in sua dioecesi iurisdictionem habet *ordinariam* et immediatam. Non simpliciter habetur vicarius Summi Pontificis, sed pastor est ecclesiae suae.[6] Unde necesse est accurate definire habitum iurisdic-

---

[4] *Coll. Lac.* VII, 399-400: « Non separamus Pontificem ab ordinatissima coniunctione cum Ecclesia. Papa enim solummodo tunc est infallibilis, quando omnium christianorum doctoris munere fungens, ergo universalem Ecclesiam repraesentans, iudicat et definit quid ab omnibus credendum vel reiiciendum. Ab Ecclesia universali tam separari non potest, quam fundamentum ab aedificio cui portando destinatum est. Non separamus porro Papam infallibiliter definientem a cooperatione et concursu Ecclesiae, saltem id est in eo sensu, quod hanc cooperationem et hunc concursum Ecclesiae non excludimus ». Relatio de emendationibus capitis IV constitutionis primae de Ecclesia Christi, R. P. D. Gasser, ep. Brix.

[5] Cyprianus, *De catholicae Ecclesiae Unitate,* c. 5: « Episcopus unus est cuius a singulis in solidum pars tenetur ». Hartel, p. 214 (*PL.* 4, 501).

Pius XII, *Fidei Donum*: « Quodsi unusquisque episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen, qua legitimus apostolorum successor, ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit... ». *A.A.S.,* XXXXIX, 237.

[6] Pius XII, *Fidei Donum*: « Haec quae "omnes gentes... usque ad consummationem saeculi" amplectitur missio, cum apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in episcopis communionem cum Iesu Christi vicario habentibus adhuc perseverat. In his, namque, qui peculiari nomini missi appellantur, nempe Domini apostoli, plenitudo apostolicae dignitatis residet, "quae est praecipua in Ecclesia", uti sanctus Thomas testatur ». *A.A.S.,* XXXXIX, 237.

Refutatio erroris Bismarck: « Episcopi sunt tantum instrumenta et Papae administratores absque propria auctoritate (Die Bischöfe sind nur noch seine Werkzeuge, seine Beamten ohne eigene Verantwortlichkeit) » ut fundamento carentis et veram mentem conclusionum Concilii Vaticani contradicentis: « Alle diese

tionis ordinariae [7] cuiusque episcopi ad iurisdictionem universalem et ordinariam qua pollet Summus Pontifex in totam Ecclesiam, et hoc ad mentem Gregorii primi in epistula ad Eulogium, quam epistulam perbreviter commemorat Concilium Vaticanum.[8]

Caput III: De relationibus inter catholicos et acatholicos

Art. 6. *De usu coactionis temporalis vitando.*

Respuatur omnis doctrina quae usui coactionis temporalis ac corporalis faveret ad propagandam sustinendamque Ecclesiam catholicam.[9]

Art. 7. *De tolerantia.*

Concilium veram tolerantiam propugnet quae non sit tantum concessio ad tempus respectu opportunitatis, sed iurium conscientiae et personae humanae dignitatis rationem habeat.[10]

Sätze entbehren der Begründung und stehen mit dem Wortlaute, wie mit dem richtigen, durch den Papst, den Episcopat und die Vertreter der katholischen Wissenschaft wiederholt erklärten Sinne der Beschlüsse des Vaticanischen Concils entschieden in Widerspruch ». Collektiv-Erklärung des deutschen Episcopates, Jan.-Febr. 1875.

Approbatio Pii IX, in litteris apostolicis ad Germaniae Archiepiscopos, Episcopos etc., die 2 mart. 1875 habita. « Declaratio vestra nativam refer(a)t catholicam, ac propterea Sacri Concilii et huius Sanctae Sedis sententiam luculentis et ineluctabilibus rationum momentis scitissime munitam et nitide explicatam... ».

Allocutio habita die 15 mart. 1875 ad S. R. E. Cardinales in aedibus Vaticanis. *A.S.S.,* VIII, 303-304.

[7] Conc. Vat., *Pastor Aeternus,* c. 3.

[8] Conc. Vat., *Pastor Aeternus,* c. 3.

Epistula Gregorii I *ad Eulogium Alexandrinum*: « Dixi nec mihi vos nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, et ecce in praefatione epistolae... superbae appellationis verbum *universalem* me *Papam* dicentes imprimere curastis. Quod, peto, dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plus, quam ratio exigit, praebetur. Ego enim non verbis quaero prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim *universalem* me *Papam* vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quae vanitatem inflant, caritatem vulnerant ». *Monum. Germaniae Hist.,* Epist. II, p. 31.

[9] Lc. IX, 55. *C.I.C.,* can. 1351.

[10] Pius XII, *Allocutio* his qui interfuerunt conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum, die 6 dec. 1953 habita. *A.A.S.,* XXXXV, 797-801.

Caput IV: De Ecclesia et inquisitione scientifica

Art. 8.

Propter inventiones et progressus scientiarum, nostris vigentes temporibus, inducatur Ecclesia, voce Concilii, ad clarius agnoscendum momentum laboris inquisitionisque scientificae necnon methodi ei accommodatae.

Labor opificum, inquisitio scientiarum ac progressus artium dispositiones Providentiae ostendunt, quibus homo super opera manuum Dei, tamquam operator et custos,[11] constituitur.[12]

Commoneat autem fideles mundumque modernum de periculo rationalismi et materialismi quod imminet ex tali inquisitione, cum fines proprios excesserit.

Tit. II: DE REDEMPTIONE

In articulo subsequenti doctrina Redemptionis proponitur.[13]

Primo, exprimitur illa doctrina quatuor modis a sancto Thoma [14] ad mentem traditionis commemoratis, nempe sacrificio, satisfactione, merito et redemptione.

Secundo, exponitur status singularis Beatae Mariae Virginis in opere Redemptionis, ad Christum tamen, unicum Mediatorem atque Redemptorem, ordinatus atque subordinatus.

Art. 9.

Iesus Christus, Dei Filius, novissimus Adam,[15] generi humano intima atque propria solidaritate [16] coniunctus, sacrificio suo [17] pro peccatis hominum satisfecit,[18] gratiam et vitam supernaturalem meruit,[19] Ecclesiam sponsam atque mundum universum redemit [20] atque salvavit,

---

Pius XII, *Allocutio* his qui interfuerunt conventui decimo internationali de scientiis historicis, die 7 sept. 1955 habita. *A.A.S.*, XXXXVII, 677-682.

[11] *Gn.* II, 15.

[12] *Ps.* VIII.

[13] Mansi LIII, p. 290.

[14] *S. T.* III, q. 48.

[15] *I Cor.* XV, 47.

[16] *I Cor.* XV, 22.

[17] *Hebr.* IX, 28. Cf. Conc. Trid. sess. XXII, cap. 1 et 2.

[18] Conc. Trid. sess. VI, cap. 7.

[19] *Ibid.*, cap. 5 et 7.

[20] *I Cor.* I, 30; *Rom.* III, 24; *Eph.* I; *Col.* I, 13-20.

in quo Redemptionis opere Beata Virgo Maria, utpote nova Heva et Mater Dei, singulari modo in Ecclesiae Corpore redempta, singulari pariter modo associata unico Mediatori Christo Iesu, mater omnium Christi membrorum [21] effecta est.

Tit. III: DE LEGE NATURALI

Art. 10.

Legis naturalis statuatur locus, valor, et usus in theologia; ostendatur eius fundamentum, definitio, ad legem positivam et ecclesiasticam relatio; potestas Ecclesiae legem naturalem determinandi et illius exsecutionem urgendi; quomodo infidelibus innotescat eius obligatio.[22]

Monere tandem oportet ne philosophi vel moralistae faveant systematibus quibusdam erroneis hodiernis, quae negent vel nesciant legem naturalem.

Tit. IV: DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA ET CURA PASTORALI

Caput I: De conciliis

Cum de disciplina animarumque cura, hodiernis temporibus, quaestiones insuetae et singulares plerumque moveantur, ad unamquamque nationem vel regionem spectantes, optatur ut:

Art. 11. *De concilio provinciali.*

Concilium ordinarios locorum commonefaciat obligationis a iure canonico positae certis temporibus concilii provincialis celebrandi, ad fidei incrementum ac tutelam et ad corrigendos abusus.[23]

Art. 12. *De concilio plenario.*

Concilia plenaria, quibus omnes episcopi alicuius nationis vel regionis assistere debeant, secundum leges a iure canonico determinatas, certis temporibus celebrentur.[24]

---

[21] Pius XII, *Mystici Corporis Christi*: « Quae corpore erat nostri Capitis Mater, spiritu facta est... Eius membrorum omnium Mater ». *A.A.S.*, XXXV, 247.
[22] *Rom.* II, 14.
[23] *C.I.C.*, can. 290.
[24] *C.I.C.*, can. 281 ad 292.

Art. 13. *De participatione cleri.*

Secundum antiquam consuetudinem, traditione et historia ecclesiastica compertam, ad concilia provincialia et plenaria vocentur quidam viri, ex utroque clero, qui maiore auctoritate vel experientia polleant, secundum normas distinctius stabiliendas.

Caput II: De statibus in Ecclesia

Art. 14.

Optandum est ut Concilium doctrinalem expositionem evolvat de praecipuis vitae statibus, ex vocatione universali atque essentiali quae in gratia baptismi continetur: scilicet de natura vitae regularis eiusque munere in Ecclesia, necnon de « spiritualitate » tam sacerdotii saecularis quam christiani matrimonii.

Caput III: De laicis

Art. 15. *De statu laicorum in Ecclesia.*

Quo melius significetur status laicorum in Ecclesia, memoria teneatur Christum omnes baptizatos Sui sacerdotii participes efficere. Magis determinetur, primo, modus sanctificationis ad quem laicus vocatur; secundo, natura specialis eius testimonii; tertio, indoles particularis eius actionis apostolicae.

Art. 16. *De consecratione mundi.*

Secundum loquelam Pii XII,[25] patefaciat Concilium partes proprias laicorum christianorum *mundi* esse *consecrationem*. Competit enim proprie laicis cognoscere, iudicare, tractare, ad mentem Evangelii et instructionum magisterii ecclesiastici, huius nostri temporis quaestiones sociales et temporales. Melius tandem statuatur Actionis catholicae proprium et singulare munus, auctoritas et ratio, ita ut splendeat totius Ecclesiae apostolatus.

Caput IV: De indulgentiis

Art. 17.

Denuo declarans fundamentum dogmaticum intercessionis pro aliis in communione sanctorum, per modum vel meriti pro vivis, vel suffra-

---

[25] *A A.S.*, XXXXIX, 927.

gii pro defunctis, ut « fiat pietatis accessio » [26] in populo christiano, Concilium statuat:

omnem determinationem temporalem excludendam, sive agatur de partialibus indulgentiis (vel dierum, vel mensium, vel quadragesimarum, etc.) sive de plenariis, cum modi obsoleti poenitentiae, propter quos adhuc adhibentur tales computationes, a saeculis usu exciderunt in Ecclesia;

et tales preces vel actus pios, sine alia determinatione ab Ecclesia approbatos, per modum meriti pro vivis et suffragii pro defunctis valere.

Caput V: De indice librorum prohibitorum

Art. 18. *De prohibitione librorum.*

Admoneantur fideles non tantum prohibitos esse libros qui indice librorum prohibitorum nominatim continentur, sed etiam istos quos ius naturale vel ecclesiasticum [27] declarat: « sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari » posse.[28]

Art. 19. *De indice librorum.*

Concilium statuat indicem iterum recognoscendum, iubendo ut auferentur aliqui libri qui hodie non iam detrimentum afferunt, providendo insuper ut indices peculiares conficiantur secundum necessitates locorum.

Art. 20. *De exsecutione huius legis.*

Conditiones ad debitam licentiam obtinendam iterum recognoscantur: licentias quasdam, saltem ad actum, confessarius vel superior ecclesiasticus concedere posset, absque necessario recursu ad ordinarium, quo melius lex ab omnibus fidelibus observari possit.

---

[26] Conc. Trid. sess. XXV, decr. *de Purgatorio.*
[27] *C.I.C.,* can. 1399.
[28] *C.I.C.,* can. 1398 § 1.

Tit. V: DE MODO PROSEQUENDI IN COMMISSIONIBUS ET SESSIONIBUS CONCILII

Art. 21.

Fauste usurpetur iterum modus a Concilio Tridentino in actibus sessionum institutus:

1. In consessibus suis, etiam ante inceptum concilium, theologi, diligenter selecti per orbem terrarum inter viros scientiarum sacrarum peritos, inquisitiones et percontantiones peragant, quae futuris deliberationibus aptam materiam discernant et muniant argumentis.
2. Deferantur relationes theologorum consessibus episcoporum, diversas opiniones et regiones repraesentantium, ad paranda et secernenda schemata.
3. Deputationes patrum eligantur ad discutienda schemata et decreta componenda.
4. Sessiones plenariae patrum tandem habeantur ad suffragia ferenda et ad conclusiones solenniter promulgandas.

FACULTAS IURIS CANONICI

Titulus I - DE RE DOCTRINALI

Articulus 1. Dogmatice exponant definiantque Patres, secundum Sacrosanctae Vaticani Synodi mentem ad huius concilii decreta ornanda et complenda, potestatem concilii oecumenici necnon residentialium episcoporum canonicam auctoritatem.

Articulus 2. Etiam definiant Patres laicorum statum ac peculiarem indolem apostolicae actionis, ad Romanorum Pontificum mentem, praesertim litterarum Summorum Pontificum recenter editarum. Optanda videtur insuper definitio aliqua praecipuarum regularum Actionis, ut aiunt, Catholicae, ita ut melius statuantur supradictae Catholicae Actionis munus, auctoritas et ratio sub regimine locorum Ordinariorum ac Summi Pontificis.

Titulus II - DE RE DISCIPLINARI

Caput I. De Codicis reformatione

Articulus 3. Valde optandum est ut materiae in Benedicti PP. XV Codice contentae in ordine magis logico distribuantur.

Articulus 4. Optabile est ut textus ipse Codicis emendetur ad vitandas difficultates quamplurimas interpretationis quae non raro originem habent in usu eorumdem terminorum in diversis saepe acceptionibus.

Articulus 5. Ad mentem Benedicti PP. XV Motus proprii *Cum Iuris Canonici Codicem,* Romae dati die 15 septembris anni Domini 1917, iuxta usum hodiernarum Nationum receptum, in Codicem inserantur novae leges ad meliorem Codicis usum, ad vitandum etiam ne canonistae « obruantur legibus » in variis collectionibus dispersis.

Articulus 6. Perutile esset iuris canonici Codicis editiones publicari, cum Sanctae Sedis venia, a personis privatis cum annotationibus fontium et iurisprudentiae, ut fit pro Codicibus in omnibus hodiernis nationibus.

Articulus 7. Valde dolendum est quod canonistae Sacrarum Romanarum Congregationum decisiones et Supremi Tribunalis Signaturae

Apostolicae sententias, difficile comperire possint, unde in votis est praecipua documenta Sacrorum Dicasteriorum Romanae Curiae evulgari per eorum editionem in Actorum Apostolicae Sedis Commentario officiali.

Caput II. De clericis in genere

Articulus 8. In votis est, ad mentem praesertim can. 979 et seq., clericos obtinere aliquam, ab Ordinario suo, remunerationem supplementariam, a concilio provinciali aut a conventu episcoporum provinciae definiendam, quoties reditus ex officiis aut beneficiis provenientes non sufficiant ad honestam eorum sustentationem. Etenim in non paucis circumstantiis et regionibus mediocritas materialis clericalis status persaepe vocationum penuriae originem dat.

Articulus 9. Salvis Sacrae Hierarchiae iuribus et iuris canonici regulis, extendantur leges procedendi in remotione vel translatione parochorum etiam amovibilium omnibus clericis officium canonicum detinentibus, cum regulis naturae uniuscuiusque officii aptatis.

Caput III. De conciliis provincialibus et plenariis

Articulus 10. Firmo praescripto can. 283 et seq. renovetur et urgeatur, pro singulis ecclesiasticis provinciis, obligatio concilium provinciale celebrandi vicesimo saltem quoque anno.

Articulus 11. Cum quaestiones de rebus disciplinariis ac generatim de omnibus rebus relationes inter legem canonicam et civilem, Christifideles et Statum spectantibus, necnon de praeservatione depositi fidei ac morum, aedem sint in tota natione, perutile esset, ad mentem canonum 281 et sq. et secundum regulas in iis contentas, Summus Pontifex regulariter adunare, temporibus ac locis ab Ipso electis, Ordinarios eiusdem nationis in plenarium concilium.

Articulus 12. In votis est ut, tam in concilio provinciali, quam in synodo plenaria, clerici saeculares et regulares convocentur ad mentem Codicis in locis supra citatis et etiam ut clerici officium aut beneficium detinentes eligant delegatos, ab Episcopo approbandos, in numero congruo et proportionato, votumque consultivum habeant.

Caput IV. De Curia dioecesana

Articulus 13. Nova redactio canonum de curia dioecesana tractantium valde est optabilis ita ut describantur non solum physicae personae sed etiam congregationes, commissiones, officia, cum ad exemplum dan-

dum rectae constitutionis, cuiuscumque curiae, tum ad faciliorem consultationem. Tali ratione, natura, praerogativae et functiones Curiae Episcopalis in clara luce ponerentur.

Articulus 14. Necesse videtur urgere obligationem a codice latam erigendi in unaquaque dioecesi Congregationem seu Commissionem administrationis bonorum temporalium dioecesanorum, ad mentem can. 1520, cuius membra non solum inter clericos sed etiam inter laicos catholicos et vere peritos in rebus temporalibus eligerentur.

Articulus 15. Convenientia utilitasque quam maxima adest in dioecesibus erigendi Congregationem seu commissionem de rebus Liturgicis et de Sacris Artibus cuius membra vigilent sub auctoritate Ordinarii loci vel eius delegati; clerici de observatione liturgicarum regularum; clerici et laici de aedificatione, conservatione, et ornatu sacrarum sedium.

Articulus 16. Idem dicendum est de erectione congregationis seu commissionis dioecesanae de rebus scholaribus quae, sub praesidentia seu regimine Ordinarii loci vel eius delegati, membra e clero et laicis catholicis adunat. Haec competens sit in nominandis professoribus, in libris eligendis, in temporalibus gerendis bonis destinatis scholis cuiuscumque gradus, scilicet primariis, secundariis et technicis, salvis regulis pro seminaris a Codice datis.

Articulus 17. Ad rectam iustitiae administrationem et ad bonam famam iustitiae ecclesiasticae tuendam, quam maxime peroptandum est ut exstent in tribunalibus dioecesanis ministri laurea doctorali vel saltem licentia in iure canonico ornati, ita ut, ad minus, officialis, duo iudices et minister publicus sint vere competentes in scientia et praxi iudiciali.

Articulus 18. Forsan utilis esset renovatio archidiaconatus institutionis, quae de caetero in non paucis Galliae dioecesibus adhuc viget. Officium archidiaconi esset residentiale in districtu cum potestate super decanos vel vicarios foraneos et clericos totius districtus, cum obligatione visitandi res et personas, actionem promovendi catholicam et cum iure confirmationis sacramentum administrandi.

Articulus 19. Archidiaconatu sic restituto, episcopi suam quisque dioecesim facilius cognoscere possent, clerici proximum haberent sacerdotem ab episcopo praepositum, laici consilium, et Episcopus ipse libertatem maiorem dioecesim visitandi ad mentem constitutionis *Romana Ecclesia* Innocentii PP. IV edictae et in Sexto relatae.

Caput V. De Capitulo cathedrali

Articulus 20. Urgeant Patres obligationem observandi leges canonicas in capitulari materia. Optandum est ut, maiorum exemplo, conferantur praebendae illis qui laurea vel licentia sint potiti in scientiis vel sacris vel profanis, et clericis aliis commendatis prudentia et experientia pastoralis ministerii.

Articulus 21. Ut in nonnullis fit Ecclesiis catholici orbis, provideatur praebendis per viam concursus.

Articulus 22. Sic renovatum cathedrale Capitulum sit vere Senatus et consilium episcopi: canonici possint Curiae dioecesanae opem ferre; tali modo habeat episcopus stabiles consiliarios vitenturque expensae necessariae ad simul habendum capitulum, curiam et consilium, ut aiunt, episcopale.

Caput VI. De laicis

Articulus 23. Actioni catholicae dentur statuta canonica, regiminis tantum ponant principia, ad modum statutorum pro vicariis castrensibus promulgatorum, ita ut aptari variis possint circumstantiis locorum.

Caput VII. De Sacramentis

Articulus 24. Missae sacrificium celebrari et sacra communio distribui possint etiam extra horas in iure statutas cum permissione Ordinarii ex iusta causa elargienda.

Articulus 25. Locorum concedatur Ordinariis facultas permittendi, ad normam can. 806, sacerdotibus ut duas missas celebrent etiam diebus festis de praecepto (can. 1247) in suo territorio legitime suppressis.

Articulus 26. Vigente praxi Curiae Romanae concedendi facillime dispensationes super impedimento consanguinitatis in linea collaterali in secundo et tertio gradu; optabile est ut hoc impedimentum in linea collaterali restringatur ad primum et secundum gradum attingentem ad primum. Affinitatis impedimentum in linea collaterali in iisdem coarceatur limitibus.

Articulus 27. Detur Ordinariis locorum dispensandi facultas super impedimenta matrimonialia « minoris gradus ».

Articulus 28. Optandum est ut Codex mentionem faciat, saltem summarie, praecipuarum casuum in quibus Pontifex Romanus, vi potestati suae ministerialis, matrimonium « legitimum » solvere potest.

Caput VIII. De temporibus sacris

Articulus 29. Auferatur obligatio ieiunii et abstinentiae diebus 7 et 23 mensis decembris, aut saltem, detur Ordinariis locorum facultas eam transferendi in ferias IV hebdomadarum I et II Passionis.

Caput IX. De Universitatibus et Scholis

Articulus 30. Valde optandum est ut Patres Concilii renovent obligationem in canone 1380 latam de clericis ab episcopis mittendis ad Universitatum scholas ut inibi studia perficiant et gradus academicos consequantur.

Articulus 31. Hoc praescriptum maximum habet momentum hodiernis temporibus cum cultura apud laicos, etiam in religionis rebus, multum sit aucta, ut clerici officia sibi commissa maximo cum fructu exercere possint.

Articulus 32. Ad clericorum penuriam in iure canonico vere peritorum sublevandam, inter eos qui opem praestant, tam in Curia dioecesana quam in ecclesiastico tribunali, Episcopi mittant in Universitates catholicas clericos ad academicos gradus in iure acquirendos in sufficienti numero ut possint uti ministerio unius saltem in Curia dioecesana, quatuor saltem in Officialatus tribunali.

Articulus 33. In officiorum et beneficiorum collatione, ad normam sacrorum canonum ceterisque paribus, iudicio Ordinarii, praeferantur clerici qui gradu academico potiti sint.

Articulus 34. Optandum est ut in catholicis scholis professores ornati sint eisdem laureis academicis quae exiguntur in similibus Status scholis, et magistri religionis gradibus in sacris scientiis potiti sint.

Caput X. De administratione bonorum paroecialium temporalium

Articulus 35. Urgetur obligatio constituendi in unaquaque paroecia virorum consilium idoneorum pro recta administratione bonorum temporalium, tam immobilium quam mobilium, sub auctoritate parochi. Horum consiliorum sodales ab Ordinario nominentur inter viros praesentatos tam a parocho quam ab ipsis sodalibus.

Caput XI. De iustitiae administratione

Articulus 36. Valde optandum est ut: 1) qui causam apud aliquam Sacram Romanam Congregationem praesentaverint aut defenderint, vel

recursum interposuerint, possint uti ministerio procurationis in elencho officiali libere electi et, si casus ferat, ad secretum servandum obligati; 2) decisiones a Congregationibus in his causis et recursibus latae saltem summarie rationes tam in iure quam in facto, contineant.

Articulus 37. Valde optandum est ut in Suprema Signaturae Apostolicae Sedis Tribunali, sectio, ut aiunt, instituatur apud quam de decisionibus per viam administrativam datis a Sacris Congregationibus recursus interponi possit, ad modum Consilii Status (Conseil d'Etat) in nonnullis nationibus.

Articulus 38. Leges instituantur de modo procedendi per viam dictam administrativam, tam in contentiosis quam in criminalibus et, in criminalibus, statuantur normae de poenis latae vel ferendae sententiae infligendis ad modum praecepti particularis (can, 2225), et taxative definiantur poenae quae infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium (can. 1933, § 4).

Articulus 39. In criminalibus processibus illis qui accusati sunt dentur iura magis explicita ad defensionem suam providendam.

Caput XII. De reverentia Ecclesiae debita

Articulus 40. Enixe rogantur Patres Sacri Concilii Oecumenici ut instantissime proclament reverentiam debitam legibus, consuetudini et usui pariterque traditioni Ecclesiae, et oboedientiam canonicam Sanctae Sedi Apostolicae debitam et Episcopis in communione cum Romano Pontifice, ita ut decreta Sanctae Synodi plenariam vim et efficaciam obtineant.

VOTA CONCERNANT LE DROIT CANONIQUE ORIENTAL

I. Des Eglises orientales

Bien qu'elle soit de droit positif et ne date pas des temps apostoliques, l'institution des patriarches orientaux remonte à l'antiquité chrétienne et est restée la forme d'organisation ecclésiastique qui a, depuis lors, toujours régi les pays d'Orient. Les peuples orientaux sont fort attachés à cette institution, qu'ont reconnue le Saint-Siège et les grands conciles de l'antiquité. Lorsque des groupes importants d'orientaux ont fait retour à l'Eglise catholique, des patriarcats unis ont été constitués à la tête de ces Eglises unies: le patriarcat chaldéen groupe actuellement la majorité

de la nation, jadis nestorienne. Le retour aussi des Melkites à l'unité catholique, de bon nombre de fidèles et des hiérarques des Indes, témoignent qu'on ne saurait abandonner l'institution des Eglises unies et qu'il est nécessaire de travailler à leur développement, même si leur existence apporte certaines difficultés avec les Eglises séparées correspondantes. Cette attitude n'empêche nullement d'établir un climat pacifique et des relations fraternelles vis-à-vis des hiérarques et des fidèles appartenant aux Eglises séparées. Il est nécessaire, tout en maintenant et en développant les Eglises unies, de travailler à l'union des Eglises séparées avec l'espoir raisonnable qu'au moment voulu par la Divine Providence, leur hiérarchie fera retour à l'unité. Haec oportet facere, et illa non omittere.

Il faut noter que, si pour des raisons politiques, à cause de sa dépendance vis-à-vis du régime soviétique, le patriarche de Moscou manifeste une vive hostilité envers l'Eglise romaine, si le patriarche grec d'Alexandrie est opposé à tout ce qui est latin, italien et français, suivant sa propre expression, l'inimitié que montraient les autres Eglises séparées à l'égard du Saint-Siège s'est notablement apaisée. Alors qu'au début du siècle, le patriarche œcuménique attaquait vivement le Siège Romain et que des controverses fort aigres se déroulaient à chaque instant entre catholiques et orthodoxes, le patriarche actuel S. B. Athénagoras manifeste un état d'esprit plus irénique et a déclaré à l'un des auteurs de ces « vota » qu'il était prêt à reconnaitre la primauté du Siège de Rome. Sans doute n'entendait-il pas encore cette primauté dans le sens catholique d'une primauté de juridiction de droit divin, mais il reste que ce changement d'attitude mérite d'être signalé, et qu'un rapprochement peut s'effectuer progressivement entre le Saint-Siège et le patriarcat œcuménique. Sans doute ne faut-il pas être trop pressé: autres sont ceux qui sèment et autres ceux qui récoltent. Le Concile peut heureusement dissiper un certain nombre de préjugés et diminuer l'étendue du fossé qui existe encore vis-à-vis des Eglises séparées.

Pour couper court aux rumeurs tendancieuses qui circulent dans certains milieux orthodoxes, il paraît souhaitable que le Concile affirme solennellement la légitimité des Eglises orientales, de leurs règles disciplinaires qui remontent souvent à l'antiquté chrétienne, et dont la diversité contribue à la richesse spirituelle de l'Eglise catholique qui, suivant la parole de Benoît XV n'est ni latine, ni grecque, ni slave, mais universelle. Le Concille rappelerait que, dans le passé, le Saint-Siège n'a jamais eu la volonté de réduire les Orientaux au rite latin, mais qu'il s'est toujours soucié de maintenir les rites orientaux dans leur pureté originelle.

II. Des Patriarches orientaux

Pour faciliter ce rapprochement, il importe de maintenir et même éventuellement d'augmenter la dignité des patriarches orientaux. Ils apparaissent en effet aux yeux des autorités non chrétiennes comme les représentants par excellence de leur communauté. C'est à eux qu'on a recours lorsque les intérêts de ces communautés sont menacés. Leur garder tous leurs droits et privilèges est donc de toute évidence une nécessité dictée par le bien général de l'Eglise. Les patriarches ont le gouvernement direct et ordinaire des Eglises orientales qui leur sont confiées et ont le soin des orientaux de leur rite qui sont hors de leur patriarcat. Ils sont plus spécialement les conseillers du pape, à qui de droit divin a été donné par le Christ le gouvernement de l'Eglise universelle. Ils doivent donc apparaître comme exerçant le gouvenement effectif de leurs Eglises: si le Saint-Siège conserve tojours le droit d'intervenir de son propre jugement, et s'il ne peut être question de limiter ce droit d'intervention, il importe de montrer, surtout aux Orientaux non-unis, que ces interventions sont exceptionnelles et destinées avant tout à remédier aux abus qui ne pourraient autrement être réprimés. Et il importe également que la situation, aussi bien temporelle que spirituelle des patriarches catholiques, n'apparaisse pas inférieure à celle des patriarches séparés.

Le maintien de leurs droits et prérogatives implique qu'ils jouissent notamment d'un large pouvoir de dispense, sans qu'il soit nécessaire de recourir constamment au Saint-Siège. Il en est ainsi des dispenses qui sont habituellement accordées et dont l'octroi ne pose aucune difficulté. Si dans le passé les canonistes ont voulu faire découler le pouvoir de dispense du pouvoir législatif, rien ne justifie le maintien de cette théorie, qui a été souvent écartée déjà, notamment toutes les fois qu'on est en présence d'un cas urgent. Une telle intervention n'augmente nullement l'autorité ni le prestige du Saint-Siège. De même en matière liturgique, il convient de laisser aux patriarches des pouvoirs assez étendus pour le maintien et la restauration de leur liturgie traditionnelle, sans leur donner pouvoir d'innover sans l'intervention du Saint-Siège.

L'augmentation du prestige des patriarches orientaux résulterait de l'octroi habituel de la dignité cardinalice à leur personne. On pourrait songer à attacher la dignité cardinalice aux sièges patriarcaux eux-mêmes et créer ainsi un nouvel ordre de cardinaux, à côté et éventuellement au-dessus des cardinaux suburbicaires. A côté de l'ordre des cardi-

naux-évêques, on créerait ainsi l'ordre des cardinaux- patriarches. Une telle solution aurait sans doute l'avantage de résoudre élégamment les questions de préseance entre cardinaux et patriarches, sans amoindrir la dignité cardinalice. Mais on peut lui objecter qu'elle limiterait la liberté du pape dans le choix des cardinaux.

Mais, sans aller jusqu'à attacher la dignité cardinalice aux sièges patriarcaux eux-mêmes, il paraît souhaitable qu'habituellement la personne des patriarches orientaux soit revêtue de la dignité cardinalice. De même dans l'Eglise latine, cette dignité est habituellement octroyée à la personne des patriarches et des archevêques qui occupent les sièges les plus importants de la chrétienté. Et les archevêques de Lyon, primats des Gaules, ont toujours reçu sans interruption la dignité cardinalice et le titre de la Trinità dei Monti. Or une primatie et même un patriarcat de l'Eglise latine sont bien inférieurs, et au regard de la dignité et au regard de la jurisdiction, à un patriarche oriental. Ainsi la liberté du Saint-Siège demeurerait entière.

Cela soulignerait que les patriarches orientaux sont bien les conseillers-nés du pape dans le gouvernement général de l'Eglise, puisque l'ensemble d'entre eux seraient cardinaux. Et, comme l'ensemble des patriarches participeraient à l'élection du pape, cela mettrait bien en relief que le Souverain Pontife est le chef suprême de l'Eglise universelle, aussi bien des Eglises orientales que de l'Eglise latine. On ne saurait objecter que cela aboutirait à priver de la dignité cardinalice des titulaires des sièges importants de l'Eglise latine: outre que les sièges patriarcaux apparaissent comme les sièges les plus anciens et les plus vénérables de la chrétienté, cela ne saurait porter préjudice aux autres siège siègex puisque Sa Sainteté Jean XXIII a décidé dans sa sagesse qu'il n'était pas limité par le chiffre de soixante dix cardinaux fixé en 1596 par Sixte V. Même si tous les patriarches orientaux se trouvaient revêtus de cette dignité, ils ne constitueraient qu'une minorité dans le Sacré-Collège. Mais cette minorité serait traitée avec honneur, ce qui produirait une vive impression dans les Eglises séparées. Une preuve du prestige de cette dignité cardinalice auprès des orientaux séparés pourrait être donnée par cette innovation récente de qualifier d'« Eminences » les membres du Saint-Synode de Constantinople.

L'octroi habituel de cette dignité cardinalice aux patriarches orientaux aurait aussi cet avantage de permettre de résoudre les questions délicates de préséances qui se posent entre cardinaux et patriarches. Ceux-ci invoquent volontiers les conciles de l'antiquité, notamment celui de Chalcédoine, qui accordait aux patriarches de Constantinople, d'Ale-

xandrie, d'Antioche et de Jérusalem, préseance immédiatement après le Siège Romain, alors que depuis le XVI° siècle les cardinaux ont pris le pas sur eux. Et il est évident que si un jour, comme on peut en former l'espoir, le patriarche œcuménique de Constantinople revient à l'unité catholique, on ne pourra décemment le reléguer au soixante sexième rang dans l'Eglise universelle. En même temps qu'il créerait cardinal un patriarche oriental, le Souverain Pontife pourrait lui assigner un rang particulier de préséance, au-dessus des cardinaux-prêtres et des cardinaux-diacres et même des cardinaux-évêques, quitte à réserver la préséance des dignitaires au Sacré-Collège: cardinal-doyen et cardinal-camerlingue.

Si par la divine Providence l'unité des Eglises se trouvait heureusement rétablie, rien ne pourrait mieux la manifester que le retour des patriarches dans la Basilique Majeure, que leur réserve le droit.

III. Des patriaches latins

L'existence des patriarches latins d'Orient a pu être justifiée au temps des Croisades, alors que le patriarche byzantin de Constantinople réfugié à Nicée, comme les patriarches d'Antioche et de Jérusalem refusaient d'accepter la primauté romaine; il était nécessaire d'instaurer une hiérarchie catholique en Orient, alors que des groupes importants de latins s'y fixaient et que la notion de personnalité de jurisdiction n'était pas encore dégagée. Ces patriarches latins n'ont plus aucune raison d'être aujourd'hui. Leur existence même nominale ne peut que perpétuer de vieilles rancœurs, notamment le souvenir abhorré du détournement de la quatrième Croisade et de la prise de Constantinople, pourtant si vigoureusement flétrie par Innocent III. Ce serait un geste souhaitable d'éteindre à perpétuité les patriarchats latins de Constantinople, d'Alexandrie et d'Antioche, que le Saint-Siège a du reste laissés vacants. La question se pose aussi pour le patriarcat latin de Jérusalem, qui est actuellement pourvu. On peut faire valoir en faveur de son maintien qu'il peut être utile que l'Eglise latine soit présente au Saint-Sépulcre. A quoi on peut répondre que l'Eglise catholique y serait aussi bien représentée par ses patriarches orientaux.

IV. Des Evêques latins

De même, afin de ne pas choquer inutilement la susceptibilité de l'épiscopat byzantin séparé, il pourrait être opportun d'éviter d'accorder aux archevêques et évêques titulaires latins les titres des anciens dio-

cèses d'Orient, au moins là où est établie une hiérarchie byzantine séparée, et peut-être là où on rencontre une hiérarchie orientale séparée. Là où existent traditionnellement plusieurs hiérarchies juxtaposées et on ne risque de choquer personne, rien ne s'oppose à ce que le Saint-Siège continue à décerner ces titres.

V. Des orientaux qui reviennent à l'unité

Pour maintenir dans leur intégrité les Eglises orientales, qui ont une vocation pour rassembler tous les fidèles de leur rite lorsqu'ils reviennent à l'unité catholique, il parait souhaitable de modifier le canon 11 de la Constitution *Cleri Sanctitati,* qui permet aux Orientaux qui se convertissent de choisir le rite auquel ils se rattacheront désormais. Il en est résulté que, dans certains pays comme la Grèce où les catholiques latins occupent un rang plus élevé dans la hiérarchie sociale et où existe le préjugé de l'infériorité du rite byzantin, les orthodoxes qui adhèrent à la foi catholique demandent à passer au rite latin — ce qui est contraire aux intentions du Saint-Siège et à la règle autrefois rappelée par Leon XIII. Il serait préférable de spécifier que les orientaux convertis soient rattachés de plein droit à l'Eglise unie du même rite, sauf dispense accordée par le Saint-Siège.

Nous proposons donc le schéma suivant: can. 11: Baptizati acatholici ritus orientalis, qui in catholicam ecclesiam admittuntur, Ecclesiae orientali unitae eiusdem ritus ipso iure adscribuntur, nisi dispensationem a Sancta Sede consessam obtinuerint.

VI. Des légats

Le can. 215 § I de la même Constitution, en accordant aux envoyés du Saint-Siège, même dépourvus de caractère épiscopal, préséance sur tous les hiérarques qui ne sont pas revêtus de la dignité cardinalice, peut inutilement choquer les orientaux pour qui le patriarche est le chef suprême, lequel à leurs yeux vient immédiatement après le pape. Il est préférable de réserver cette préséance vis-à-vis des patriarches orientaux aux légats qui sont cardinaux.

On pourrait rédiger ainsi ce § 2: Legati cardinalicia dignitate insigniti patriarchis praecedunt. Alii legati, licet charactere episcopali careant, hierarchis qui non sunt cardinalicia vel patriarchali, dignitate aucti, praecedunt.

La dignité cardinalice pourrait en effet être eventuellement accordée

à un hiérarque oriental qui n'a pas le titre de patriarche, par exemple à un exarque; c'est pourquoi il apparait nécessaire de conserver la dernière incise.

VII. Des sous-diacres non catholiques

Il ne parait pas utile de revenir sur la réforme qui a été réalisée et qui attache au sous-diaconat l'empêchement d'ordre au regard du mariage. Il suffirait seulement, de façon à éviter de choquer les orientaux non-catholiques qui suivent une discipline différente, d'ajoute un paragraphe supplémentaire au can. 70: il spécifierait que les sous-diacres non catholiques qui se sont mariés avant la réception du diaconat n'encourent aucune irrégularité, de sorte qu'après leur conversion ils peuvent non seulement exercer les fonctions de leur ordre, mais encore recevoir les ordres ultérieurs.

On pourrait rédiger ce complément sous cette forme: can. 70 § 2: Attamen clerici acatholici ritus orientalis hoc canone non urgentur, ita ut, matrimonio post subdiaconatus susceptionem, sed ante diaconatus ordinationem contracto, nulla irregularitate afficiantur, cum ad catholicam Ecclesiam revertuntur.

FACULTAS PHILOSOPHICA

VOTA

1. Obiectum

De ratione humana secundum huius temporis exigentias rite excolenda ac tuenda, Facultatis decanus et magistri, collatis consiliis, testimonia dicunt, et aliquas ab Ecclesia commonitiones et normas reverenter optant, in fidei vitaeque christianae bonum.

2. Hodiernae necessitates

Progressus ingentes physicae mathematicae hanc saepius consecutionem afferunt ut mentes ad veritates capiendas quae sensilem experientiam et imaginationem transcendunt minus aptae relinquantur. Item veloces mutationes technicarum, et inter homines coniunctionum, simul cum assidua perquisitione circa evolutionem universi et conceptuum et morum, veritates immutabiles obumbrant, necessariis a mobilibus non bene distinctis. Vivendi causas, et agendi rationem, libertas anxia ponere vult sola. A multis, ex novitate tantum res iudicantur bonae: quaecumque historiae motus comprobat, ut orta creatrice humana natura, vel etiam Spiritus impulsu producta, aestimantur.

3. Doctrina requisita

Quapropter traditio doctrinae, in re philosophica, quaestiones sollicitudinesque in mentibus hodie exsistentes haud ignorare debet.

Sed simul, quia veritatibus certis homines uniendi sunt, fundamentalis institutio rationalis sapientiae nitatur unitate specifica mentium, in diversitate temporum et gentium permanente. Et respondeat desiderio, in multis animis incertis hodie profundo, firmae veritatis ad vitam. Disciplina ergo rationis secundum expertas docendi vias, et iuxta auctores commendatos materna Ecclesiae sapientia, sedulo prosequenda est.

Quando haec probata disciplina derelinquitur, mox antiquorum rationales acquisitiones, atque Patrum et Doctorum christianorum pretiosissimi thesauri, intelligentiis fiunt impervii. In mutabiles etiam falsi nominis philosophiae interpretationes vertuntur propositiones aeternae veritatis in Sacra Scriptura enuntiatae, et dogmaticae definitiones.

E contra munitae intelligentiae secure quaecumque vera sunt in recentiorum inventionibus ab errore secernent, et his vetera augebunt.

4. Desiderium

Sed ut, in praesenti statu societatis, philosophia christiana plenam efficaciam suam habeat, Ecclesiae monitiones, hortationes, et normae, videntur nunc perutiles: de fontibus, de methodo, et de diffusione huius doctrinae.

De his quidem rebus Magisterium ordinarium, praesertim in Summorum Pontificum huius aetatis Encyclicis Litteris, iam multa edixit. At officii duximus testes esse de hoc facto quod, in hodierna inquietudine, multi, boni etiam animi, ea ignorant. Ni fallimur, si Concilium Oecumenicum, de bono usu rationis humanae, quae edicta sunt attentam considerationem et observantiam exigere declaraverit, et decreto suo auxerit, hoc erit maximi momenti.

5. Fontes philosophiae verae indicentur

Mentem Ecclesiae circa rationis usum multos adhuc ignorare diximus.

Ecclesiam valde amare intellectum homines culti sciunt; at saepe non pernoscunt quae de ratione exspectentur, ad vitam in Christo Salvatore: usu scilicet rationis recto, naturalis ad Deum obligatio agnoscitur; rerum hierarchia ostenditur; intelligentia a sensibus discernitur, cognitionis valore defenso; sic ius naturale, et ius gentium, firmiter statuuntur; fides fundari, rite exponi ac defendi potest; et omnes naturales rationis opes parantur ad voluntatis rectae operationem, sub gratia Dei.

Sed humanam rationem magni aestimans, Ecclesia tamen novit fallibilem, ita ut (necessitate quae moralis dicitur) illi opus sit Revelatione divina. Contra ergo errores et obliviones varias Ecclesia rationem protexit. Et utens ea in declarationem dogmatum, perfecit.

Sic decursu saeculorum, non sine Spiritus Sancti adiumento Ecclesia invigilante, per eius Doctores et in eius scholis, scholastica philosophia crevit, « in Ecclesia agnita ac recepta » (ut dixit Pius XII). Huius philosophiae principia assertaque praecipua non pro privatis opinionibus habenda sunt; locupletentur sed non deserantur.

De speciali commendatione magisterii S. Thomae, in rebus etiam philosophicis, nil addere opus esset. At in iam dictis, ad attentionem tria signentur:

1. constanter iterata monitio Summorum Pontificum, a Ioanne XXII, saeculo XIV, usque ad hodiernos dies;

2. momentum recentiorum documentorum: inter quae Litteras encycl. *Aeterni Patris, Studiorum ducem* et *Humani generis* professo-

res cum fructu commentabuntur, ut studentes attente meditantes veram Ecclesiae mentem noscant;

3. causa principalis huius approbationis: quia Thomas sapientia graeca et latina imbutus, veteres Doctores summe veneratus, ratione prudenti naturam rerum et mentis amanter quaesivit; et non doctrinam suam, sed matris Ecclesiae, tradere voluit.

6. De methodo ad doctrinam perennem hodie tradendam

Fructus vero suos scholastica disciplina, non tantum vi propria afferet, sed et apto docendi modo, qui vivus vigensque erit, ad vitam mentium.

Semper, in unaquaque philosophiae parte, magnae erit curae magistris ostendere utilia quae haec disciplina confert: ad intelligens iudicium; ad comprehensionem rerum, atque etiam mentium diversarum; ad actionem et praxim humanam et contemplationem Dei.

Ob eam rem, docendi rationem a maioribus receptam non est relinquere; e contra profundius perspicere, fideliter sollerterque servare convenit. Apud auctores, in primis sanctos Doctores, intentiones animi et quaestionum ortus aperiantur. Viam quam scholastici « inventionis » vocant intellectus ingrediatur. Penetralior expositio est etiam utilior.

Ut ipsi recurrant ad fontes doctrinae monere et initiare studentes oportet; sic in familiaritatem sanctorum Doctorum venient, praesertim Angelici « Doctoris communis ».

Latinae linguae usus, ad hoc quoque, requiritur; et etiam graecae intelligentia. Hodie saepe latinus sermo, materna lingua filiis Romanae Ecclesiae, non sat est in usu; quod damno est christianae culturae et unitati mentium.

Finem rationalis doctrinae in supernaturalem vitam iuvenes a primo prospicere necesse est. Proptera, incipientibus cursum philosophiae, speciales religionis lectiones dari optatur in quibus de hac connexione agatur. Sacerdotes, post cursum theologiae, ad superiores philosophiae disciplinas venientes, harum finem tunc melius videbunt.

In omnibus his studiis, magistri studentesque, applicati ad servitium Christi et Ecclesiae se sentientes, religiose, et orantes, laborabunt.

7. Quibus haec formatio utilis

In sacerdotibus maxime haec disciplina rationis naturalis requiritur, et eius carentia damnosa est; sed non in eis tantum.

Religiosae certo, sed et laici diversarum condicionum, secundum suum culturae gradum et genus actionis, indigent ita muniri.

Qui in actione catholica et operibus christianis aliqua auctoritate funguntur sapientiae in Ecclesia receptae participare debent.

Inter omnes ad scribendum et ad alia expressionis media deditos, hodie in animos tam potentes, non desunt qui mentem Ecclesiae quaerunt. Ne sint inscii, ut saepius fit, directionum Ecclesiae de rebus philosophicis: hoc lumen, ad veram cognitionem naturae humanae, ipsis est pernecessarium.

Sed certo politicis viris pretiosior adhuc haec informatio.

Scientiis hominis dediti, sive mentem, sive corpus humanum, sive societatem, magis respiciant, item addicti naturae scientiis — et artibus quoque — hac philosophia traditionali instruantur. Quid inde sperandum ad bonum scientium, sed ad incrementum etiam scientiarum et artium, Leo XIII et Pius XII ostenderunt.

8. Ubi philosophia christiana docenda est

Praeter Seminaria, in athenaeis, seu scholis catholicis medii ordinis, haec rationis christiana cultura, gradatim pro aetate audientium, initium habeat.

Circuli et studiorum coetus, pro laicorum religiosa formatione constituti, rationis naturalis culturam ad normam Ecclesiae non negligent. Et, pro opportunitate, speciales de re philosophica et de iure naturali circuli, sub directione apta et secura, instituantur et amplientur; in quibus vero rationalia cum tota vita christiana sedule connectantur.

In Universitatibus studiorum catholicis, praeter cursus regulares suos, Facultates philosophiae opportune ordinabunt altiores cursus, et instituta specialium studiorum, quo redire possint iam formati sacerdotes, ad profundiorem scientiam delecti; et quo libere accedent laici exculti in aliis materiis, et quaesitores, qui hoc medium informationis hodie certo desiderant.

Haec omnia, RR. DD. Episcopi, profecto ad curam pastoralem, in actuali statu mentium, pertinentia iudicantes, pro opportunitate incitent, foveant, dirigant.

9. Votum ad RR. Ordinarios

Ut praeparentur magistri, et apti sacerdotes ad laicos in his quaestionibus docendos, erroresque discutiendos, in Facultates Philosophiae, catholicarum Universitatum, numerosos iuvenes RR. Ordinarii mittant (ad mentem canonis 1380 *C.I.C.*). Necessitates urgentes animarum, nonne ipsae requirunt fortiorem lucem, ad actionem in mentes pro-

fundam, cogitationes, in medio, transmutantem? Notare liceat, ingeniorum aemulationem et perscrutationum intentionem, in Universitatibus, magna ex parte pendere a numero studentium, et quidem magistrorum ad diversas scientiae partes addictorum.

Itaque valde etiam optandum est ut RR. Ordinarii, cum magna liberalitate, facultatem assumendi magisterium in eisdem Universitatibus tribuant sacerdotibus suis, qui, ad ibi docendum, iudicio prudentium, aptiores et capaciores videbuntur.

10. Normae iuris optantur

Quia vero fides, ut experientia dolorosa iam monstravit, in speciale periculum inducitur, cum mentes varias et dissimiles philosophias frequentant sine solida institutione in philosophia perenni, normas iuris de duobus — scilicet de ecclesiasticorum studiis in Universitatibus acatholicis; et de praeparatione requisita ad philosophiam docendam — haec Facultas reverenter suggerit et optat.

11. De studiis philosophicis in Universitatibus acatholicis

De studiis sacerdotum in Universitatibus acatholicis, laicis, seu neutris, vel in talibus Institutis superioribus, normae in memoriam redigantur edictae in Decreto S. Congregationis Consistorialis, d. 30 aprilis 1918 (*A.A.S.*, p. 237).

Sed, pro philosophicis disciplinis, serventur insuper sequentes normae:

Si, iudicio Episcopi — aut Superiorum maiorum Religionum — requiruntur philosophica studia in Universitate vel Instituto neutro peragenda, sive ad gradus academicos consequendos, sive ob aliam gravem causam, non eo mittatur sacerdos nisi antea, aut saltem simul, in Facultate a Sancta Sede recognita — si religiosus sit, Studiorum superiorum domo regulariter instituta — philosophia christiana solide instructus, canonicum licentiae gradum, vel simile testimonium, possideat.

Eadem praeparatio exigatur ut membris utriusque cleri permittatur postulatio licentiae gradus in philosophia ab Universitate neutra, etiamsi illa non imperat praesentiam, ad audiendas praelectiones, in suis aedibus: mentes enim ad doctrinarum variarum studia sunt muniendae.

Ubi esset omnino impossibile studentem ita formari in aliqua Facultate catholica, Episcopus — aut Superior maior — institutioni eius firmae ad normam canonis 1366, § 2, *C.I.C.*, per magistrum hac sa-

pientia christiana praestantem, attente invigilet, et de successu se certiorem faciat.

Haec omnia etiam in mulierum Religionibus, et in Institutis saecularibus, applicentur.

12. De praeparatione requisita ad philosophiam docendam

Ad munus ordinarium philosophiam docendi in Seminariis, manente quod de laurea doctorali dicitur in canone 1366, § 1, *C.I.C.*, ad minus nullus eligatur nisi licentia in Facultate catholica a Sancta Sede recognita potitus sit; aut saltem, ubi haec possibilitas non offertur, aequivalenti formatione, certo iudicio Episcopi, munitus sit. Eamdem praeparationem requirant Superiores maiores alumnorum collegiorum, ad magisterium in philosophicis disciplinis ibi exercendum.

Ne vero fides laicorum excultorum, utriusque sexus, rationis rectae ac firmae praesidio orbetur, in omnibus scholis catholicis, etiam mediis, apud docentes philosophiam non tantum religionis virtus, cum informatione in philosophicis quaestionibus hodiernis, sed et solida instructio in illa philosophia quam Ecclesia commendat, exigatur. Et valde optandum, etiamsi illi magistri sint laici, ut licentia in catholica Universitate consecuta sint parati ad hoc munus tam utile rationi et fidei populi christiani.

UNIVERSITAS « LAVAL »

UNIVERSITÉ LAVAL

Le 29 avril 1960

Eminence,

Je prie Votre Eminence de m'excuser de faire parvenir seulement à la fin d'avril 1960 les quelques humbles suggestions demandées dans Sa lettre du 18 juillet 1959.

Ces suggestions viennent de notre faculté de Théologie et de l'Institut de Pastorale qui y est rattaché.

Je crois bien que c'est encore par leurs prières quotidiennes que professeurs et étudiants peuvent le mieux travailler pour le succès du Grand Concile.

Offrant à Votre Eminence les meilleurs vœux de bonne santé, je La prie d'agréer l'expression de mes sentiments de filial respect,

Mgr ALPHONSE-MARIE PARENT, P. A.
Recteur de l'Université Laval

VOTA FACULTATIS THEOLOGIAE

I – De Ecclesiae constitutione

1. Declaratio verae Ecclesiae naturae eiusque relationis cum doctrina Corporis Mystici Christi.

2. Expositio relationum Summum Pontificem inter et Episcopos ut melius effulgeat doctrina de infallibili Magisterio Summi Pontificis.

3. Explicitatio relationum Hierarchiam inter et laicos in ordine ad apostolatum.

4. Opportunitas ritum hebraicum instituendi pro conversis e iudaismo.

II – De clericis

1. Maior uniformitas inter diversas locorum consuetudines relate ad habitum ecclesiasticum de quo in canone 136 Codicis Iuris Canonici.

2. Severior applicatio canonis 142 de vetita mercatura ac negotiatione.

III – De religiosis

Moderatio exemptionis regularium sacerdotum ab auctoritate Ordinarii loci in cura animarum exercenda.

IV – De sacramentis

1. *De confirmatione*

a) Authentica interpretatio verborum « pueris » aut « puerilis » in facultate ministri extraordinarii in mortis periculo.

b) Facultas adiutori, si in omnibus suppleat parochi vicem, agendi qua minister extraordinarius.

2. *De eucharistia*

a) Tempus ieiunii servandi a sacerdote Missam celebraturo sit idem ac pro fidelibus, scilicet, usque ad tres horas vel unam horam respective *ante communionem*.

b) Expositio verae naturae participationis tum sacerdotis offerentis tum populi christiani assistentis.

c) Opportunitas concelebrationem permittendi occasione exercitiorum spiritualium, deficiente copia altarium.

3. *De ordine*

Opportunitas definiendi sacramentalitatem episcopatus, praesertim datis disputationibus ortis occasione Constitutionis Apostolicae « Sacramentum Ordinis ».

4. *De matrimonio*

Modificatio canonis 1100 § 3 Codicis Iuris Canonici ita ut celebrari possit in Ecclesia quodcumque matrimonium inter partem catholicam et partem acatholicam certo baptizatam.

V – De temporibus sacris

1. Ad quietem conscientiae emigrantium ac peregrinantium, desideratur magis uniformis disciplina ac observantia de diebus abstinentiae et ieiunii.

2. Ut magis appareat Ecclesiae unitas optanda essent in lege universali reductio ac maior uniformitas in diebus festis.

3. Possibilitas necnon opportunitas tradendi notionem « operis servilis » hodiernis conditionibus magis adaptatam.

VOTA INSTITUTI PASTORALIS

I – De *ordine Missae,* votum est ut

a) psalmus 42 inter preces privatas ante Missam transferatur;

b) alia Sacrae Scripturae lectio inter Graduale et versiculum alleluiaticum vel Tractum locum habeat, aut alterutrum cantores tacere possint;

c) in lingua vernacula, textu rite probato, altera proclamatio fiat versus fideles ab ipso celebrante aut a ministro competenti;

d) ab Introitu ad usque Symbolum inclusive, celebrans cum ministris seu ministrantibus a sede propria possit praeesse quin accedat ad altare, lectionesque ab alio proclamatas sedendo auscultet;

e) amoveatur invitatorium « Oremus » quod antiphonam ad Offertorium immediate antecedit;

f) « Oratio super oblata » clara voce cantetur aut dicatur, nec postea nominetur « Secreta »;

g) praefatio pro Apostolis, ad instar aliarum, sub gratiarum actionis argumento procedat;

h) Canon Missae possit clara voce recitari, necnon intra eum quaedam signa crucis subtrahi, saltem ab verba « per quem omnia... »;

i) doxologia Canonis clara voce pronuntietur, dum celebrans Calicem signat cum Hostia, et populus acclamare possit « Amen », priusquam celebrans genuflectet;

j) ritus fractionis novum ordinem habeat simpliciorem atque magis logicum;

k) simpliciter amoveantur preces expresse statutae ad fidelium communionem immediate praeparandam, scil. Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Ecce Agnus Dei, Domine, non sum dignus;

l) evangelium « In principio » inter preces post Missam redeat;

m) in Cena Domini sacramentalis concelebratio iure permittatur.

II – De *proprio Missae,* votum est ut

a) lectiones Sacrae Scripturae, saltem in dominica, meliori criterio seligantur;

b) in Missa, pericopae biblicae eaedem non sint ac Officii huius diei, sed consonantes;

c) in feriis per annum, propriae lectiones S. Scripturae adhiberi possint.

III – De *Graduali Romano,* votum est ut

pro psalmis tam Introitus et Offertorii quam Communionis, simpliciores antiphonae ad imperitorum utilitatem exaratae sint et facultas etiam adsit eas ad libitum cantandi omnibus dominicis necnon in festis B. M. V.

IV – De *calendario romano,* votum est ut

a) Pascha in tertia dominica mensis aprilis celebretur, nec proinde utatur vocabulo « Dominica Augusti » aut aliis huiusmodi, sed solum « Dominica post Pentecosten »;

b) semel in anno fiat festum:

Sanctae Crucis (3 maii - 14 sept.); B. M. V. septem dolorum (15 sept. - fer. VI[e] Pass.); S. Michaelis archangeli (29 sept. - 8 maii); Cathedrae S. Petri (18 ian. - 22 febr.); S. Ioannis apostoli (27 dec. - 6 maii); S. Stephani protomartyris (26 dec. - 3 aug.); Sanctae Agnetis (21 ian. - 28 ian.); S. Francisci Assisii (4 oct. - 17 sept.).

c) desint Rogationes in festo S. Marci (25 aprilis);

d) quinta die mensis augusti, festi titulum sic notetur: in dedicatione Basilicae S. Mariae majoris;

e) commemorentur tantum in Festo B. M. V. de Mercede, S. Petrus Nolascus necnon S. Raymundus de Pennafort;

f) una cum S. Ioanne de Matha celebretur S. Felix de Valois; item cum S. Antonio, abbate, celebretur S. Paulus, eremita;

g) sub ritu simplici celebrentur:

S. Romualdus, abbas (7 febr.); S. Gabriel a Virgine perdolente (27 febr.); Sancta Francisca Romana, vidua (9 mar.); S. Franciscus de Paula (2 apr.); S. Vincentius Ferreri (5 apr.); S. Fidelis a Sigmaringa (24 apr.); S. Paulus a Cruce (28 apr.); S. Stanislaus (7 maii); S. Antoninus (10 maii); S. Philippus Nerius (26 maii); S. Franciscus Caracciolo (4 iun.); S. Norbertus (6 iun.); Sancta Margarita (10 iun.); S. Ioannes a Facundo (12 iun.); Sancta Iuliana de Falconeriis (19 iun.); S. Gulielmus (25 iun.); S. Antonius Maria Zaccaria (5 iul.); S. Ioannes Gualbertus (12 iul.); S. Hieronymus Emiliani (20 iul.); S. Caietanus (7 aug.); S. Hyacinthus (17 aug.); Sancta Ioanna Fr. de Chantal (21 aug.); S. Philippus Benitius (23 aug.); S. Iosephus Calasantius (27 aug.); Sancta Rosa Limana (30 aug.); S. Raymundus nonnatus (31 aug.); S. Nicolaus de Tolentino (10 sept.); S. Iosephus a Cupertino (18 sept.); S. Thomas de Villanova (22 sept.); S. Bruno (6 oct.); Sancta Birgitta (8 oct.); S. Ioannes Leonardi (9 oct.); S. Petrus de Alcantara (19 oct.); S. Ioannes Cantius (20 oct.); S. Andreas Avellinus (10 nov.); S. Iosaphat (14 nov.); Sancta Gertrudis (16 nov.); Sancta Elizabeth (19 nov.); S. Silvester (26 nov.).

V – De *Pontificali Romano,* votum est ut

a) ostiariatus sacristanis ab Ordinario loci conferri possit;

b) lectoratus catechistis virilis sexus ab Ordinario loci conferri possit;

c) ritus ecclesiae consecrationis breviori forma fruatur.

UNIVERSITAS CATHOLICA AEQUATORIS

UNIVERSIDAD CATOLICA DEL EQUADOR

Quiti, die 18 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Acceptis litteris ab Eminentia Tua Rev.ma die 18 iulii 1959 sub inscriptione 2 C/59-36 exaratis, summa diligentia inquirendum putavi quid ab Universitate Catholica Aequatoris tanti momenti inquisitioni respondendum esset.

Cum vota desiderentur brevia, clara, praecisa, practicamque conclusionem demonstrantia, simulque ad res exsequendas accomodata, his conditionibus nos satisfacere censemus si a Concilio Oecumenico proxime celebrando enixis precibus impetremus ut apertam, dogmaticam, specificamque condemnationem proferat *laicismi,* quem haeresim hodiernam maxime nocivam maximeque periculosam reputamus.

Non nos fugit sub nomine *laicismi* plura ac valde diversa pro diversis nationibus posse intelligi, quae proinde diversis etiam gradibus condemnationis obnoxia sunt; at communis est quaedam falsitas gravissima, nimirum quod propugnet religionem, scilicet relationes sive individui, sive hominis socialis, sive Status cum Deo a libera hominum voluntate pendere, ita ut vitam honestam tam degat qui eas relationes, cultumque quo manifestantur, foveat, quam qui eas negligat aut plane respuat.

Dempto hoc fundamento obligationis omnimodae hominum ad Deum, sequitur indifferentismus religiosus, sequuntur iura paria a Statu tam falsis religionibus quam verae agnita, sequitur patens imminutio fidei cum consequente corruptione morum, sequitur aperta porta ad omnes errores.

In hac nostra Catholica Universitate Aequatoris in qua plus quam dimidium studentium e laicis collegiis procedunt, experimur quam difficile sit eos sensu christianae vitae imbuere ideasque laicas quas ab infantia didicerunt circa independentiam Status ab omni influxu religioso dissolvere.

Hodiernae pugnae politicae in Aequatore ob proximas electiones Praesidis clarissime manifestant quanta inter nos irrepserit idearum confusio ex hoc dogmate laico longe lateque grassante: religionem non debere misceri cum re politica; viris feminisque vere catholicis in foro

interno licere votum dare pro candidato liberali aut socialista aut etiam communista, ex eo quod in ordinibus undequaque inter se independentibus versentur politica et religio.

Tam altas radices hic error, saltem inter nos, in populari persuasione immisit, ut nonnisi Apostolica aut Conciliari condemnatione directa et nominali eradicari posse videatur. Tanta enim hac in re pervicacia est multorum virorum, quodque mirum videri potest, multarum feminarum quae sese catholicas nominant, ut tantummodo metu condemnationis ob denuntiatam haeresim in fide et disciplina catholica contineri valeant.

Haec sunt, Eminentissime ac Reverendissime Domine, vota quae Universitas Catholica Aequatoris ad Oecumenicum Concilium celebrandum cum maxima reverentia defert, divinam Providentiam adprecans ut ea Sanctissimo Domino nostro Ioanni XXIII feliciter regnanti Patribusque Concilii inspirare dignetur quae in maximum bonum Sanctae Ecclesiae redundare possint.

Eminentiae Tuae Rev.mae
infimus servus in Christo

AURELIUS ESPINOSA PÓLIT, S. I.
Rector

PONTIFICIA UNIVERSITAS SALMANTICENSIS

UNIVERSIDAD PONTIFICIA
SALAMANCA

Salmanticae, die XVIII aprilis MCMLX

Cum, iuxta verba Ss.mi Domini nostri Ioannis Papae XXIII non semel prolata, nuntiatum Concilium fons praesertim futurum sit et origo unitatis in universa Catholica Ecclesia; cumque vero huic unitati maxime obstent tum in loquendo tum in sentiendo rationes diversae, quibus saepe catholici valde inter se discrepant et dissentiunt, huic Universitati Salmanticensi peropportunum visum est nonnulla proponere quae ad unitatem et incrementum fidei et morum maxime iuvare possunt, ita ut animorum dissensiones, discrepantiae, confusiones sive in doctrina et disciplina sive in ratione et praxi apostolatus facilius ab ipso Concilio corrigi possint. Neminem enim latet quantam vim habeant Oecumenici Concilii consilia et decreta, ideoque sperandum est fore ut si Concilium suam promet de his rebus sententiam, omnes, recte ab Ecclesia per Concilium edocti, uno corde, uno sensu, uno ore eadem circa magna vitae christianae et doctrinae fidei principia et quaestiones profiteamur et praedicemus.

Iuvat igitur haec principia sive quaestiones in sequentia dispertire capita:

I. De re biblica.
II. De re philosophica et theologica.
III. De re morali et sociali.
IV. De re canonica.
V. De re pastorali.
VI. De re paedagogica.

Optandum demum finale his sex capitibus adiungimus.

LAURENTIUS TURRADO
Rector Magnificus

I. DE RE BIBLICA

Cum in praesentiarum nonnulli scientiae biblicae cultores tam varie et confuse agant et scribant, opportunum fore iudicamus sententias colligi doctrinamque in unum quasi corpus biblicum, quod contineat ea quae post Concilium Vaticanum Sancta Romana Ecclesia de quibusdam praecipuis quaestionibus biblicis hinc illinc expressit, praesertim in Encyclicis Litteris *Providentissimus, Spiritus Paraclitus* et *Divino afflante.*

1. Quod maxime oportunum iudicamus quoad *sensum inspirationis biblicae,* ut influxus positivus Dei in hagiographi facultates, sive volitivas sive executivas, vi cuius Deus auctor fiat principalis totius Sacrae Scripturae ideoque Litterae Sacrae inerrantia tum de facto tum de iure omnino gaudeant.

2. Quo praestituto, opportunum quoque forte erit ut, quemadmodum prius iam in Encyclica *Providentissimus* factum est relate ad assertiones de rebus scientificis, nunc relate *ad assertiones historicas,* quae res difficilior sane videtur, pressius Ecclesiae sententia proferatur, quae omnium mentes dirigat, non tantum in interpretatione priorum Geneseos capitum, sicut Commissio Biblica fecit in Epistula ad Em.mum Card. Suhard, sed ampliorem vim retineat ad ceteros Sacrae Scripturae libros, Evangeliorum libris non exclusis, cum praesertim eorum vis historica nunc maximo in periculo sit, posita opinione eorum qui doctrinam quam vocant « *Formgeschichte* » profitentur, cum asserant Evangeliorum libros non proprie continere ea quae Iesus fecerit et docuerit, sed ea tantum quae prima Christi Ecclesia de ipso crediderit ipsique tribuerit.

II. DE RE PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA

In rebus philosophicis et theologicis magna saepe oritur doctrinarum confusio et animorum in rebus dogmaticis perturbatio, ex eo quod rerum notiones ex scientificis disciplinis vel ex hodiernis philosophicis scholis inconsulte mutuatae in tractatus tum philosophicos tum maxime theologicos irrepserunt, vel ex eo quod nonnulla confuse, sine valida ratione, incongruenter aut inconsiderate asseruntur cum periculo in errores inducendi. Quae cum ita sint, haec praecipua proponenda censuimus:

3. Ad unitatem inter catholicos omnes promovendam in sentiendo de iis quae doctrinam revelatam quoquomodo attingunt, congruum videtur ut Sacrum Concilium, sive quoad doctrinam sive quoad methodum, *urgeat ea omnia quae semel iterumque Ecclesia Romana* per varia documenta pontificia *docuerit aut maxime commendaverit.*

Peropportunum insuper iudicamus ut, quantum rerum temporumque adiuncta patiuntur, superatis et amotis veterum Scholarum controversiis, *Syllabus quidam auctoritate Concilii conficiatur,* in quo eae doctrinae seu philosophicae propositiones contineantur quae ad veritatem dogmaticam sustinendam necessariae videantur; quas vero doctrinas seu philosophicas propositiones omnes catholici, cuiuscumque Scholae sint vel muneris, conscientia et religione profiteri cogantur, quo facilius doctrinarum confusiones et animorum angores et sollicitudines levari et abduci possint.

4. Ad verum et proficuum opus theologicum promovendum et ad errores praeterea vitandos illius *doctrinae quae « relativismi » et « historicismi » dicitur,* magni momenti videtur ut Concilium consideret, et de re, si opportunum videbitur, decretum ferat damnando doctrinam et conatus eorum omnium qui, hodiernae philosophiae nimium indulgentes, vim et valorem negant vel deminuunt conceptuum quibus non solum Sacra Theologia sed ipsa Ecclesia in Magisterio publico per decreta et definitiones saepe nititur, ut si conceptus non stabiles et quid firmum essent neque eorum ope res supernaturales proprie significari possint, sed essent pro « historicitate » hominis et Ecclesiae non sibi constantes sed indesinenter mutabiles, varii et fluxi.

5. Cum de re agatur haud parvi momenti et de re quae maxime interest scientiae theologicae, optandum est ut Concilium, prout temporum rerumque adiuncta exigere videntur, attente consideret iterumque incumbat studiis et schematibus in praecedenti Concilio Vaticano *de Ecclesiae Christi doctrina* paratis.

Maxime enim iuvabit, ut Ecclesia admirationem et amorem populorum sibi conciliare errantesque omnes ad unitatem revocare pergat, quod facilius fiet, si eiusdem Ecclesiae intimior natura perfecta, spiritualis, supernaturalis, indefectibilis, ut res ad salutem quoque necessaria, proclametur, prout iam in schemate theologorum Concilii Vaticani proponebatur; item si, prout in schematibus iisdem sermo erat, de Ecclesiae habitudine ad societatem civilem, nominatim in iuribus educationis, memoria renovetur; necnon si declarentur quae de functionibus propriis atque specificis singulorum membrorum in Corpore Christi mystico aetas hodierna cognoscere studet: quo et pateant et illustrentur

quae ad potestatem atque officia episcoporum iure divino pertinent vel cum iis intime cohaerent, quaeve ad laicos identidem pertinent, sacerdotium regale, gentem sanctam, ut eorum in apostolatu per Actionem Catholicam collaboratione doctrina Christi annuntietur.

6. Sunt et nonnulli Professores qui vota sua significarunt de convenientia prosequendi etiam opus praecedentis Concilii Vaticani, prout in schematibus erat iam paratum, circa *opera Dei ad extra, unitatem originis generis humani,* et *redemptionem et satisfactionem* a Verbo Incarnato pro nobis praestitutam.

7. Cum de necessitate baptismi clare et manifeste loquantur documenta Magisterii Ecclesiastici, praesertim Florentinum et Tridentinum, optandum est ut Concilium sensum verborum et sententiarum ipsius Tridentini Concilii de ipsa necessitate baptismi *in re* vel *in voto* declaret: utrum revera haec doctrina intelligenda sit de necessitate medii absolute et de voto personali, ita ut omnes qui sine baptismo vel qui sine ipsius voto personali morientur, non consequantur beatitudinem, vel e contra, possit intelligi etiam de voto vicario Ecclesiae vel parentum.

III. DE RE MORALI ET SOCIALI

In re morali et sociali non parva etiam confusio orta est, tum ob opinionum varietatem inter auctores circa plura moralitatis obiecta tum ob quorumdam proclivitatem ad officia seu obligationes deminuendas vel plus aequo temperandas. Falsae quoque doctrinae pervulgantur circa immutabilitatem principiorum iuris naturalis, vel circa sic dictam « ethicam situationis » et eum quem dicunt « positivismum iuridicum ». Ut opportunum remedium afferatur, haec sequentia proponimus.

8. Videtur opportunum, immo necessarium, *ut nova instituatur disciplina de lege ieiunii et abstinentiae,* hodiernae vitae conditionibus accommodata.

Ratio ut ieiunium quadragesimale absolute non tollatur habetur validissima in textibus liturgicis temporis quadragesimae, qui de ieiunio atque de corporali paenitentia saepe agunt. Absonum sane videtur ut christiani omnino praetermittant, quod Liturgia adeo commendat. Sed hodie tamen plures christiani de hac lege nullam habent curam, unde et confessarii neque huius rei rationem saepe habent, ne conscientias perturbent, vel bonam paenitentium fidem in malam vertant cum animarum detrimento. Quae cum ita sint, restrictio legis ad paucissimos dies, temporis praesertim quadragesimae, videtur opportuna, suppressa forsitan omnino lege de abstinentia a carnibus.

9. Moribus populorum mutatis, optandum videtur ut *praeceptum ecclesiasticum de observatione festorum* (can. 1248) ita enuntietur, quoad alteram partem quae agit de abstinentia ab operibus, ut sub prohibitione comprehendantur, in genere, quaecumque opera, cuiuscumque generis, quibus omnino vacant homines per hebdomadam ad sibi suisque necessaria procuranda, poenitus e medio sublata distinctione inter servilia opera et opera liberalia.

Incongruum enim videtur ut, ex una parte, permissa habeantur opera non servilia, certo impedientia finem praecepti, id est, Deo vacare per aliquem diem in hebdomada et requiem homini convenientem praebere; et ex alia, prohibita censeantur, quia servilia, quaedam minora opera, quae exerceri valent, potius otii vitandi causa, ast certo certius, nihil vetantia praedictum praecepti finem.

10. Ut remedium contra grassantes *errores eorum, qui oboedientiam quamcumque e medio tollere nituntur,* illam praesertim quae voto sive promissione firmatur, atque contra consequentem indisciplinam et inoboedientiam, etiam in clericis et religiosis, optandum est ut urgeatur obligatio praestandi oboedientiam superioribus, etiam laicis, legitime praecipientibus, sive leges ferentibus.

11. Opportunum iam apparet sollemniter damnare errorem quem sub nomine *ethicae situationis* denuntiavit SS. P. Pius XII, et eum qui *positivismi iuridici* nomine hac nostra aetate propagatur.

Ut vis et valor universalis atque absolutus principiorum legis naturalis et divinae hoc sollemni iudicio declaretur, videtur iam exigi ut, ex una parte, pateat error eorum qui moralitatem actuum tribuunt circumstantiis tantum, pro singulis infinite variantibus vel eorum qui oriri credunt a libera voluntate principum, atque ex alia, ut catholica doctrina de humana libertate atque de actuum humanorum imputabilitate in tuto sistat, contra hodiernas theorias seu doctrinam psychologorum, iuristarum atque moralistarum quorundam determinismum quemdam absolutum patrocinantium, sub quo notio, vis et ipsa realitas peccati et delicti pessumdatur.

12. Iuxta doctrinam Pii XII, in suis Allocutionibus, videtur conveniens ut modo sollemni declaretur *hominem,* ex eo quod est persona et quidem ad finem supernaturalem ordinata, quaedam *iura naturalia et supernaturalia habere,* quae iura ab Statu et ab aliis membris societatis sunt recognoscenda et inviolate servanda.

Damnandi igitur sunt sequentes errores: *a*) Statum omnimoda potestate pollere supra vitam subditorum ita ut ei liceat occisionem infirmorum et senium et ad bonum commune inutilium, et imponere posse abortum, « sterilizationem » quam dicunt, et alia sic dicta media euge-

nica, iuribus naturalibus et supernaturalibus contemptis; *b*) scientificum quemlibet, in exercitio suae professionis nullis finibus circumscribi proindeque, propter rationes scientificas et experimentales, omnia agere et experiri posse, nulla habita ratione conditionis personae humanae ad finem supernaturalem destinatae, in variis operationibus, in experientiis medicis et in hodiernis methodis therapeuticis psychiatriae.

13. Cum in populorum commercio et moderatione principia quaedam iuris morumque internationalia nequaquam vigeant, sed potius uniuscuiusque studium et aviditas dominandi regat, debiliumque populorum iura parvi pendantur, cumque bellum ex hac populorum ratione maxime imimneat, optandum est ut *christiana principia de mutua populorum coagmentatione et humanitate* sollemniter teneantur et ad ea servanda omnes populi enixe compellantur, addito sollemni quodam iudicio de moralitate belli, prout temporibus praesentibus lamentabili modo evenire potest.

14. Cum vero « *communismi athei* » doctrina maximum damnum Ecclesiae Catholicae his temporibus afferat, tum si ipsius principia tum si ipsius praxis consideretur, cumque praeterea haec communistarum pestis toto terrarum orbe — quod maxime lugendum est — latius in dies propagetur, sollemnis in Concilio doctrinae praxisque « communismi » damnatio valde opportuna videtur.

15. Optandum quoque est ut *principia et fines iuris proprietatis* necnon et *rectas ordinationes oeconomicas et sociales totius Communitatis* Patres Conciliares attente considerent et sollemniter exponant vel definiant, iuxta doctrinam a Romanis Pontificibus recentioribus praesertim in variis Encyclicis et Adhortationibus prolatam.

IV. DE RE CANONICA

Ad ius canonicum quod attinet, censent DD huius Universitatis, plurimis rebus praetermissis, quae in textu Codicis emendanda videntur, de iis tantum dicendum quae potioris momenti sunt, sive quia instituta praecipua tangunt, sive quia ad Ecclesiae ordinationem attinent, ut nempe Ecclesia in sua ratione iuridica hodiernis rerum temporumque conditionibus in quantum fieri possit, congruat aptaque sit. Notissimum enim est codificatores novum ius raro induxisse; unde facile fit ut, cum hominum mores vitaque iure citius evolvantur, quaedam in iure remaneant inutilia quia desueta, quaedam mutanda quia hodiernae vitae incongrua; quaedam nova inducenda quia ad finem Ecclesiae valde utilia.

Ideo haec quae sequuntur proponenda censuimus:

16. E Codice expungenda videntur:

a) *Impedimenta gradus minoris* ad matrimonium, ex eo quod lex inutilis videatur, cum nulla causa ad eius dispensationem opus sit;

b) *Lex de sponsalibus,* quia sponsalia hodiernis moribus absona sunt et omnino desueta;

c) *Peccata Episcopo reservata,* quae suppressa iam sunt in plurimis dioecesibus, supprimenda videntur ubique, quatenus practice eorum utilitas non patet.

Pluribus huius Universitatis doctoribus *censurae etiam reservatae restringendae* videntur ad pauca omnino peccata graviora, quae facile memoria teneantur a confessariis, ideoque recursus ad S. Sedem, post absolutionem rite datam, ad normam iuris, a simplici confessario, obligatorius paucissimis tantum et gravioribus in casibus remaneat.

17. Optant professores ut quicumque in *Romana Curia* munera saltem praecipua exercent, *non ex una alterave natione sint electi,* sed ex omnibus, servata tamen proportione quadam incolarum catholicorum singularum nationum. Idem optandum est quoad repraesentationem diplomaticam activam apud singula Gubernia civilia vel Nationes.

18. Opportunum quoque videtur Sacrae Curiae Romanae amplificatio et his temporibus adaptatio, tum in ipsa Curiae ordinatione seu constitutione tum in ratione et celeritate rerum agendarum. Expediret forsan *nova ordinatio et delimitatio competentiae singulorum Dicasteriorum* ita ut potestatem proprie legislativam ne exerceant, prout in Motu Proprio « Cum iuris canonici » statuitur.

Romana insuper Dicasteria administrativa, excepto Sancto Officio, praestat ut se reapse abstineant a rebus vel quaestionibus iudicialibus pertractandis seu ab iis rebus quae ad ius trictum pertinent et iudicialiter solvi debent.

19. Expedit ut *processus iudicialis,* praesertim si de matrimoniali vel de criminali agatur, iuxta hodiernae scientiae progressum compleatur et perficiatur.

Opportunum insuper videtur ut normae quaedam tradantur accuratiore modo digestae quoad *formam administrativam procedendi* in negotiorum expeditione et quaestionum solutione, ita tamen ut sufficiens iurium personalium tuitio numquam desit.

Magnopere interest scite ac consulto distinguere quaenam res iudiciali modo, quaenam vero modo administrativo sint pertractandae atque solvendae.

20. Quibusdam *Organis in Ecclesia deliberativis vel consultivis* forte opus sit ut eis novus vigor, vis, vitaque nova insuffletur, ne vetera Consilia seu Instituta tractu temporis languescant atque a prima insti-

tutione in ratione agendi decidant longeque absint a sensu primigenio. Quod dici posse videtur de capitulis canonicorum, de dioecesana synodo, de concilio provinciali, cet.

21. *Magnae urbes non apte reguntur consueta divisione in paroecias* distinctas et inter se independentes. Sicut enim in re civili multa orirentur incommoda si magnae urbes dividerentur in municipia diversa et inter se independentia, ita etiam, servata ratione, in cura animarum. Ideo, praehabita paroeciarum divisione, instituatur oportet Centrum quoddam coordinationis cum vi et potestate ad distribuenda aequo modo munera, onera, obventiones.

22. *Res mixtae* sunt quae novas leges postulare videntur; de eis enim nihil aut fere nihil adhuc in Codice provisum est; ita sunt, exempli gratia, Instituta de beneficentia et magisterio:

a) *Associationes et Instituta quae ad caritatem* exercendam constituta sunt, etiam si personalitate canonica careant, ad Ecclesiam ratione finis pertinent, de quibus tamen Codex fere nihil agit;

b) Scholae clericorum et religiosorum congruis Codicis normis et Instructionibus SS. Congregationum apte reguntur. Non ita tamen scholae a personis ecclesiasticis institutae, populi erudiendi causa, quae *collegia Ecclesiae* dici solent. Quare, iudicio plurium Doctorum huius universitatis, Concilium rem magni momenti facturum esse videtur si statuat: 1) quaenam dicenda sint collegia Ecclesiae, in quibus nempe *Ecclesia docet;* 2) quibus praecipuis normis haec collegia seu scholae sint regenda.

23. Civilis consociatio quae Status dicitur momentum maximum in vita hodierna habet; dioecesis e contra notio seu conceptus est quid nimis restrictum et in se clausum; *Codex tamen nationes fere ignorat.*

Vocationes insuper ad statum clericalem et religiosum, dum in quibusdam dioecesibus mirifice florent, in aliis dioecesibus minuuntur et deficiunt. Difficillimum est quod singulae dioeceses suum seminarium habeant cum magistris selectis, aedibus, bibliothecis et annona sufficienti ad clericorum institutionem.

Nec praetereundum est quod sunt in Ecclesia et quotidie crescunt nationes quae spiritum non habent seu cultum antiqui, ut dicunt, romani iuris, quibus tamen nationibus seu populis Ecclesia in regimine sese aptare debet.

Res praeterea oeconomicae, potius vigerent, si in commune ponerentur.

Quae cum ita sint, haec quae sequuntur proponenda iudicamus:

a) Oportet ut normae ferantur quibus opus pastorale singularum nationum regatur et ut *Conferentiae Episcoporum,* quae in singulis na-

tionibus, praeter ius Codicis, in usu sunt, legis auctoritate sanctiantur. Fortasse hisce temporibus Natio esse potest loco provinciae ecclesiacticae, antiquitus actuosae, languescentis hodie fere ubique;

b) Cum valde optandum sit ut christifideles uniuscuiusque regionis uno spiritu unaque mente regantur, opportunum videtur *ut in singulis regionibus Ordinarii locorum normas tradant* exactas et definitas, Evangelio et doctrinae Sanctae Sedis accommodatas, quibus omnes, et pastores ut doceant, et fideles ut observent, obtemperare debeant, vi quarum certo omnibus constet ac pateat, contra petulantem sensualismum ac materialismum, quaenam sit mens, quinam sensus Christi et Ecclesiae, circa feminarum modestiam, circa moralitatem hodiernorum spectaculorum, scriptorum, socialis conviventiae, vitiorum atque religionum falsarum tolerantiae, circa valorem mortificationis praxisque virtutum quae negativae dicuntur;

c) Conditiones desiderantur certae, clarae et strictae quae seminariis dioecesanis imponantur, quibus deficientibus, non liceat in eis clericos instituere, sed necesse sit eos in seminarium regionale adducere, quae *seminaria regionalia* de lege constitui debent. Pari ratione statuendae sunt conditiones quibus deficientibus, tribunal dioecesanum supprimatur et causae huius competentiae ad *tribunalia* mittantur *regionalia* de iure condenda;

d) Ut sacerdotes ex dioecesibus quae eis abundant, in dioecesim in qua deficiunt facile transire possint oporteret ut *incardinationis et excardinationis* ratio et regimen facilior evaderet;

e) Oportet ut faciliore via et ratione necessaria *ad audiendas confessiones iurisdictio concedatur*. Opportunum esset ut omnes confessarii, ad audiendas confessiones alicubi approbati, iurisdictione perdurante, ex iure iurisdictionem haberent pro universa saltem natione, dummodo speciale et strictum periculum subierint, nisi aliunde de eorum idoneitate certo constet. Cautelae autem adhibeantur ad disciplinam tuendam;

f) *Systema beneficiale* prout in legibus est, aequum non videtur nec ad hodiernas Ecclesiae necesitates aptum. Plura quidem sunt officia quae in Ecclesia nostris temporibus necessaria sunt, quaeque ad Ecclesiae vigorem plurimum conferunt, quae tamen beneficia non sunt, dum e contra commodis beneficii gaudent officia quaedam quorum momentum est solummodo historicum. Multo utilius et aequitati aptius esset instaurare in Ecclesia regimen oeconomicum (ut fit in omnibus institutionibus) in quo, acceptandis praevisis computatis, statuatur quibus personis vel institutis sint applicanda; nempe, per rationem annuam accepti et expensi (*presupuesto de gastos e ingresos*).

24. Immo, cum hodiernorum hominum vita et mores non in ambitu unius nationis contineantur, sel plura sint quae, adunatis viribus, plures nationes simul exaequantur (e. g., CELAM, *Mercatura communis europea,* cet.), conveniens videtur ut etiam Ecclesia quae suapte natura oecumenica est, normas ferre incipiat quibus catholici et *Organa seu Consilia Ecclesiae in vita internationali* partes suas quoque ferant.

V. DE RE PASTORALI

Plura de hac re dici possent, tum ob ingentem morum hodiernam inmutationem, tum ob magnum progressum theologiae pastoralis et scientiarum auxiliarum; sed, aliis praetermissis, tria praecipua proponenda censuimus: de caelibatu clericorum, de diaconatus exercitio instaurando, de liturgica disciplina innovanda.

25. Quod attinet ad *caelibatum clericorum,* sunt rationes vi quarum omnibus huius Universitatis doctoribus opportunum videtur ut quaestio haec nequaquam neglegatur, sed potius eam a Concilio Oecumenico attente considerandam credunt. Et, quamquam *inter Universitatis magistros sententiae dispares fuerunt,* eorum maior pars autumant dispensationem a caelibatu posse congrue concedi iis sacerdotibus qui in statum irreparabilem et sine spe erectionis lapsi sint et iis quoque qui, praemisso Episcopi iudicio, incommoda fidelibus afferrent exercitio ministeriorum sacerdotalium; ita ut ii sacerdotes, post dispensationem canonicam ab Ecclesia rite concessam, a caelibatu liberi, ad statum laicalem reducantur; unde caelibatus officium semper proprie cum exercitio ordinis sacerdotalis coniunctum sit.

Huius rei rationes hae sunt praecipuae:

a) Providere horum sacerdotum saluti, quorum officia (nonnulla enim cum sint graviora, ut ea quae ex lege naturali post paternitatem ex. gr. oriuntur) obstarent quominus ad primum statum redire possint et ad fructuosum ministeriorum exercitium;

b) Ad scandala tollenda quae vita indigna horum sacerdotum christiano populo praebet; etiam ad curas levandas et angores episcoporum;

c) Ad defectiones in fide vitandas, ex eo ortas quod spes eis nulla remaneat rei solvendae, immo cum periculo ad alias professiones non catholicas transeundi, ex. gr. ad protestantismum, ad communismum, cet.);

d) Ut praeservetur ipsum regale corpus sacerdotale a pestifera lue delictorum suorum collegarum;

e) Praeterea nullam vim habet timor de ingenti clericorum defectio-

ne. In laicalibus Congregationibus facilis dispensatio de voto castitatis non auget defectiones religiosorum;

f) Demum, quid proderit Ecclesiae vim et robur legis caelibatus stricte retinere, si in ea remaneant sacerdotes non digni nec casti, cum re vera sacerdotes qui in castitate vitam suam non agunt nullum aut fere nullum fructum in apostolatu reportant?

Sunt tamen Professores, eorum minor pars, qui, haec argumenta qualiacumque sint, censent dispensationem ad caelibatu ecclesiastico nequaquam concedi oportere, sed vim legis retinendam, his quoque temporibus, sicut prius per saecula in vigore fuit; ne ex dispensationis obtinendae possibilitate licentiae et mala augeantur; etiam, cum sacerdotes in exercitio proprii ministerii maiora pericula inveniant quam simplices religiosi, opus est ut eorum caelibatus maiore cautela custodiatur; praeterea, quia dispensatio legis de caelibatu ansam praeberet ut populus christianus offenderetur et ad malam partem, cum animarum salutis detrimento, ipsam dispensationem verteret.

26. Oportere sane videtur *ut instauretur iterum in Ecclesia exercitium ordinis diaconatus,* his potissimum argumentis:

a) Cum re vera diaconatus sacramentum quoddam sit gradusque specialis in hierarchia Ordinum, opportunum videtur ut sint in Ecclesia qui modo stabili laudatum Ordinem exerceant, ut in prima Ecclesia mos fuit et nunc quoque viget in Ecclesia orientali;

b) Officia diaconorum essent non tantum liturgica, uti ministratio in missa sollenni atque dispensatio eucharistiae et baptismi, sed alia quoque, uti ministerium caritatis in egenos, et ministerium verbi. Immo, opportunum forte esset, praesertim in paroeciis maioris momenti, diaconis committere alia munera, quae sacerdotum nequaquam sunt propria, ut cadavera in fidelium funeribus deducere, curam oeconomicam bonorum ecclesiasticorum habere, officiis non proprie liturgicis adesse et, si casus ferat, praesse, cet. Hoc pacto, instauratio diaconatus faciliorem et efficaciorem redderet sacerdotalis muneris executionem, atque pessimas sequelas ex egestate sacerdotum ortas, maxime in regionibus missionum et in populis quibusdam Europae et Americae, valde minueret.

Omnes professores vota sua affirmativa manifestarunt de convenientia concedendi diaconatum, firma lege caelibatus, professis in laicalibus virorum institutis (Fratres S. Ioannis a Deo, Fratres Scholarum christianarum, cet.), qui reapse munera quaedam diaconorum propria iam exercent. Quoad concessionem diaconatus etiam hominibus lege caelibatus non adscitis, non una fuit sententia professorum; eorum

maior pars vota negativa dederunt, aliqui tamen hanc concessionem opportunam censebant, saltem pro regionibus missionum.

27. *Quoad novam disciplinam liturgicam* haec pracipua in votis habentur:

a) Ut ius liturgicum maxima cum simplicitate et claritate in unum corpus redigatur;

b) Ut ad alios libros liturgicos principia et leges rectae instaurationis quibus ritus Hebdomadae Sanctae instaurati fuerunt quantocius applicentur et ad praxim reducantur;

c) Ut lingua nationali fiant actus cultus publici, in quantum res ipsa et vetus traditio patiantur, ut in eos Christi fideles maiore conscientia et activa participatione partes agant, et ideo in eis maior et altior religiosa informatio sit;

d) Ut facilior evadat regula de tempore missae dicendae aptiorque legi nunc vigenti de ieiunio eucharistico.

VI. DE RE PAEDAGOGICA

Plura mala de quibus in Ecclesia dolemus ex egena et deficienti tum cleri tum populi informatione proveniunt; unde momentum maximum recte ordinandi, impellendi et perficiendi ea quae ad generalem et specialem informationem sese referunt, praesertim ea quae ad clericos et selectos catholicos viros spectant. Quae cum ita sint, haec praecipua proponenda censuimus:

28. Ut in Curia romana *unicum exstet Dicasterium,* quod ordinet et regat quidquid ad informationem tum clericorum et religiosorum, tum laicorum quoquo modo spectat, ita ut sit vera ordinatio et studiorum impulsus tum quoad principia seu leges paedagogicas, tum quoad rationem et viam, tum quoad populorum diversorum unitatem.

29. Speciali modo curandum ut firmior, altior, amplior evadat in dies clericorum informatio. In quem finem: *a*) *Informatio classica* ne negletur, sed magno studio et amore prosequatur, ea omnia religiose adimplendo quae recens Ecclesia docuit in Epistula « De latina lingua rite excolenda », et quae de hac re in Constitutionibus Apostolicis « Deus scientiarum » et « Sedes sapientiae » tantopere commendantur; *b*) *Philosophia scholastica* iuxta regulas ab Ecclesia traditas impense et adamussim colatur, neque ullus ad statum clericalem vocatus aliis philosophicis systematibus seu doctrinis det operam, nisi post studia philosophiae scholasticae rite peracta.

OPTATUM FINALE

30. Pontificia Universitas Salmanticensis vividissime exoptat ut, quantum per rerum adiuncta temporisque conditiones licebit, doctrina definiatur *de mediatione gratiarum universali beatissimae Virginis Mariae.*

Haec enim, Mater et Socia Redemptoris effecta, quam gratiarum aquaeductum, collum unde influxus Christi capitis derivatur, et similia, Patres laudaverunt; in cuius manibus Dispensatricis thesaurum inveniri gratiarum praedicaverunt; quam saepe Pontifices Summi « gratiae ministram ac mediatricem » et « omnium gratiarum sequestram » esse docuerunt; quam populus fidelium in universa afflictione et spe Matrem ac Mediatricem validissimam acclamat: providente Dei Consilio posita est nostris praesertim temporibus quasi signum levatum, quod attendamus oportet, ut sub hoc tanto Mariano signo Ecclesia pergat materno affectu confoveri et christiani universi ad unitatem Christi revocentur, mediatione Matris potentissima, quandoquidem «sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam » (S. Bernardus).

PONTIFICIA UNIVERSITAS CATHOLICA
CHILENSIS

UNIVERSIDAD CATÓLICA DE CHILE

S. Iacobi in Chilia, 31 martii 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

In foliis annexis inveniet Eminentia Vestra votum huius Pontificiae Universitatis Catholicae Chilensis pro Oecumenica Synodo proxime celebranda.

Quae in voto continentur praecipue a professoribus Facultatis Theologiae proposita fuerunt, quod si pauca aut minus profunda videantur certe non pigritiae sed magistrorum temporis angustiae tribuendum est.

Scientificis laboribus minime neglectis, ex toto corde preces effundimus pro Concilii felici exitu, inter cuius fructus quidquid ad unionem Orientalium Ecclesiarum ad Petri Cathedram dissidentium spectat, carissimum evasit.

Cuncta fausta a Deo Eminentiae Vestrae Reverendissimae apprecatus, vere servus maneo,

✠ ALAPHRIDUS SILVA SANTIAGO
Archiepiscopus Ss.mae Conceptionis
Universitatis Catholicae Chilensis
Rector Magnificus

VOTA

I. De Sacra Doctrina

Praemissa declaratione de immutabilitate doctrinae, quae tamen temporum decursu ita evolvitur ut quae prius implicite in revelationis deposito continebantur deinde explicite tradantur, nonnulla innui possent quae ad theologiam naturalem et ethicam spectant. Quae posita sequentia capita traderentur:

1. *De creatione.* Definitio de uniuscuiusque animae humanae productione a Deo ex nihilo eo tempore quo corpore infunditur.

2. *De iustificatione.* Definitio de gratiae acquisitione, contritione, caritate perfecta.

3. *De Mariologia.* Definitio de mediatione B. M. V.

4. *De Matrimonio.* Definitio de intrinseca immoralitate tum artificialium conatuum ad conceptionem vitandam, tum artificialis fecundationis.

5. *De Novissimis.* Definitio de existentia iudicii particularis.

6. *De Sancta Christi Ecclesia.* (Thema praecipuum).

A) *De natura Ecclesiae*

a) De Ecclesia ut est Christi Corpus mysticum deque capitis influxu.

b) De membris Ecclesiae eorumque inaequali ad eam incorporatione tum ratione gratiae et characteris, tum ratione fidei et caritatis, tum ratione submissionis legitimis hierarchis.

c) De salvatione in Ecclesia; explicatio axiomatis necnon influxus Sp. Sancti.

B) *De organica Ecclesiae membrorum distributione*

a) De Summo Pontifice, Episcopus Episcoporum.

b) De Episcopis:

aa) De divina institutione episcopatus deque eius sacramentalitate.

bb) De natura et ambitu iurisdictionis episcoporum residentialium eiusque relatione ad Romanam Sedem.

cc) De infallibilitate Ordinis episcoporum.

dd) De iure episcoporum ad apostolatum in propria dioecesi regendum.

c) De statu perfectionis eorum qui extra ordinem episcoporum inveniuntur.

d) De laicis:

aa) De sacerdotio laicorum nec non de eorum relatione ad Sacram Liturgiam, praesertim eucharisticam.

bb) De apostolatu laicorum eiusque praestantia ac necessitate.

II. De Ecclesiastica disciplina

1. *De re sacramentaria*

a) De linguae vernaculae usu in Sacra Liturgia celebranda.

b) De nova ordinatione, seu restauratione, ritus latini-romani Missae.

c) De aliquorum casuum reservationis suppressione.

d) De reductione matrimonialium impedimentorum.

e) De exigentia delegationis pro sacerdote matrimonio assistente ad liceitatem tantum.

2. *De re pastorali*

a) De incorporatione ad ordinariam potestatem episcoporum earum facultatum quae hucusque eis habitualiter a S. Sede delegantur.

b) De aetate supra quam nemo, exceptione facta Summi Pontificis, nisi S. Sede vel Episcopo dispensante, ecclesiasticam potestatem exercere valeat.

c) De nova constitutione paroeciarum ita ut omnes ad nutum episcopi evadant.

d) De omnimoda subiectione religiosorum episcopali potestati ad apostolatum quod attinet.

UNIVERSITAS CATHOLICA "SOPHIA"

UNIVERSITAS CATHOLICA SOPHIA

27 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Inclusa in his litteris inveniet Eminentia Vestra quaedam proposita quae praeparata a Professoribus Facultatis Theologicae huius Universitatis mittuntur ad Commissionem Antepraeparatoriam Concilii.

Restat mihi annotandum, me cum his quae ita humilliter proponuntur, toto ex animo congruere. Immo quoad usum linguae vernaculae, praesertim in scholis philosophiae ac theologiae, necnon in recitatione breviarii per clerum, et in aliquibus partibus Missae, certe in regionibus Missionum plus renovandum esse humiliter puto quam quod proponitur caute a facultate theologica huius universitatis.

Optimum successum operis ingentis orans et adprecans toto ex corde

Eminentiae Vestrae servus in Christo

NIKOLAUS LUHMER, S. I.
Rector Universitatis

I. PARS DOGMATICA

1. Opinamur nullam necessariam esse in praesenti definitionem dogmaticam. Nulla enim videtur dari hodie quaestio dogmatica, quae definitionem Conciliarem necessariam reddat. Errores infidelium et haereticorum iam saepe sufficienter condemnati sunt; nec videntur exorti esse errores novi, tanti momenti, qui tractationem Conciliarem mereantur. Definitiones dogmaticae vero, nisi cogente necessitate, satius omittuntur: magis enim provocant adversarios ad impugnandam fidem Ecclesiae, quam eos ad fidem attrahunt.

2. Cum fidei in Gentiles propagandae et instruendis ad hoc sacerdotibus indigenis intenti simus, non possumus non notare maximum scandalum et obstaculum conversionis esse tot schismata inter Christianos. Ecclesia Christi vera ubi sit, ab infidelibus saepe vix discerni potest; immo non pauci, de vera idea Ecclesiae desperantes, omnem Ecclesiam respuunt, profitentes « Christianismum sine Ecclesia ». In his adiunctis exspectamus promulgari a Concilio solemnem invitationem ad omnes christianos, ut se uniant Ecclesiae Catholicae, qua in invitatione positive et breviter ita exponatur doctrina de Ecclesia, eiusque necessitate et natura (apte complendo doctrinam Concilii Vaticani I), ut et infideles et christiani separati in Romana Ecclesia conspiciant, quod sibi deest, et ad eam velut ad paternam domum ingrediendam alliciantur.

Expositionem vero optaremus fieri fere in hunc modum:

Introductionis instar declaretur unum Mediatorem Dei et hominum, hominem Iesum Christum, generis humani universali et aeterna Redemptione inventa, ut divinos Redemptionis fructus decursu saeculorum toto generi humano communicaret, catholicam instituisse Ecclesiam usque ad finem saeculorum duraturam.

Explicetur deinde Ecclesiam esse corpus Christi, cuius Caput ipse Christus, membra vero fideles sunt. Addaturque enucleatio, cur ratio Capitis Christo conveniat, nempe:

1) quia suis verbis, quae numquam transibunt, Evangelium ab Ecclesia omnibus gentibus praedicandum annuntiavit;

2) quia per merita vitae et passionis ac mortis suae Ecclesiam sibi acquisivit;

3) quia Apostolis, eorumque successoribus, potestatem tradidit suo nomine docendi, regendi et sanctificandi homines, simulque Spiri-

tum Sanctum cum eis semper mansurum pollicitus est, quem ad Patrem reversu in die Pentecostes ad eos misit;

4) quia B. Petro, quem Principem Apostolorum constituit, eiusque successoribus munus contulit pascendi omnes oves ab Ipso redemptas;

5) quia etiam nunc Ecclesiam regit et gubernat, sive directe in cordibus hominum operando, sive per eos, quos operis sui vicarios voluit praeesse pastores, oves suas pascendo.

Hic opportune explicetur non tolli nec minui per munus Summi Pontificis, aliorumque Episcoporum, dignitatem Christi, tamquam unius Capitis Corporis Ecclesiae: sunt enim Petrus, eiusque in primatu successores, nonnisi Christi vicarii; Episcopi quoque ceteri, qui in Apostolorum locum successerunt, nonnisi Christi nomine assignatos sibi greges pascunt ac regunt. Proinde etsi multi sint pastores, non est nisi unus Princeps Pastorum, unumque Caput primarium Corporis Ecclesiae, nempe Christus Dominus.

Ad intimam deinde rationem influxus Christi Capitis transeundo eamque magis enucleando explicetur, quomodo Christus in singula membra Ecclesiae vim virtutemque influat, eosque eo fere modo alat ac sustentet, quo cohaerentes sibi palmites vitis nutrit, facitque frugiferos. Ipse est enim, qui singulis fidelibus lumen fidei infundit, singulisque singulas gratias eligit, determinat, distribuit: nullus siquidem salutaris actus haberi potest, qui ex eo, tamquam e suo fonte non profluat.

His absolutis, exponatur Ecclesiam esse corpus unum, eiusque membra sive cum Capite, sive cum invicem arctissimis nexibus coniungi. Enumerentur deinde isti nexus qui sunt:

tum externi: scilicet eiusdem fidei professio, eorundem communio sacramentorum, participatio in celebratione eiusdem Eucharistiae, earundem legum observantia, eadem suis Episcopis, atque Episcopo Romano, tamquam Christi Vicario oboedientia, — quibus nexibus membra Ecclesiae in unam societatem visibilem coalescunt;

tum interni: scilicet fides, spes et caritas; maxime vero ipse Spiritus Sanctus, cui tamquam supremo invisibili principio attribuendum est, ut omnes Corporis Christi partes tam inter sese, quam cum Christo Capite coniungantur, totus in Capite cum sit, totus in Corpore, totusque in singulis membris. Hunc Spiritum proprio effuso sanguine Christus nobis in cruce meruit, illumque cum Ecclesia uberrima effusione communicavit, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi. Licet enim in Ecclesia, cum peregrinatur a Domino, mali cum bonis, iusti cum iniustis admixti vivant, iam nunc absque ulla labe refulget Mater Ecclesia in

sacramentis, in fide incontaminata, in legibus et monitis sanctissimis, in caelestibus demum donis et charismatibus.

Demum exponatur Christum Ecclesiam suam infallibilitatis charismate instructam voluisse, ita ut quaecumque in rebus fidei et morum ubique locorum ab Episcopis Apostolicae Sedi adhaerentibus tamquam definitive ab omnibus fidelibus tenenda tradantur, necnon quae sive ab iisdem Episcopis in Concilium Oecumenicum adunatis, in concordia cum Episcopo Romano, tamquam ab universa Ecclesia tenenda definiantur, sive quae ab ipso Romano Pontifice ex cathedra loquente doceantur, ea pro infallibiliter veris habenda sint.

In conclusione demum exoretur clementissimus Pater coelestis, ut Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam regere et gubernare, omnesque homines ad hoc unum ovile Filii sui adducere dignetur.

Cum unionis maxima inimica sit omnis species superbiae, id scientissime agendum erit, ut humilitas in omnibus sentiatur. Hinc arbitramur non inopportunum ad manifestationem Spiritus Christi fore, ut huic expositioni fidei atque ad unionem invitationi adiungatur aliqua confessio propriae culpae, collectivae atque historicae, erga fratres separatos, erga Iudaeos et etiam infideles, qua scilicet aliqui christiani, filii Ecclesiae, non ut vicarii divini, sed ut homines fragiles, obliti cuius sint spiritus, caritatem debitam neglexerunt.

Denique optaremus, ut haec omnia apte proponantur non Latinitate solemni et litteraria, quae etiam in linguas Orientales verti vix posset, sed adhibeatur, quantum fieri potest, stylus simplex ac brevis, cum unctione verborum Evangelicorum et Apostolicorum, quibus omnes ex lectione S. Scripturae assueti sunt et quae etiam a rudioribus facile intelleguntur.

PARS LITURGICA

1. Ut idea Ecclesiae superius exposita ad rei veritatem perducatur, multum conferre censemus renovationem aliquam liturgicam, quae magis occurrat indigentiis et iustis desideriis eorum, ad quorum utilitatem instituta est liturgia. Quamvis enim unitas aliqua cultus historica et geographica omnino desideranda est, tamen formae et symbola, quibus utitur liturgia, non omnibus aetatibus et regionibus similiter conveniunt, neque a diversis populis aequali modo intelleguntur. Ecclesiam antiquitus in ritibus et linguis liturgicis adhibendis peculiaritati populorum magnam libertatem commisisse diversitas mira rituum antiquorum testatur. Porro homines Extremi Orientis formas exteriores magni facere, artes ac methodos proprias excolere consueverunt; itaque ad liturgiam

quoque ipsorum menti et usibus magis accommodatam excolendam optime dispositi esse videntur. Cum vero rituum et textuum determinatio atque in singulis adaptatio, ut dicitur, a centrali auctoritate perfici vix possit, commendabile ducimus, ut Ecclesia, statutis normis generalibus et reservato sibi approbationis iure, maiorem libertatem in rebus liturgicis determinandis concedat antistitibus vel Conciliis regionalibus, et id in primis curet, ut in varietate materiali unitas spiritualis conservetur.

2. In his vero quaestio linguae liturgicae maioris momenti esse cotidiana experientia docemur. Lingua latina, cum a linguis populorum occidentalium non valde distet earumque quasi mater communis sit, in Oriente tamen semper alienissima apparebit, nec unquam animi Orientalium adeo movebuntur, si in iis quae sunt ad Deum, oporteat eos uti lingua tam alienae culturae. Praesertim sacrae Missae Liturgia, quae in decursu historiae optima occasio instructionis et orationis popularis facta est, ab hoc fine assequendo frustratur vel saltem valde impeditur, si verba sacerdotis a fidelibus non intelliguntur. Ideo opportunum ducimus, ut in partibus Missalis, quae fidelium auditui destinantur, usus linguae vernaculae sacerdotibus permittatur. Textus, quatenus ex S. Scriptura non sumuntur, ad sensum libere vertantur, vel novi componantur ad mentem linguae vernaculae.

3. Lectio S. Scripturae, quae fit inter Missam, per cyclum unius anni, opportuniore modo distribuatur.

4. Alia difficultas, Liturgiae adnexa, quae quidem ubique terrarum sentitur, sed praesertim in terris missionum, ubi festa liturgica publice non agnoscuntur, est diversitas calendarii liturgici et civilis ob mutabilitatem temporis paschalis. Iam multum iuvaremur, si calendarium anni ecclesiastici ita confici possit, ut dies Paschatis quovis anno in primam cadat Dominicam mensis Aprilis. Cavendum tamen erit, ne propter hoc novae oriantur dissensiones cum aliis coetibus christianis, ideoque obtinenda videtur eorum cooperatio in hac re.

Praeterea, ut cyclus anni liturgici melius appareat, quaedam festa recentiora Christi Domini ac B. M. Virginis, quae nec huic cyclo aptantur, nec universali devotione populorum coluntur, ex universali calendario sublata, pro aliquibus locis reserventur. Eadem ex ratione numerus festorum Sanctorum in tota Ecclesia celebratorum multum diminuatur; Officium vero Dominicale nonnisi a Festis Duplicibus Primae Classis impediatur.

5. Laborantes in formatione cleri indigeni quasi manibus tangere possumus, quantum sit oneri illis, labore sive studii sive apostolatus iam nimis oneratis, persolutio divini officii quotidiana. Ideo reformationem aliquam omnino necessariam arbitramur. Non quod linguam

latinam, sacerdotibus ob multas et notissimas rationes necessariam abolere velimus, sed ut recitatio computetur *tempore,* nec sacerdos teneatur ultra unam horam recitando Breviario impendere, licet lente pronuntians non totum intra horam absolvere possit. Constat enim haud paucos sacerdotes indigenos duobus et quandoque tribus horis indigere ad totum officium laboriose persolvendum.

Mulieribus religiosis vero, quae secundum suas Constitutiones Officium divinum recitare tenentur, praescribatur recitatio in lingua vernacula, ut verbum Dei quod legunt intellegentes ampliorem fructum spiritualem haurire possint.

6. Praeterea quasdam mutationes ad iucundam ac fructuosam recitationem Officii multum collaturas censemus, scilicet:

si materia lectionum S. Scripturae et Patrum ita melius per annum distribuatur, ut quotidianae inserviat lectioni spirituali; neque saepius in anno eadem homilia Patrum recurrat;

si lectiones hagiographicae abbrevientur, magis in lucem ponant notas individuales sanctorum, et historica fide dignae fiant. Pulcherrima « legenda » sanctorum antiqua utique plene excludenda non sunt, sed cavendum est ne manifeste ficta pro veris tradantur;

si in recitatione privata Breviarii omitti possint ea omnia quae Chorum supponunt, uti sunt dialogi, responsoria, etc.;

si divisio Breviarii in « Horas » ita apte disponatur, ut inserviat orationi matutinae, meridianae et vespertinae sacerdotum.

III. PARS DISCIPLINARIS

Cum multa in Iure Canonico aliisque decretis, quae ante saecula pro populis Europae salubriter instituta sunt, nostris temporibus et aliorum regionum conditionibus minus apta esse experiamur, aliquas mutationes valde utiles fore ad fidem propagandam et unionem cum fratribus separatis facilitandam censemus.

1. Lex Ieiunii et Abstinentiae melius conditionibus aetatis nostrae atque variis populorum moribus aptanda esse videtur. Etenim vg. lex abstinentiae supponit populos carne vesci solitos, quibus abstinentia a carnibus habeat indolem mortificationis, ideo in aliis regionibus, ubi populus simplicior vix unquam carne vescitur, eius ratio non intelligitur et superstitio videri potest. Committatur ergo Ordinariis singulorum nationum, ut in sua regione eam fidelibus formam poenitentiae imponant, quae ad bonum spirituale illorum maxime profuturum esse praevidetur.

2. Etiam lex quietis dominicalis et festivae hodiernis conditionibus adaptanda esse videtur. Optaremus praesertim ne labor corporalis fine recreativo et non principaliter lucrativo susceptus amplius inter opera vetita recenseatur.

3. Alia lex quae hodie difficillime urgeri potest est lex de prohibitione librorum. Hoc praesertim in Iaponia obtinet. Nihil enim in Iapones, utpote de suo honore sollicitissimos, magis offendit, quam si sibi diffidi ab Ecclesia videantur. Nam Catechumeni et Neophyti in sua fide nondum firmi facile putant sibi ab Ecclesia aliquid abscondi, quod doctrinam catholicam falsam esse demonstraret; infideles vero catholicis illudunt, quod ab Ecclesia ad instar puerorum tractentur. Praeterea fideles paucitate librorum catholicorum Iaponicorum impediuntur. Ideo hanc legem aegerrime ferunt. Modificationem ideo huius legis valde utilem fore non dubitamus pro fide christiana propaganda et pro amore fidelium erga Ecclesiam fovendo.

Utique Index Librorum Prohibitorum abolendus non est: normae generales Codicis Iuris Canonici de libris ipso iure prohibitis, atque decreta particularia quibus libri quidam nominatim proscribuntur utillima sunt et erunt ad indicandum qui libri periculum commune perversionis fidei vel morum lectoribus non sufficienter formatis et praemunitis causare possint. Ne tamen huiusmodi « prohibitio » impediat, quominus tales fideles bene formati et contra errores praemuniti, pro quibus in casu concreto huiusmodi periculum prudenter timendum non est, ex causa iusta et rationabili hos libros legere possint. Ut tamen praecaveantur illusiones, statui posset, ne quis huiusmodi libros legat absque prudenti confessarii consilio. Hoc modo tum securitati fidei sufficienter provisum erit, tum magnum tolletur impedimentum conversionis infidelium.

Si vero Patribus Concilii opportunum esse non videbitur legislationem de prohibitione librorum modo supra indicato mitigare, enixe petimus, ut saltem amplientur facultates concedendi dispensationem a lege, ita ut omnes Confessarii habeant facultatem dispensandi pro casibus particularibus, omnesque Ordinarii locorum habeant facultatem, etiam delegabilem, concedendi viris selectis dispensationes generales.

4. Spectato progressu scientiae Exegeseos inde a saeculo IV praesertim ultimis saeculis, etiam decretum Concilii Tridentini de editione authentica S. Scripturae, scil. de Vulgata, reformandum esse videtur. Speramus itaque Concilium conficiendam curaturum pro usu officiali Ecclesiae revisam versionem Vulgatae, quae et simplicitatem styli latini retineat et normas exegeseos scientificae modernae adaequet.

5. Ad promovendam unionem cum Ecclesia Orientali in specie sequentia proponere optaremus.

Opinamur vix adesse spem — nisi Dominus miraculose interveniat — Orientales per traditionem tot saeculorum a nobis separatos uno ictu ad Ecclesiam catholicam reducendi. Cum tamen in maxima parte doctrinae atque in cultu (Sacrificio Missae) et in usu validorum Sacramentorum nobiscum conveniant, nonne posset quaedam mitigatio fieri in lege ecclesiastica prohibente communionem in Sacris cum eisdem? Hoc modo corda fratrum separatorum efficacius ad veram Ecclesiae unitatem disponentur et coram infidelibus (et atheis modernis) tolletur grande scandalum, quod christiani iisdem donis coelestibus utentes separati sunt. Haec concessio primus gressus maioris momenti ad veram unionem fieri poterit novaque « atmosphaera » pro aliis conatibus creabitur. Attendendum est etiam quod in plerisque regionibus Orientis christiani religio tam arcte connexa est cum unitate nationis, ut via conversionum individualium fere obstructa sit; ideoque communitates christianae hierarchicae exsistentes, qua tales, ad unionem cum Ecclesia Catholica duci debeant.

6. Ad eundem finem iuvaret, ita credimus, aliqua relaxatio et reformatio ecclesiasticae administrationis, inquantum a stricta « centralizatione » ut dicunt, recedatur, et Ordinariis locorum maior auctoritas et libertas concedatur. Introducendum igitur opinamur in administratione Ecclesiae illud principium « subsidiaritatis », quod in oeconomia sociali et nationali salubriter statuitur, ut scil. officialibus inferioribus tantum permittatur iurisdictionis ac libertatis, quantum ipsi per se utiliter exercere valeant, id est, potestas non magis concentretur nec libertas magis restringatur, quam ex natura rei necessarium est.

In concreto praesertim optaremus, ut Ordinariis locorum ipso iure ampliores concedantur facultates dispensandi in rebus Iuris Ecclesiastici, ita ut pleraeque dispensationes quas S. Sedes regulariter concedere solet, iam ab Ordinariis locorum concedi possint.

Optaremus etiam institutionem in variis orbis partibus tribunalium regionalium pro casibus matrimonialibus in tertia instantia diiudicandis. Tali modo maior obtinebitur celeritas in his casibus saepe urgentissimis; et insuper tribunalium regionalium Iudices, mores et linguam populorum suae competentiae penitus cognoscentes, multos casus matrimoniales aequius et efficacius pertractare poterunt, quam Iudices quibus lingua et mores populi sunt plene ignota.

7. Cum maximis nostris temporibus adversarius Ecclesiae sit Communismus materialisticus, qui iniustitia sociali et paupertate quae in mundo est callide abutitur, ut legem divinam et Ecclesiae intentionem

diffamet, Ecclesia omni modo niti debet, ut ipsa suo exemplo iustitiam socialem promoveat. Ideo non solum iis operariis, qui de Ecclesia vivunt, iustam mercedem et amplam vivendi rationem concedere oportebit, sed sacerdotes erga omnes pauperes et totum statum operariorum specialem curam et sollicitudinem exhibeant. Inter alia fere haec inculcanda putamus:

Sacerdotes suo exemplo ostendant illum terrenarum rerum despectum et amorem caelestium, quem alios docent. Vitent omnem speciem luxus et cultum superfluum, quo invidiam pauperum excitarent; imitentur paupertatem et abnegationem Christi Domini.

Sacerdotes porro « sentiant cum populo », scil. imbuti sint profundo « sensu sociali » quem vocant, id est maxime eis cordi sit promotio boni status socialis operariorum; ideoque, quamvis in res politicas sese immiscere non debeant, curent, ut divites suas obligationes sociales exsequantur; imitentur misericordiam Christi in pauperes et in divites audaciam.

Haec fere sunt praecipua, quae de Concilio Oecumenico speramus et humili cum reverentia submittimus.

UNIVERSITAS CATHOLICA TOLOSANA

UNIVERSITAS CATHOLICA TOLOSANA

Toulouse, le 18 avril 1960

Eminence,

J'ai l'honneur de faire parvenir ci-joint à la Commission pontificale antepréparatoire pour le Concile Œcuménique les documents suivants, en réponse à la lettre de Votre Eminence du 18 juillet 1959:

1) Mon Votum personnel;
2) les Vota de la Faculté de Théologie;
3) les Vota de la Faculté de Droit Canonique.

J'y joins trois notes rédigées dans les conditions suivantes: Quelques Evêques protecteurs de l'Institut Catholique de Toulouse m'ont demandé de faire étudier, en vue du Concile, certaines questions.

Parmi ces questions les unes correspondaient à celles que les Facultés de Théologie et de Droit canonique se proposaient d'étudier. Elles ont été incluses dans leurs propres Vota.

Pour les autres, je me suis contenté de faire ou de faire faire une note à part, sous forme d'étude de la question posée, suivie d'un avis sur l'opportunité de traiter la question du Concile. Ce sont ces notes que je joins à nos Vota.

Veuillez agréer, Eminence, l'hommage de mes sentiments de profond et religieux respect in X.to.

Br. de Solages

Recteur de l'Institut Catholique
de Toulouse

DE ECCLESIASTICAE ADMINISTRATIONIS REFORMATIONE

VOTUM RECTORIS INSTITUTI CATHOLICI TOLOSANI

A) Quo modo res se habeant

Sive in Gallia, sive in diversis nationibus quas forte cognovi, videntur quaedam in Ecclesia administranda se minus feliciter habere.

Dicendum est primum quaestiones iam multas, et hoc magis atque magis, non ad unam dioecesim, sed ad regiones aut saepius ad nationes spectare, et ideo imperfecte solvi posse tam in singulis dioecesibus, quarum competentiam superant, quam ex parte Sanctae Sedis, quae istas non nisi indirecte et ex parte cognoscit, cum enim tam multae nationes sint, atque quaestiones innumerabiles.

Insuper quidam inest metus ne non possibile sit cum Dicasteriis romanis tutissimo animo negotia tractare, quod nec ab illis difficultates illatae plene intelligantur, nec intima exhibeatur fiducia his qui procul Urbe degunt.

Quam rerum rationem multa sequuntur incommoda, quae in plerasque quaestiones redundant ad Ecclesiam spectantes, et quorum emendatio praevia videtur esse conditio ad easdem quaestiones solvendas. Itaque de hac rerum ratione eiusque emendatione tantum hic sermo erit.

B) De causis

Causae mihi videntur quidam defectus ad unum vergentes in administranda Ecclesia, quae sunt:

1. Organorum imperfectio quae regiones aut nationes administrant, cum male constitutae sint Provinciae, atque nimis parvae, nec, exempli gratia, iam convenientes cum regionibus hodie in re existentibus.

2. Defectus in Dicasteriorum romanorum constitutionis modo, quae de varietatibus in nationum statu non satis docta sunt, nec in quibus satis multa diversarum nationum adsunt membra: quae quidem duae res ex parte coniunctae sunt. Ad quod intelligendum, conferatur eorum compositio et agendi modus cum maiorum Religionum in Urbe curiis. Si forte ad duo negotia tractanda Romam venitur, alterum apud S. Congregationem de Seminariis et Universitatibus studiorum, alterum apud Societatis Iesu in Urbe curiam: hic cum propriae nationis Assistente

sermo erit, qui saepe antea Provincialis fuit, homine probato, qui plene quaestionem intelligit; illic aut cum quodam « aiutante di studio », nonnunquam in re versato, sed qui nullam habet auctoritatem, aut cum Cardinali aut Secretario, qui auctoritatem quidem habent, sed minime cognoscunt facta, cum sint innumerabilia.

3. Ad Romam deferuntur nimis multae decisiones in rebus quae haud directe ad universalem Ecclesiam spectant, et quae, sicut olim, ab aliis Hierarchiae gradibus solvi possent.

4. Deficit congruens inter Romam et singulas nationum Ecclesias connexio.

C) De remediis

a) *In singulis nationibus desiderantur*

1. Reformatio et extensio Provinciarum ecclesiasticarum, ex quo non levis Provinciarum numeri imminutio significatur, ratione hodierni sociologici status. Talium Provinciarum vitae, et facultatis incrementum consequenter necessarium fieret.

2. Creatio, aut si iam existunt, auctus organorum nationalium (in quibus numerantur episcopales coetus, commissiones Episcoporum, centralia officia, etc. ...); facultatis eorum incrementum.

3. Creatio tribunalium regionalium nec non nationalium.

b) *Ad rectam Dicasteriorum Romanorum ordinationem respectu hodiernarum necessitatum haec desiderantur*

1. Ut competentiae diversorum Dicasteriorum ita moderentur ut iam rerum eiusdem generis partitio inter plura non fiat.

2. Ut Dicasteriis directe apostolicis praecedentia detur prae Dicasteriis politicis aut administrativis; et in singulis Dicasteriis, ad fidem propagandam animasque curandas praecedentia detur.

3. Ut Dicasteria pro diversis mundi regionibus interne dividantur, praelato quas singulas partitiones regente, sicut maioribus Religionibus mos est, quae Assistentes aut Definitores habent Italiae, Galliae, Germaniae.

4. Lectio horum Praelatorum e diversis nationibus, inter quosdam ab episcopatu cuiusque nationis praesentatos, ita ut singuli praelati regionis ex qua oriundi sint curam habeant.

5. Qui praelati eorumque assistentes, elapso decem aut quindecim annorum tempore, plerumque alias missiones accepturi essent, imprimis utilius episcopi nominati in propria regione aut natione, in qua iam,

priusquam in Dicasteria romana ingressi, alicuius momenti muneribus functi essent.

6. Creatio, apud singula Dicasteria, commissionum studiorum, peritos totius orbis complectentium, qui praesentes facerent omnes mentium legitimas inclinationes, et non tantum eas quae regentibus pro tempore placerent; et qui saltem singulis annis in coetum vocarentur.

Praesertim periti in singulis studiorum generibus homines apud Congregationem S. Officii desiderantur, ut operam dent novis quaestionibus quae in mundo surgunt. Etenim doctrinae invigilare impossibile est nisi noscantur novae conditiones in quibus res dubiae apparent. Utilius esset opitulari et viam ostendere eis qui Theologiae operam dant in Ecclesia, quam errores tantummodo coercere.

Suppressio desideratur, apud Congregationem S. Officii, secreti ad quaestiones doctrinales quod attinet: suppressio, in instruendi modo, normarum quae auditionem cuius interest, liberam advocati electionem, et alia huius generis negant.

7. Renovatio quoad aetatem membrorum Curiae Romanae, quae dum mundi mutationum celeritas crescit, magis atque magis necessaria fit. Qua re non amplius vigeat usus qui munus reservat Dicasteria regendi solis Cardinalibus, qui saepe seniores sunt, sine ulla aetatis limitatione, et de facto inamovibiles.

8. Reformatio Sacri Collegii, in quo iam numerarentur:

— ex officio episcopi maiorum sedium singularum mundi regionum;

— ex electione tres aut quatuor maiorum Dicasteriorum praefecti;

— alii a Summo Pontifice nominati.

Primus in Sacro Collegio locus maioribus Patriarcharum sedibus reservaretur, cum Orientalium Ecclesiarum unionis spe.

Certi huius Sacri Collegii coetus haberentur (annuis forte vicibus) ut praesidente Summo Pontifice maiores attenderentur quaestiones quae ab Ecclesia solvi debent.

9. Creatio consilii paucis praelatis constantis, qui frequenter convenirent (quindecimo quoque die, aut singulis mensibus) praesidente Summo Pontifice, ad cognoscendum de rebus maioris momenti pro tempore contingentibus.

c) *Ut singula negotia ad utiliorem locum remittantur, desideratur*

1. Partitio facienda inter quaestiones respicientes tum Sanctam Sedem, tum singulos episcopos, tum singulas regiones, tum singulos talis nationis episcoporum coetus, eorumque organa, quae sunt: congregatio

plenaria, commissiones, praeses. Hic posset optime episcopus esse maioris sedis. Tali modo onus difficultates solvendi non iam erit unius soliusque capitis. Caput enim membra regere debet, non autem absorbere, maxime cum membra sint corporis episcoporum, quod collegio Apostolorum succedit. Sic Roma maximam fiduciam Ecclesiae catholicitati praeberet.

2. Propositiones nationali episcoporum collegio faciendae essent a coetibus regionum, quae magni ponderis haberentur.

d) *Ut connexio enascatur utilior inter Romam et singulos nationum episcopatus, desideratur*

1. Creatio Romae deputatorum qui, episcopali dignitate aucti, apud Sanctam Sedem singularum nationum episcopatus legatione fungerent et ab episcoporum nationis coetu eligerentur.

2. Propositio Summo Pontifici, a singularum nationum episcopatu, brevis eligendorum indicis, iuvenum et simul experientia praeditorum, ut ex his Dicasteriorum membra superius allata eligi possent.

3. Sermo frequentior ex parte Sanctae Sedis eiusque Dicasteriorum cum coetus episcoporum cuiusque nationis organis, quae tunc essent Commissiones, Praeses, Deputati episcopatus nationis apud Sanctam Sedem, ad rerum cognitionem et monita de ratione agendi in singulis nationibus danda.

In casibus gravioribus, convocatio Romam Episcoporum nationis, ut praeside Summo Pontifice quaestionibus attendatur. Ita fieret colloquium inter Sanctam Sedem et Episcopatum cuiusque nationis fiducia plenum. Nec sufficit colloquium mere personale cum singulis Episcopis, sicut agitur cum ad limina Apostolorum veniunt. Tunc enim Episcopus praesertim intentus est ad res propriae dioecesis tractandas.

Tota haec reformatio, imprimis quia legitimas singularum Ecclesiarum praerogativas firmat, praevia videtur esse conditio ut ad unitatem redeant Ecclesiae separatae, praecipue Orientales.

FACULTAS THEOLOGICA

I. SCHEMA PRO DOCTRINA DE EPISCOPATU

1. Cum iam definita est in Concilio Vaticano doctrina de Summi Pontificis Potestate, perficiendum est hoc opus declarando doctrinam de Episcopatu et episcoporum potestate.

2. Episcopi constituunt unum corpus seu collegium cuius Summus Pontifex, Romanus episcopus, est caput. Quamvis Summus Pontifex possit facere solus totum quod facere potest hoc collegium cum illo, unde dicitur « episcopus totius Ecclesiae Catholicae » (Concilium Florentinum), non succedit in locum illius. At magisterium ordinarium, sicut et ordinaria gubernatio Ecclesiae, actionem totius episcopatus comprehendit.

3. Unde Collegium episcoporum Ecclesiae Catholicae Collegii apostolici est successor, ita quod, secundum verba Pii XII « Haec quae omnes gentes usque ad consummationem saeculi amplectitur missio, cum apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus adhuc perseverat » (Encycl. *Fidei Donum,* 18 maii 1957).

4. Episcopi, in quantum constituunt cum Summo Pontifice et sub illo unum collegium, habent in solidum munus docendi et regendi in totam Ecclesiam. Unde dicitur in Codice Iuris Canonici, non solum quod « Romanus Pontifex... habet supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam » (can. 218) sed etiam quod « Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » (anc. 228). Unde etiam dicitur in Encycl. *Fidei Donum* supra citata: « Quodsi unusquisque episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad apostolos fecit: « sicut misit me Pater et ego mitto vos ».

5. Hanc participationem potestati Collegii episcoporum in Universam Ecclesiam accipit episcopus unusquisque accipiendo iurisdictionem propriam in portionem peculiarem gregis Domini. Quae iurisdictio peculiaris exercetur in communione cum ceteris episcopis omnibus et dependenter a capite totius episcopatus, id est a Summo Pontifice.

6. Ipsa ordinatio episcopalis confert gratiam Spiritus Sancti et characterem indelebilem, id est plenitudinem potestatis ordinis non solum in corpus eucharisticum sed etiam in corpus mysticum Christi. Quamvis potestas iurisdictionis a potestate ordinis sit distincta, eumdem omnino

finem habet utraque, scilicet plenum et perfectum exercitium muneris pastoralis.

7. Presbyteri participant sacerdotium cuius plenitudinem habent episcopi. Et quamvis accipiunt id quod est essentiale in sacerdotio Novae Legis, scilicet « potestatem consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem eius (Christi), necnon et peccata dimittendi et retinendi » (Concilium Tridentinum, Sess. XXIII, cap. I), hanc potestatem in quantum Corpus mysticum Christi seu gregem Domini spectat, non habent nisi in statu dependentiae a potestate episcopali.

8. Quamvis definitio fidei sicut et determinatio substantiae sacramentorum Universalem Ecclesiam spectet unde et pertineat sive ad totum collegium episcopale sive ad Summum Pontificem solum, unusquisque episcopus est doctor et defensor fidei pro fidelibus sibi commissis. Unusquisque cum auctoritate docet doctrinam fidei et veritates connexas. Quisque in suo territorio stimulat et regit administrationem et celebrationem sacramentorum, sicut et actionem apostolicam et opera varia presbyterorum et laicorum ad conservationem, defensionem et propagationem fidei et vitae christianae.

9. Hanc potestatem erga gregem suum proprium exercet episcopus dependenter a Summo Pontifice, propria auctoritate tamen et non ex delegatione, ita quod unusquisque episcopus potest dici vicarius Christi pro suo grege proprio sicut Summus Pontifex pro tota Ecclesia.

10. Unitas et potestas collegialis episcopatus catholici manifestatur modo extraordinario in Concilio Oecumenico quod est conventus omnium episcoporum legitime convocatus, Summo Pontifice praesidente vel saltem approbante.

At haec unitas propter interdependentiam rerum quae episcopis unius regionis committuntur, manifestanda est etiam modo ordinario in conventibus regionalibus, immo in unaquaque natione.

11. Conventus episcoporum plurium provinciarum ecclesiasticarum quando convocantur ad normam iuris ut Concilia plenaria (can. 281), vere habent iurisdictionem collegialem in territoria quorum episcopi convocantur.

Valde optandum est quod tali concilio in aliqua natione celebrato adiungantur quaedam institutiones permanentes quae sit organa studii et exsecutionis.

In illis conciliis, praesertim si periodice adunentur, optime elucescit pro bono communi Ecclesiae collegialitas episcopatus catholici.

12. Unitas collegii episcoporum specialiter fovetur et manifestatur quando unus ex eis accipit delegationem permanentem Summi Pontificis cum determinata potestate circa communia negotia.

II. VOTA QUAE PATRIBUS CONCILII VIDENTUR OPPORTUNIUS PROPONENDA

Pro Ecclesia orientali

Ut solemnius declaretur disciplinam ritusque liturgicos Orientalium esse religiose servandos.

De facultatibus dispensandi Episcopis concedendis

Ut concedantur Episcopis nonnullae facultates praesertim dispensandi, adhuc S.mae Sedi reservatae, quotiescumque ad Sedem Apostolicam recurrendi necessitas non liquet.

De Indice librorum prohibitorum

Ut denuo recenseantur scripta quae in Indice librorum prohibitorum adnumerantur; ad quos libros legendos benignius licentia concedatur, rationabili de causa.

Ut, antequam prohibeantur scripta, auctores audiantur, si de catholicis agatur; si vero damnentur, huius damnationis causae palam explicantur.

De lingua vulgari in liturgia

Ut usus linguae vulgaris in sacra liturgia extendatur, dummodo accuratissime textus vertantur, competenti auctoritate adprobante.

De officiis et beneficiis ecclesiasticis

Ut, si fiat recognitio Codicis Iuris Canonici, munera ecclesiastica officia magis quam beneficia existimentur, salvis stabilitate et inamovibilitate ad quaedam munera pertinentibus.

FACULTAS IURIS CANONICI

I. DE STRUCTURA ECCLESIAE

1. De Dicasteriis

Facultas optabile aestimat ut qui officiales his in Dicasteriis assumuntur, secundum mentem magis universalem, seu internationalem, eligantur, modo quo recenter in Sacri Collegii compositione a Papa Pio XII necnon a S. S. Papa Ioanne XXIII effectum sit; constituantur, apud haec Dicasteria, commissiones internationales consultativae permanentes — in quibus sedeant et non residentes Romae participes — quae sessiones periodicas teneant.

2. De potestate Ordinariorum

Patet oculis Facultatis quantum intersit inter Ecclesiam iam summitate stricte coadunatam eamdemque in imis organis consideratam quae suis legibus libere administrantur. Ex una parte, potestas Ordinariorum nimis contracta videtur, speciatim quoad concessionem dispensationum aut permissionum (v. g. in dispensationibus matrimonialibus concedendis, aut in egressu monialium extra claustra) et administrationem bonorum dioecesis. In his et aliis casibus, recursus ad Romam a iure requiritur et quaeri potest nonne opportune haec obligatio alleviaretur secundum modum determinandum. Haec decentralizatio pondus laboris Congregationibus Romanis impositum sublevaret et tempus breviaret in expediendis negotiis.

Ex altera parte, videntur saepe circumscriptiones ecclesiasticae (dioecesanae et provinciales) parum convenire cum rebus socialibus religiosis, quae saepe maioris sunt amplitudinis circumscriptionibus ecclesiasticis. Operae pretium sit novas circumscriptionum hic illic fingi limites. Constat etiam legislationes locis aliquibus proprias valde inter se differre quod saepe damnum affert vitae christianae fidelium et difficultates parit pastorali et iuridico gradu. Valde ergo optandum sit quemadmodum novi limites rebus administrativis sive in dioecesi, sive in provincia concedantur, ita concordantia decisionum respicientum regiones ampliores dioecesibus spectetur. Ad hunc finem obtinendum, concilia provincialia aut plenaria, sicut in Iure praevisum est, primo ad vitam revocanda sint, quibus interesse possunt clerici alii ac Episcopi ipsi — quod utilitatem conferre potest. — Secundo, iura conciliorum episcoporum sive provinciliaum sive nationalium, Sancta Sede moderante, ampliora reddantur.

3. De Statu clericorum

In plurium nationum dioecesibus, his nostris temporibus, constat evolutionem magni momenti evenisse cum in conditione transmissionis Evangelii tum in vita pastorali.

1. Sacerdotes in regimine Episcoporum de die in diem minus multi numerantur. Rursus plerique eorum titulo dioecesis, non beneficii aut patrimonii aut pensionis ordinantur.

2. Officia pastoralia alia ac paroecialia (v. g. assistentiae spiritualis in Actione Catholica etc. ...) crescunt numero et momento quoad officia ipsa paroecialia; quae qualitates non easdem sed paris momenti requirunt et stabilitatem saltem relativam supponunt firmari sacerdoti qui huic officio nominetur.

3. Structura sociologica paroeciarum quarumdam aliquando velociter mutatur cum talem regionem olim a ruricolis — et quidem paucis — cultam artes mechanicae invadunt, cum populo numeroso e variis gentibus composito.

His celeribus motibus regulae iuridicae adhuc vigentes nec facile aptandae Facultati videntur. Illud quidem assequendum est ut ab Episcopo sacerdos ad locum opportunum idoneus citius adhibeatur. Similiter autem et eo ipso necesse est sacerdotem cui talis cita mutatio imponatur obiectiones quas legitimas senserit adversus hanc decisionem praesentare valere.

Quibus ius vigens non semper adaequate respondere videtur, praesertim in sequentibus: primatum tenet ordinatio sacerdotalis titulo beneficii, patrimonii aut pensionis quoad ordinationem titulo servitii dioecesis; non praecise definitur quanam obligatione iuridica teneantur clerici officium (cum vel sine beneficio) acceptandi; de praestantia paroecialium officiorum in aliis et paroeciarum « inamovibilium » in paroeciis « amovibilibus »; de inaequalitate inter stabilitatem in officio asseveratam parochis paroeciarum praesertim inamovibilium — quae magna est — et illam datam clericis aliis officiis dotatis, quae quidem infima invenitur.

Facultas non putat suum esse proponere mutationem integram regularum quae clericorum, officiorum et beneficiorum statum definiunt; aestimat tamen has reformationes a se offerri posse:

1) Prioritas statuatur ordinationis titulo dioecesani servitii.

2) Obligatio expresse formuletur sacerdoti titulo dioecesis ordinato acceptandi nominationem propositam.

3) Suppressio distinctionis inter parochos inamovibiles et amovibiles.

4) Hierarchia officiorum ponatur, ratione habita singulorum pa-

storalis momenti, praeexcellentia non necessario data operibus paroecialibus.

5) Simplicior reddatur procedura canonica de amotione, remotione, translatione parochorum; quae sic intelligi possit:

a) quod attinet ad remotionem..., can. 2147 § I, in sententia « ... etiam citra gravem culpam suam » omittatur « gravem » (quae revera sic habitualiter interpretatur); can. 2147 § 2, haec addatur in enumeratione (non exhaustiva quidem) causarum quae remotionem legitimant, sc. graves et actuales vitae paroecialis necessitates, (quod includeret casum quo, mutatis structuris paroecialibus sociologicis parochus non novis aptus videatur);

b) quoad translationem ... mentio fiat quod pronuntiari possit non tantum in bonum paroeciae *ad quam* (quod verificatur in promotione) sed etiam in bonum paroeciae *a qua*;

c) Procedura, tam in remotione quam in translatione pro quibuslibet paroeciis, unica servetur, ea scilicet quam Codex pro parochis amovibilibus statuit, suppressa distinctione inter amovibiles et inamovibiles paroecias;

d) In hac autem procedura, non amplius vigeat distinctio inter « parochos consultores » et « examinatores synodales ». Ordinarius audiat duos inter sacerdotes in synodo electos, distinctos ab eis qui « consilium Episcopi » constituunt, et praecipua ministeria dioecesana repraesentantes (sc. parochos, eleemosynarios, professores ...);

6) Sacerdos cui translatio proponatur, quid sentiat non solum de loco non mutando sed etiam de iis quae novo loco sibi accipiendo obiici possint commendare valeat.

7) In remotione et translatione parocho communicentur quaelibet notitiae quae eum habilem reddant qui observationes suas ex plorate praeferat.

8) Obligatio statuatur parocho cui translatio aut remotio proposita sit ut acceptet, processu absoluto, officium cum vel sine beneficio (cf. supra 1, 2, 3, 4) ei oblatum.

9) Licentia expressa ad Romam sit recurrendi, finita causa, in devolutivo tantum.

10) Regant hae regulae quamlibet remotionem aut translationem, officia a quo et ad quod sint beneficiis adnexa vel non, solo Vicario generali manente ad nutum; de caetero necessitas procedendi secundum hos processus statuatur Ordinario cum, iam plures annos in officio sacerdos, qui non sit parochus, permanserit (quod concordat cum 4° supra).

4. De institutis religiosis

De eorum adaptatione quaestio ponenda est ut meliore quo fieri potest modo conditionibus vitae actualis et missioni suae propriae in Ecclesia habilitentur: quod speciatim de *Institutis pro feminis* dicendum.

Prohibendum est ut nova Instituta erigantur quorum finibus iam ab existentibus provideantur. Multa sunt hodie quae membris indigeant, membris praesertim quae directionem Instituti exercere valeant: inde in subiectis vita spiritualis ad inopiam redigatur. In legislatione « religiosi adsistentes » introducantur quorum erit regimen Institutorum pro feminis optimum procurandum. Item pervulgatur procedura « unionis exstinctivae », iam a S. C. de Religiosis habitae, ad suppressionem efficiendam Congregationum quae missionem propriam efficaciter implendam amplius non valeant.

De monialibus haec dicenda sunt:

a) Multae puellae quae v. g. in Actione catholica authenticam et apertam vitam christianam egerunt longe a monasteriis arcentur in quibus adhuc vigent antiquiores usus qui, saepe pusillis rebus adhaerentes, effusionem animae plenam spiritualem liturgicamque cohibere videntur.

b) Foederationes, ad mentem Constitutionis « Sponsa Christi » saepius in vanum verterunt ob contentionem invidiosam inter monasteria quae, firmiter aut caute, independentiam suam servare intendunt quod quidem obstet constitutioni hierarchiae idoneae et novitiarum educationi; ex eo, difficilis etiam « mutatio aeris », i. e. monasterii, pro tali moniali quae tamen, saepe urgentiore modo, eo indigeret, evadit.

Unde optandum apparet ut:

a) Omnia monasteria earumdem Constitutionum et Regularum coadunentur in Ordinibus et Provinciis stricto sensu et cum omnibus de iure consequentiis.

b) Sessiones proponantur Abbatissis et novitiarum magistris, quae eas adiuvent ad prudentes adaptationes ad praxim adducendas, quae ultimis his annis multoties a Sancta Sede commendatae sint.

5. De Tribunalibus

Bona iustitiae administratio requirit simul et iudices competentes et citam causarum tractationem. Ad hunc duplicem finem obtinendum, Facultas haec proponit:

a) aliquam Tribunalium supremorum « decentralizationem », per institutionem Tribunalium in ultima instantia iudicantium, ad instar Rotae

Hispanicae, sive pro nationibus, sive pro universitate seu ethnica seu linguistica nationum (v. g. pro America meridionali, pro Gallia et Belgio...) (Providendae quidem essent cautiones ad unitatem iurisprudentialem obtinendam in universa Ecclesia, v. g. per modum recursus in determinatis casibus ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae).

b) E contra, coadunationem aliquam iurisdictionum inferiorum quae efficaci modo non semper hodie officium agunt, quia ministris idoneis indigent — quod effici posset per istitutionem officialitatum regionalium quarum iurisdictionis ambitus determinandus esset relate ad causarum probabilem numerum et ad mutationum de loco in locum ex parte ministrorum possibilitates.

II. DE MATRIMONIO

1. De impedimentis ac dispensationibus

Votum emittit Facultas ut e Codice tollantur impedimenta gradus minoris (can. 1042 § 2) super quae dispensatio concessa semper valida tenenda sit etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit (c. 1054). De impedimentis gradus maioris quae tantum permaneant (c. 84 § 1), Facultas sic animadvertit: in iure hodie vigente, cum petitur dispensatio, causa proportionate gravis praesentari debet (v. g. aetas superadulta, angustia loci, incompetentia dotis...). Porro, secundum iurisprudentiam S. Romanae Rotae, dispensatio valida erit dummodo existat de facto causa sufficiens — etsi causa invocata falsa fuerit — etiamsi ea nec a concedente nec a partibus nota fuerit; cum, de caetero, haec causa sufficiens potest esse amor mutuus futurorum contrahentium qui revera inter se contrahere statuerint, dicta iurisprudentia ad hoc pervenit ut supprimatur, de facto, exigentia alicuius causae, cum, quasi semper sponsi inter se mutuo amore teneri affirment et saltem contrahere semper velint — secus nec locus esset dispensationem postulandi. Unde non videtur proportio servari inter exigentiam causae ad validitatem et naturam causae quae tam facile ut sufficiens admittetur. Melius appareret vel exigentiam causae supprimere (sc. Ecclesia satis haberet partibus ut dispensationem super impedimentis simpliciter petant), vel si sustineretur, exigentiam maiorem applicare de existentia et natura causae.

Quod si impedimenta gradus minoris in Codice permaneant, expediret suppressam habere necessitatem, ad eorum dispensationem obtinendam, invocationis causae alicuius, cum haec causa, fatente can. 1054,

valide semper habenda sit etiam falsa, etiam mala fide ficta (sic enim canon interpretatur), quod in contemptum legis vertere videtur.

Placeret etiam, ut iam supra dictum est, ampliores dari potestates Ordinariis locorum, in concessione dispensationum in ordine ad matrimonium.

Iuvaret simpliciorem reddi legislationem pro casibus in quibus concurrant impedimenta multiplica ad normam can. 1050, quae, in interpretatione, tam insuperabiles difficultates pariat. Denique congruum videretur, saltem pro certis nationibus, conditiones impedimenti aetatis in legislatione canonica cum eisdem in legislatione civili statutis coordinari (ut fit v. g. in can. 1080 pro impedimento cognationis legalis ex adoptione) ne matrimonia, ex eodem impedimento, valida sint secundum leges civiles et nulla secundum legislationem canonicam aut vice versa.

2. De consensu matrimoniali

a) *De errore circa indissolubilitatem matrimonii*

Legitur in can. 1083 « simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem ». Scilicet error circa matrimonium dum manet in intellectu nihil importat in consensu qui est de ordine voluntatis; atqui consensus partium facit matrimonium (can. 1081 § 1). Considerat tamen Facultas qua amplitudine possibilitas ad divortium quod vocant civile recurrendi per mores hodiernos diffunditur etiam eorum qui christianos se putent et tales haberi velint, a fortiori aliorum. Mens frequenter in futuris sponsis invenitur secundum quam iam a priori statuitur se ad divortium civile recursuros et ad novam, civilem nempe, unionem transituros, si res matrimoniales male se habeant. Hic autem animi affectus non is esse solet ut consensum irritum faciat dum non actuetur in voluntate positiva ad divortium recurrendi (etiam sub conditione unionis infelicis) et « diffusa » tantum intentio maneat, ex eo quod praesumuntur futuri contrahere voluisse hoc matrimonium quod fuit, ab initio, in institutione divina et in restauratione a Christo Sacramentum instituente. Quid autem valeat haec praesumptio cum matrimonium a Deo institutum nullo modo in complexu psychologico- morali contrahentium inveniatur? Quid valeat consensus a futuris datus ea conditione, tacita certe sed tamen vera, se ad divortium deventuros si quando inter se dissentiant? Si matrimonium in facie Ecclesiae contrahatur, nonne posset inquisitio praematrimonialis quaestiones continere

exquisitiores quoad hanc intimam futurorum mentem — aut saltem eas a parochis maiore instantia proponi?

Ad quid sentiendum, cum Ecclesia de eorum validitate cognoscere debeat, de matrimoniis absente Eccclesia celebratis (inter infideles aut acatholicos — cum v. g. legislatio et civilis et sectae religiosae acatholicae proclamat coram sponsis matrimonium dissolubile in certis adiunctis)? (Item dicendum esset de intentione futurorum quoad bonum prolis).

Facultas vehementer optat ut futurum Concilium has implexas et gravissimas quaestiones examini subiiciat.

b) *De errore circa personam*

Aliquando — raro, tamen — fit ut ad extorquendum consensum alterius partis, aliquis, saepius vir, fallaci dolo utatur, qui falsum nomen, falsos honoris titulos, falsam professionem prae se ferat, dum praeterea vitam praeteritam, delictum patratum, poenam perfectam obtegat, ita ut vera substitutio personae socialis et externae habeatur. In talibus adiunctis nullitatem matrimonii ordinarie non admittit legislatio canonica actualis: non datur enim error circa personam, cum non sit error in identitate physica, nec error qualitatis redundans in errorem personae (ut interpretatur classice hic error qualitatum); cum nulla praeterea conditio posita sit circa veritatem dictorum fallentis, non adest invaliditas matrimonii contracti ob conditionem de praesenti vel de praeterito appositam et non verificatam. Verumtamen parum rationi consentaneum videretur uniones istiusmodi ratas haberi. Contra fundamenta certa sacramenti matrimonii sine dubio iret is qui ad errorem circa personam invalidantem identificaret errorem identitatis civilis aut errorem antecedentem circa qualitates substantiales: quod efficiunt aut tentant disciplinae iuridicae, sive in lege sive per iurisprudentiam, quorumdam nationum. Sed quaerit Facultas nonne verba legis sensu largiore interpretari aut aliquantulum mutari possent, ita ut invalidum diceretur matrimonium in quo persona socialis et externa totaliter aliena a persona vera fraudulenter substituta sit? tale matrimonium nonne invalidum dicendum sit? Nonne, ut sit validus, consensus supponat conformitatem, saltem minimam, inter personam socialem et externam apparentem et illam veram: per personarum enimvero socialem et externam tantum aut saltem principaliter persona, sensu philosophico, attingitur. Putandum videtur errorem consequentem substitutionem personae socialis et externae (si revera adsit) in personam redundare. Ad hanc interpretationem declarandam modi diversi obviam veniunt: possent plures quam hodie numerantur qualitates admitti de quibus error redundet in personam;

identitas interpretari posset ut identitas quidem physica necnon socialis et externa; denique ut conditio dirimens matrimonium ea posset haberi, semper subintellecta, scilicet conformitatis inter personam socialem et externam apparentem et personam socialem et externam veram. De facto, semper supponitur is qui sub determinata persona se offert bene esse quem dicit et non venit in mentem expressio conditionis quae obvia est. Non videtur sustinendum ut qui alteri fallenti credidit, poenas luat bonae suae fidei, dum fallens lucrum reportet mendacii; ita ut eo firmiorem unionem contraxerit qui callidiorem se gesserit.

3. De matrimonio conditionato

Nonne expediret suppressam habere possibilitatem contrahendi sub conditione, de futuro saltem, et etiam de praesenti et de praeterito, praeterquam illam qualitates substantiales sponsi alterius respicientem (si res ita videretur)? Quod concordiam stabiliret inter legislationem canonicam, hac in re, pro latina et pro orientali Ecclesia.

4. De impotentia

Accuratius definienda esset impotentia, praesertim ex parte mulieris, ita ut, quantum fieri potest, conveniat definitio impotentiae muliebris et virilis, pro sua utraque — ratione habita biologicae artis conclusionum, secundum quas, organa mulieris partem agunt positivam in procreatione. Exigenda ergo videretur in muliere, ut in viro, praesentia et aptitudo organorum essentialium procreationis ut ea potens habeatur.

5. De potestate ministeriali vicaria Summi Pontificis

Huius usus, quoad dissolutionem matrimonii, his ultimis annis, maiorem amplitudinem adeptus est, in bonum fidei et salutem animarum, pro casibus qui ultragrediuntur eos quibus cann. 1120-1127 provident.

Hic agendi modus Sanctae Sedis videtur postularet ut insertio in Codice fiat:

a) Distinctionis expressae a Pio XII (Allocutio ad Tribunal S. R. Rotae 3 oct. 1941) inter indissolubilitatem extrinsecam absolutam et relativam matrimonii.

b) Privilegiorum Pauli III, Gregorii XIII, Pii V, ut interpretati nunc sunt a iurisprudentia pontificia et doctrina communi.

c) Definitionis privilegii sic dicti « petriniani » quae extendi posset ad dissolutionem matrimonii mixti cum vel sine dispensatione disparitatis cultus celebrati; matrimonii legitimi in favorem alicuius tertii bapti-

zati catholici qui intendat ducere unam e partibus infidelibus, iam ab ea obtento divortio civili, aut legitimam facere unionem irregularem iam habitam cum una e partibus infidelibus quae divortium civile obtinuerit.

d) ut addatur motivo habituali sc. in bonum fidei, illud amplius « pro salute animarum » quod a Pio XII, hac in allocutione anni 1941, tam clare affirmatur.

e) Ut distincto sensu definiatur privilegium fidei can. 1127 et taxative enumerantur casus in quibus locum applicationis habeat.

III. DE IURISDICTIONE AD AUDIENDAS CONFESSIONES

Opportunum Facultati appareret concedi sacerdotibus quibusdam qui subditorum curam pastoralem teneant, ex assistentia spirituali v. g. in Actione catholica eam iurisdictionem in foro interno quae parochis pertinet in fidelibus suae paroeciae; cuius iurisdictionis usus esset pro peregrinationibus, congressibus, sessionibus, etc. ...

IV. DE CODICE IURIS CANONICI

Facultas optat ut certis temporibus expediatur et in eo inscribantur decisiones et leges quae post Codicem promulgatum editae sint.

Appendix

NOTE RÉDIGÉE À LA DEMANDE DE CERTAINS EVÊQUES PROTECTEURS DE L'INSTITUT CATHOLIQUE DE TOULOUSE

Minimum à croire pour être sauvé

(ou plus exactement comment les hommes qui n'ont pu connaître l'Evangile, peuvent-ils néanmoins parvenir au salut).

I. Le Magistère de l'Eglise affirme d'après l'Ecriture (par ex. *Hébr.* XI, 6 *sine fide autem impossibile est placere Deo*) et la Tradition, que sans la foi chrétienne on ne peut être sauvé.

Très tôt il a été admis que cette exigence ne prenait toute sa force qu'à partir du moment où l'Evangile avait été prêché (post promulgationem Evangelii); mais les Pères de l'Eglise inclinèrent beaucoup trop vite à admettre que de leur temps, l'Evangile avait été prêché jusqu'aux extrémités de la Terre (usque ad fines terrae).

Aussi la question (assez improprement appelée du salut des infidèles, puisqu'il faut avoir la foi pour être sauvé) s'est-elle reposée, avec une acuité croissante, après la découverte du Nouveau Monde, et l'évidence que des masses d'hommes, même à notre époque, ne sont pas vraiment atteints par l'Evangile.

Or la croyance religieuse, absolument fondamentale en la justice de Dieu ne permet pas d'admettre que des hommes soient damnés sans qu'il y ait faute de leur part. C'est ce qu'a affirmé, en particulier, avec force, dans un texte bien connu, le Pape Pie IX (*Enchiridion* N. 1677; *Thesaurus* N. 267).

Le problème se pose alors de concilier ces deux vérités: d'une part, ces hommes que l'Evangile n'a pas atteint, doivent avoir la possibilité de se sauver; d'autre part, on ne peut être sauvé sans la foi. La seule solution théologiquement cohérente est de montrer qu'ils ont la possibilité d'avoir la foi.

II. Depuis le rebondissement du problème au XVIème siècle, les théologiens se posent par suite avec plus d'insistance la question du minimum à croire pour être sauvé. Un nombre de plus en plus considérable abandonne l'opinion de la nécessité de croire au moins à la Trinité et à l'Incarnation rédemptrice, vérités impossibles à découvrir pour qui ne connaît pas l'Evangile, et que les justes de l'ancienne loi ont eux-

mêmes ignorées, bien que bénéficiaires d'une Révélation divine (celle, progressive, de l'Ancien Testament). Ils se rangent à l'affirmation de l'épître aux Hébreux (XI, 6: Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit). Mais cette croyance à l'existence du Dieu unique et à son caractère de garant de l'ordre moral (ce que l'on appelle volontiers « le monothéisme moral ») peut-elle vraiment être considérée comme accessible à tous les hommes, du moins sous sa forme *explicite?* Il ne le semble pas, mais on peut montrer qu'elle peut être contenue *implicitement,* de diverses manières selon les civilisations et les mentalités, dans ce que croient les âmes préoccupées d'une certaine vie morale. Dieu seul sait avec certitude jusqu'où cet implicite peut être implicite sans cesser d'être réel.

III. Mais la plupart des théologiens préoccupés d'établir comment peut être accessible à tous l'*objet* de la foi sous sa forme minimum, négligent un autre aspect tout aussi nécessaire de l'acte de foi: Il ne suffit pas, en effet, pour qu'il y ait foi, que l'intelligence adhère à un certain nombre de vérités, il faut encore qu'elle adhère, non par un simple raisonnement, mais sous l'influence d'une volonté mue par la grâce, à cause de la parole de Dieu: « non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potent » (Définition de la vertu de foi par le Concile du Vatican, *Enchiridion* N. 1789, *Thesaurus,* N. 145, 147).

Le problème se pose donc aussi de savoir comment ce *motif* de la foi peut être accessible à tous les hommes? Il semble qu'il puisse, lui aussi, être atteint *implicitement* dans l'existence d'une volonté droite, de ce que l'on appelle la vertu de *sincérité,* attitude d'une âme disposée à se *soumettre* à toute vérité de quelque manière qu'elle lui apparaisse. Là encore Dieu seul sait avec certitude jusqu'où cette attitude implicite peut être implicite sans cesser d'être réelle.

En conclusion, que pourrait, en la matière, définir le prochain Concile? Sans doute reprendre le texte de Pie IX (cf. la référence ci-dessus, qui n'est que celui d'une Encyclique aux évêques d'Italie, pour en faire une affirmation dogmatique de la *possibilité* pour *tous* les hommes de parvenir au salut (cf. d'ailleurs *I Tim.* II, 4).

Il conviendrait aussi d'y ajouter que si la *justice* de Dieu exige que tous les hommes puissent ainsi parvenir au salut, puisque, d'autre part, la *foi* est nécessaire au salut, il est donc possible à tous les hommes de parvenir à un minimum de foi; et que, pour ceux qui n'ont pas la possibilité de parvenir à la foi explicite, une *foi implicite,* tant dans son objet que dans son motif pourra suffire.

Le Concile pensera-t-il devoir aller plus loin, et devoir préciser dans quelle adhésion cet objet minimum peut être implicite (adhésion à une des formes d'absolu), et dans quelle attitude d'âme ce motif minimum peut être implicite (sincérité surnaturelle) je ne puis le préjuger. Sans doute estimera-t-il que ce sont là questions à laisser au labeur des théologiens.

Précisions théologiques sur l'apostolat des laïcs

I. Chaque chrétien du seul fait de sa foi, de son espérance et de sa charité, doit s'efforcer de collaborer à la croissance du règne de Dieu, au corps du Christ auquel il est agrégé par son baptême et dont sa confirmation lui donne la force d'être un membre agissant: « Dei adiutores sumus » (*I Cor.* III, 9). Il le doit pour Dieu et pour ses frères.

— Pour Dieu, parce que le Dieu qu'il adore est le Seigneur de tous et devrait être adoré de tous; parce que le Dieu en qui il espère est la destinée de tous; parce que le Dieu qu'il aime, il ne peut que désirer contribuer à ce qu'il soit aimé de tous.

— Pour ses frères, car s'il les aime, la foi est le plus grand bien qu'il puisse les aider à atteindre.

II. Il le doit selon sa situation et dans la mesure de ses moyens:

— par la prière et par l'exemple toujours;

— par la parole, dans des conditions très variables des milieux et des contacts qu'autorisent leurs mœurs.

III. Cet apostolat a deux formes essentielles: l'apostolat direct et l'apostolat indirect.

a) Le premier est constitué par l'apostolat proprement dit qui s'emploie directement à propager le règne de Dieu. Son but objectif, immédiat, et non pas seulement subjectif, est surnaturel (finis operis et non tantum operantis).

b) Le second est constitué par l'action temporelle des chrétiens sous toutes ses formes. Son but objectif immédiat est temporel (scientifique, artistique, social, politique, etc.), bien qu'il soit ordonné par sa finalité ultime à la préparation du monde pour la venue du royaume de Dieu. Aussi son intention subjective ultime doit être inspirée par le spirituel: « Sive manducatis, sive bibitis, omnia ad maiorem Dei gloriam facite » (*I Cor.* VIII, 31). Par exemple, devoir d'état accompli pour la gloire de Dieu et pour favoriser le salut des âmes.

Cet apostolat indirect est indispensable et souvent capital: y manquer, c'est créer ou entretenir des conditions défavorables à la croissance du règne de Dieu. Ainsi un président du conseil en gouvernant

en vue du bien commun véritable, rend plus de services à l'Eglise qu'en faisant de l'action catholique.

IV. Comme toutes les activités chrétiennes:

a) l'apostolat proprement dit est soumis à la direction de l'Eglise, mais

b) tant qu'il demeure personnel et privé, celle-ci ne peut guère, en fait, exercer sa direction que par l'instruction et la formation qu'elle donne;

c) ce n'est guère qu'à partir du moment où il devient public (conférences, publications, etc.) et plus encore collectif (groupement d'apostolat) qu'elle peut le susciter ou le contrôler, l'approuver ou le reprendre, le réglementer.

L'histoire de l'Eglise nous apprend que, de l'origine à nos jours, en dehors de l'apostolat strictement hiérarchique, la plupart des initiatives que l'Eglise a approuvées et encouragées par la suite, ont été des initiatives privées des fidèles, suscitées par l'Esprit-Saint. « Spiritus ubi vult spirat » (*Jean,* III, 8): C'est le fils d'un marchand d'Assise qui a créé l'ordre franciscain, et c'est une ouvrière lyonnaise qui a créé l'œuvre — devenue ensuite pontificale — de la Propagation de la Foi.

V. Il importe aussi de se rendre compte que, si les *principes* de base de l'apostolat des laïcs sont permanents, et, en premier lieu, leur devoir d'être apôtre (toutes les cellules du corps ecclésial, disait le P. Charles, doivent participer à sa croissance), les formes de cet apostolat varient constamment selon les pays, et plus encore selon les temps. A notre époque d'accélération du mouvement des civilisations, elles devront varier plus souvent encore que par le passé. Nul domaine ne doit davantage être laissé aux inspirations de l'Esprit-Saint. Nul domaine où, par suite, les dispositions canoniques, stables par nature, doivent être plus restreintes.

Bien entendu, plus cet apostolat est proche de l'apostolat hiérarchique (par ex. les catéchismes, ou à un degré moins proche, l'action catholique) plus il engage l'Eglise et plus il doit être guidé par elle.

Au contraire, plus il s'éloigne de l'apostolat hiérarchique, plus il y a intérêt à laisser les laïcs, une fois formés, prendre leurs responsabilités.

C'est le cas, en particulier de ces zones frontières entre l'apostolat direct et indirect.

Pour prendre un exemple, les Semaines Sociales de France, fondées et dirigées par des laïcs ne sont pas un organisme d'Eglise. Elles gardent leur autonomie. Pourtant elles ne sont pas un simple mouvement temporel. Elles ont toujours tenu à ce que leur enseignement s'inspire des principes chrétiens, mais, ces principes étant saufs, elles gardent la

responsabilité de leurs positions propres. Je dirais qu'elles sont de la mouvance de l'Eglise: La vie réelle est complexe.

Conclusion: ENSEIGNEMENT CONCILIAIRE

Je ne pense pas que le Concile ait intérêt à entrer dans ces distinctions théologiques. Il pourrait peut-être rappeler dans une déclaration (plutôt qu'en une définition proprement dite):

1. Que l'apostolat proprement dit est le devoir, non pas seulement des prêtres, mais de tous les chrétiens (par la prière, l'exemple, et même la parole quand l'occasion s'en présente).

2. Que l'Eglise a la responsabilité de former ses membres à l'apostolat et de les guider dans cet apostolat mais que les formes de l'apostolat ont beaucoup varié au cours de l'histoire, et que c'est un des domaines où l'action multiforme de l'Esprit-Saint est la plus évidente.

3. Qu'en dehors de l'apostolat proprement dit, le chrétien a le devoir, selon sa situation, de bien accomplir ses tâches temporelles, qui constituent son « devoir d'état » (devoir familial, professional, civique, etc. ...) et que dans un monde plein de transformation, ce devoir revêt des formes plus dynamiques: participation, selon ses moyens, à la construction d'un monde meilleur (plus juste, plus pacifique, plus uni), sans oublier toutefois que le paradis ne sera réalisé qu'au ciel, par le don de Dieu.

NOTE DOCTRINALE SUR LA MÉDIATION MARIALE

La doctrine de la Médiation mariale est extrêmement complexe et les théologiens sont loin de la présenter d'une manière unanime. La première difficulté pour une définition dogmatique serait de préciser et de formuler ce qu'on entend définir.

I. Les différents aspects de la doctrine de la Médiation mariale

1. *La Médiation du Christ*

La notion de médiation implique celle d'intermédiaire entre deux « extrêmes », ici entre Dieu et l'homme. La médiation aboutit à l'union entre eux de ces deux extrêmes, ici entre Dieu et les hommes.

On distingue l'acte médiateur, « coniungens extrema » et le fon-

dement de cet acte, c'est-à-dire ce qui donne à un être titre et aptitude à le poser, à savoir d'appartenir de quelque manière à l'un et l'autre extrême.

Ces notions peuvent s'appliquer de manière très diverse, mais elles ne s'appliquent d'une manière parfaite qu'au Christ. L'Homme-Dieu seul appartient ontologiquement à la Divinité et à l'humanité, au point d'être Dieu et d'être homme (et il est homme non seulement en ce sens qu'il est un homme parmi les autres, mais encore en ce sens qu'il est solidaire de chaque homme et représente chaque homme devant Dieu). C'est par son humanité que l'Homme-Dieu est médiateur (*S. Th.* III, qu. 26, a. 2). C'est par son humanité, en effet, que le Christ est inférieur à sa Divinité tout en lui étant substantiellement unie, et cependant supérieur à toute créature, tout en étant du monde créé.

Cerains théologiens se contentent de considérer la nature humaine du Christ en tant que solidaire de tout le genre humain et en même temps substantiellement unie à la Divinité, pour la définir comme réalité médiatrice. Cependant saint Thomas pense que c'est la grâce capitale qui constitue formellement le Christ comme médiateur. La « capitalité », ou éminence propre et pouvoir d'influence de la grâce du Christ, présuppose en effet l'union substantielle de l'humanité du Christ à sa Divinité puisqu'elle lui vient de son ordination à l'Union Hypostatique (c'est la grâce propre du Fils de Dieu Incarné). D'autre part tout en le maintenant au dessous de Dieu et en le situant au dessus de tous les autres sujets de grâce (« omnium habentium gratiam »), fussent-ils anges, elle est de même nature que la grâce donnée aux autres créatures.

Il reste donc que l'humanité du Christ est, dans sa structure même, médiatrice entre le divin et l'humain, ontologiquement située entre le monde du divin et celui des pures créatures, les réunissant parfaitement en elle-même. La grâce capitale est le principe formel qui lui permet d'exercer parfaitement et connaturellement les actes médiateurs.

L'acte par lequel s'exerce la médiation du Christ est d'une part l'offrande à Dieu du sacrifice expiatoire et méritoire de son humanité au nom de tous les hommes, et de l'autre le don fait aux hommes de la grâce qui les unit à Dieu, qui les « divinise ». Saint Thomas considère comme premièrement médiateur l'acte réconciliateur, c'est-à-dire celui que j'ai défini en premier. Le Christ ne donne en effet aux hommes que la grâce qu'il a d'abord méritée en renversant l'obstacle du péché, en réconciliant les hommes avec Dieu.

Enfin le *terme* de la médiation du Christ, c'est-à-dire l'union des hommes à Dieu s'achève dans sa propre personne. S'il est vrai en effet

que le Christ conduit à la Divinité par la médiation de son humanité, la Divinité à laquelle il conduit n'est pas moins sienne que l'humanité par laquelle il y conduit. Le fait que Dieu comme terme auquel conduit la médiation soit manifesté par le Christ comme étant le Père, ne doit pas nous faire oublier que le Père, le Fils et le Saint Esprit sont consubstantiels.

Cette analyse permet de dire que seul Jésus-Christ est médiateur au sens parfait du mot. Selon le mot de saint Thomas « unire autem homines Deo *perfective* convenit Christo ». Seul il pose l'acte qui rejoint l'humain au divin. En lui seul on trouve Dieu. Plus profondément encore il est le seul dont l'être même soit médiateur et par conséquent dont l'action médiatrice soit fondée sur une structure ontologique proprement médiatrice. Quand même une pure créature aurait reçu une grâce capitale, il y aurait certes dans sa structure spirituelle la participation aux deux extrêmes avec dépendance à l'égard du divin et suprématie à l'égard de tout le reste du créé. Mais cette grâce capitale ne serait pas elle-même fondée sur une structure ontologique.

Toute cette doctrine étant bien entendue, il peut y avoir d'autres médiations dans l'ordre non plus de la causalité perfective, mais dans celui de la causalité instrumentale et dispositive.

Si je considère en effet l'acte médiateur du Christ, « coniungens extrema », il peut présupposer des actes antérieurs disposant la créature à recevoir la grâce et par conséquent l'union à Dieu. Le Christ peut aussi se servir de la créature comme d'un intermédiaire ou d'un instrument pour la donner. Sa propre action médiatrice peut même présupposer une sorte d'action d'ordre moral (mérite, prière) de la créature sur lui pour l'inciter à l'exercer.

De telles médiations, que ce soit celle des prophètes qui ont précédé le Christ, des apôtres, des prêtres, des saints, en un mot de l'Eglise considérée dans certains de ses membres ou dans ses institutions, ou bien préparent celle du Christ ou bien la supposent, et même dans le premier cas la supposent toujours en ceci: nul médiateur n'a en lui quoi que ce soit de divin qui l'habilite à exercer son acte médiateur sinon par la médiation du Christ.

C'est dans cet ordre de médiation que se situe forcément celle de Marie. Mais cela ne l'empêche pas d'être absolument originale par rapport à toutes les autres formes de médiation ecclésiale. Originale, supérieure et tellement totale et universelle, qu'elle est présupposée aux autres. De là vient qu'elle donne lieu à une vérité particulière, à un « article » de la doctrine.

2. *Les trois moments de la Médiation mariale*

Quand on parle de la Médiation mariale, on la considère à trois moments ou phases de l'œuvre du salut. L'analyse que je vais faire est importante au point de vue de l'exposé de la doctrine. Mais elle l'est aussi quand on veut faire son histoire et préciser le degré de l'unanimité avec laquelle elle est acceptée et enseignée dans l'Eglise.

1) *Le rôle médiateur de Marie à l'Incarnation.*

Il est présupposé à la constitution même de l'humanité médiatrice, il se situe dans la réalisation même de celle-ci. Marie apparaît comme celle qui donne au Verbe la matière dont il fera sa propre humanité. Elle le donne en toute conscience et volonté. Elle le donne au nom de toute l'humanité. « Loco totius humani generis ». Telle est la doctrine de la médiation mariale en son premier stade, dans toute son ampleur. Je la décompose en trois propositions:

a) par sa maternité, Marie exerce une activité physique dans la réalisation de l'Incarnation, mais qui est de l'ordre de la causalité *matérielle, dispositive* (elle n'est évidemment pas cause efficiente de l'Incarnation);

b) elle exerce cette activité physique d'une façon consciente, volontaire, responsable (à quoi se ratache tout ce qu'il y a eu de préparation spirituelle à ce rôle dans l'ordre de la prière, du mérite, pour que l'Incarnation se fasse. En tout cela, elle est le soumet de l'attente de la prière d'Israël);

c) elle l'exerce *au nom du genre humain tout entier,* le représentant d'une certaine manière. A ce moment la notion de *médiation,* d'intermédiaire *entre les deux extrêmes,* se trouve parfaitement vérifiée.

Certains théologiens ne vont pas si loin et se contentent de dire: elle donne son consentement « en faveur », « au bénéfice » du genre humain tout entier (et non pas « en son nom »). Mais là aussi la notion générale de médiation entre les deux extrêmes se vérifie.

Médiation qui est de l'ordre de la causalité dispositive, qui a pour terme la constitution même de l'humanité médiatrice, et qui est donc *présupposée* à toute médiation du Christ, à l'être même du médiateur. Si l'on considère l'Incarnation comme une union de *tout* l'humain au divin, Marie est médiatrice parce que par elle le divin se donne et par elle l'humain s'offre et consent à son assomption.

Notez cependant que *la grâce* moyennant laquelle cette médiation est sainte, consciente, volontaire, méritoire, lui est donnée par une appli-

cation anticipée des mérites du Christ. Le rôle médiateur de Marie à l'Incarnation est donc non seulement *dispositif*, mais encore *dépendant*.

2) *Le rôle médiateur qu'elle exerce dans l'accomplissement de la Rédemption.*

C'est ce qui est appelé par les théologiens, *corédemption*.

Tous les théologiens sont d'accord pour donner à sa présence et à sa compassion au pied de la croix, le sens d'une participation dans la foi et dans la charité à ce que souffrait et faisait le Christ, *participation consentante au sacrifice rédempteur*.

Mais *il y a trois formules principales pour caractériser la valeur et le rôle* de cette participation consciente et aimante par rapport à notre salut.

a) *Négation de toute valeur proprement corédemptrice à la compassion de Marie.*

L'âme de Marie au pied de la croix, pleine de charité et pleinement accordée à la Volonté Divine de salut, *méritait,* mais d'abord pour *elle*. Elle méritait une merveilleuse plénitude de grâce et d'union éternelle au Christ. Mais elle méritait aussi le rôle céleste qui serait le sien d'intercéder pour le genre humain tout entier.

b) Marie au nom de l'humanité qu'elle représente (comme au moment de l'Incarnation) consent à la Rédemption dont le Christ est le seul principe actif. Cette *adhésion* passive à ce que fait le Christ peut jouer le rôle de condition *sine qua non* à l'accomplissement de la Rédemption. Pour peu que la Rédemption se fasse, il faut les deux « parties ». Celui qui prend sur lui les péchés de l'humanité, et cette humanité qui y consent. Marie est là au nom de cette humanité.

c) Le mérite de Marie s'ajoute à celui du Christ pour obtenir le salut de l'humanité. Autrement dit, dans cet acte proprement médiateur que le Christ accomplit au nom des hommes et qui est son sacrifice, *elle est participante d'une manière active*. Elle représente l'humanité non pas en face du Christ Rédempteur, mais avec lui, en face de la Divinité.

Cette troisième formule seule peut être dite en toute rigueur de terme une doctrine de la Corédemption objective. Elle se subdivise selon les manières d'expliquer le rôle propre de Marie dans la Rédemption du genre humain:

— abandon volontaire de son « droit » maternel par son consentement à la mort du Christ, qui serait la condition *sine qua non* de l'acte de Volonté Divine par lequel le Christ a été abandonné à la mort;

— co-mérite rédempteur. Le *mérite* de la charité de Marie au pied

de la croix s'ajouterait proprement à celui du Christ pour le salut du genre humain comme tel. Pour les uns, ce mérite de Marie serait *de congruo,* pour les autres (école espagnole) *de condigno.*

De toute façon, et pour tous, *la grâce* et *la charité* qui sont le principe du mérite de Marie, sont elles-mêmes méritées par le Christ. C'est donc d'abord sur elle que s'exerce la médiation du Christ, puis avec elle sur le reste du genre humain.

3) *Le rôle médiateur actuellement exercé par Marie dans la dispensation de la grâce.*

Les saints interviennent dans la dispensation de la grâce, en raison de leur charité. Ils le font *par leur intercession,* fondée sur *leur mérite,* lequel est acquis sur la terre.

L'intercession de Marie lui vaut d'une manière unique le nom de *médiatrice de grâce.*

C'est qu'elle est fondée: au moins sur son rôle dans l'Incarnation, c'est-à-dire dans la constitution de la Personne du Médiateur, source de toute grâce.

Sans doute sur son rôle propre dans l'acte rédempteur.

En tous cas sur l'amour unique que lui porte le Christ et au nom duquel il lui accorde tout et sur l'amour qu'elle porte au genre humain dont elle a été la médiatrice de salut au moins dans l'Incarnation.

Il en résulte deux caractères essentiels:

— *l'objet*: la grâce comme telle, but de l'Incarnation, et même: l'incorporation de l'humanité toute entière et de chacun des hommes au Verbe Incarné;

— *l'universalité.*

a) *Premiere formule*: on peut demander toute grâce à Marie, et l'obtenir.

b) *Deuxième formule*: pas une grâce ne se donne sans l'intervention de Marie.

3. *Les titres de Mère et de Reine et la notion de Médiation Mariale*

a) *Le caractère maternel.*

Toute contribution à l'éveil de la vie de la grâce est paternelle ou maternelle. L'idée de maternité au sens fort implique une coopération essentielle, pas forcément à égalité, avec l'Action Divine, elle-même paternelle. Mais elle implique aussi, et cela même paraît plus fort,

plus évidemment spécifique de ce que fait Marie, que la vie de la grâce est une continuation de la vie du Christ.

Le caractère *maternel* de la médiation de grâce de Marie est donc fondé sur l'unité du Christ et des fidèles. La grâce n'est autre chose que la grâce du Christ se prolongeant en nous.

Le rôle de Marie dans la production de la grâce comme telle apparaît donc comme une continuation de son rôle maternel.

La parole de Jésus au pied de la Croix est interprétée comme exprimant cette vérité.

L'amour de Marie pour le genre humain et pour chaque homme est donc maternel au sens fort. Tout autant que son rôle dans la dispensation de la grâce est un prolongement de son rôle maternel à l'égard de Jésus.

Plusieurs formules.

a) Marie est constituée mère à l'Incarnation. Etant constituée Mère, elle en remplit *l'office* au pied de la croix, puis dans les âmes.

b) Marie est constituée formellement mère des hommes, du genre humain comme tel, quand l'Eglise naît du cœur percé de Jésus, au pied de la croix, c'est-à-dire quand sa maternité à l'égard du Christ se transfère sur les hommes pour qui il meurt, en qui il va revivre.

c) Marie est formellement constitué mère des hommes en particulier (de chacun d'eux) pour le don qui leur est fait de la grâce.

Il est assez facile de synthétiser ces trois manières de dire. Mais quand il s'agit de la maternité spirituelle actuellement exercée, deux opinions différentes se partagent les théologiens:

— le rôle de Marie dans la dispensation de la grâce est un rôle d'*intercession;*

— ce rôle est *instrumental.* Au moins quelque chose, serait-ce la dispensation à la grâce, serait produit par son intermédiaire. Elle servirait d'*instrument* subordonné à la production de la grâce, comme l'humanité du Christ et les sacrements.

b) *Le titre de Reine.*

Par rapport à *l'ensemble* de l'Eglise, Marie est mère. Mais la notion la plus claire qui jaillisse quand on considère l'Eglise comme une communauté, surtout comme un Royaume, c'est celle de *Reine.*

Pour certains théologiens, il s'agit de lui attribuer *analogiquement* le pouvoir royal du Christ.

Pour d'autres, il s'agit de l'*associer* au pouvoir royal, comme une reine peut l'être au Roi, par la confidence, le « consortium », l'intercession.

4. *Le concept le plus général de la Médiation Mariale: l'Association au Christ*

Beaucoup de théologiens identifient la doctrine de la Médiation mariale avec celle de l'Association au Christ. Cette idée d'association au Christ est apparue avec la doctrine de la Corédemption, où on voit Marie adjointe au Médiateur, exerçant avec lui l'acte de médiation. Mais on en a vu les racines dans le fait que Marie était non seulement Mère du Verbe Incarné, mais associée à Lui. Et dans le don de la grâce aux hommes, elle paraît également davantage associée au Christ que son instrument. Il ne faut pas se dissimuler que ce concept, lié à celui de Nouvelle Eve, est légèrement différent de celui qui prévalait dans les énoncés anciens de la Médiation Mariale. Marie était considérée comme située entre le genre humain et le Christ. Soncept qui n'est pas contradictoire avec celui d'association mais qui ne dit pas tout à fait la même chose.

Il faut même dire que si nous prenons la Médiation à son premier moment (portée médiatrice du consentement à l'Incarnation), l'idée d'association apparaît comme présupposant celle de médiation: pour être *associée* au Verbe comme Incarné, il faut qu'elle ait concouru à l'Incarnation. (Mais on dira parfois: en consentant à l'Incarnation elle est associée au Verbe qui s'incarne puis au Verbe Incarné).

5. *Fondement ontologique de la Médiation Mariale*

L'acte médiateur du Christ (actus coniungens extrema) est fondé sur son être, sur sa structure ontologique d'Homme-Dieu. L'acte médiateur de Marie, celui par lequel elle coopère (materialiter et instrumentaliter) à la « coniunctio extremorum », est-il fondé sur *l'être* de Marie?

Bien entendu, c'est *par sa grâce* que Marie participe au Divin et par sa nature à l'humain. Mais *sa grâce,* à la différence de tout être créé, est *fondée* sur une modification ontologique de toute sa personne, qui la fait participer aux deux termes à unir, qui la relie à Dieu, et qui est la Maternité Divine. (Comme la grâce du Christ qui, étant capitale, le rend formellement médiateur, est fondée sur l'Union Hypostatique). Certains théologiens diront même que sa Maternité Divine, comme réalité ontologique, la constitue médiatrice, la situe entre Dieu et l'humanité. D'autres diront que ce qui la rend mère de Dieu, c'est *un acte,* et que cet acte est lui-même formellement médiateur. Mais rien dans *l'être de Marie* ne la disposait à devenir mère de Dieu. Elle est donc

élevée à l'acte médiateur (actus coniungens extrema) sans avoir préalablement été constituée dans *un être médiateur.*

D'autres, insistant sur le fait que c'est par son consentement, acte spirituel, acte de grâce, que Marie « formaliter coniunxit extrema », maintiennent que la grâce qui la rend capable de poser cet acte est fondée sur sa maternité physique, ontologique, appelée par elle. Par sa maternité physique, ontologique, elle serait constituée médiatrice dans son être même. Par son consentement (qui en est d'ailleurs inséparable et la parfait dans l'ordre moral et spirituel) puis par sa participation à la Rédemption, puis par son intercession actuelle, elle exercerait l'« *officium coniungendi extrema* ».

II. Que pourrait être une définition de la Médiation Mariale

La complexité des sens du mot « Médiation » rend difficile une définition. Il n'en est pas comme de l'Assomption ou même de l'Immaculée Conception. Dans ces deux cas, il s'agissait d'une doctrine simple, d'un fait. Définir l'Immaculée Conception, c'était définir que Marie a été préservée du Péché Originel sub ratione culpae. Définir l'Assomption, c'est définir que Marie est au ciel en corps et en âme. Définir la médiation mariale est plus complexe. Définira-t-on son rôle dans l'Incarnation, dans la Rédemption, dans la Dispensation de la grâce? De quelle manière la définira-t-on pour la distinguer du rôle de Médiateur de Jésus, tout en l'y unissant, et aussi du rôle médiateur des autres membres de l'Eglise et de l'Eglise elle-même?

Demandons-nous d'abord où en est l'accord des théologiens sur la doctrine de la Médiation?

Quoad primum

(*rôle médiateur dans l'Incarnanation*)

On peut parler d'un accord de la théologie et d'une tradition très ancienne, patristique. Tous les théologiens n'admettront pas que le consentement de Marie à l'Incarnation a été donné *au nom* du genre humain. Mais tous admettent que c'est *en faveur* du genre humain, ce qui suffit pour le concept de médiation dans la généralité où doit le laisser une définition.

(Je note que certains exégètes tendent à minimiser la lucidité et la conscience du consentement de Marie à l'Incarnation comme telle, mais ils admettent tous qu'elle a consenti au Messie, au Sauveur).

Quoad secundum

(*Rôle médiateur ou commédiateur dans la Rédemption*)

Nous touchons un point fort débattu entre excellents théologiens. Tous n'admettents pas que le mérite de Marie se soit joint à celui du Christ pour réconcilier le genre humain avec Dieu. Et l'on ne peut soutenir cette thèse sans des analyses très délicates et difficiles de la notion de mérite. Pie XII a évité la titre de Corédemptrice tout en employant celui d'*Associée à la Rédemption* qui n'implique pas forcément un rôle propre de son mérite. Au point de vue tradition patristique, il faut convenir qu'elle ne remonte pas loin. Autant les Orthodoxes admettraient le premier point, autant ils seraient déroutés par le deuxième dans l'état actuel de leur théologie moins approfondie que la nôtre en ce qui concerne la Rédemption. Cet aspect du rôle médiateur de Marie choquerait, avec une force particulière, les protestants qui seraient moins éloignés d'accepter le premier.

(Je note en particulier que les théologiens allemands et une bonne part des théologiens français, surtout de ceux qui ne sont pas spécialistes en Mariologie, refusent la Corédemption objective.

Ou bien, ils interprètent la rôle de Marie au pied de la croix comme l'adhésion passive de la deuxième formule. Quant à l'*école* espagnole, elle parle à la suite de M. Lebon [Louvain] d'un mérite de condigno de Marie au pied de la croix.

Il y a des thomistes dans tous les camps. Et parmi ceux qui défendent la formule de la corédemption obiective avec mérite de congruo seulement il y a des manières bien diverses de l'expliquer, de surmonter les objections).

Quoad tertium

(*rôle médiateur dans la dispensation de la grâce et des grâces*)

Sur ce point la théologie catholique est unanime. On peut même dire que sous la forme minima (Marie peut, par sa prière, obtenir toute grâce) elle est déjà enseignée par la Magistère Ordinaire.

Je pense même que le Magistère ordinaire enseigne le culte marial et la prière à Marie comme *une nécessité de salut*. (compte tenu de la possibilité de connaître et de comprendre cette nécessité).

Peut-être serait-ce trop dire que de considérer comme déjà enseignée par le magistère ordinaire la formule plus complète: le Christ ne donne pas une grâce sans Marie (mais je la crois théologiquement vraie).

Quant aux modalités de l'intervention de Marie, la plus traditionnelle est l'intercession, une intercession qui suppose la plus intime connaissance des secrets des cœurs. Il ne saurait être question de trancher le débat entre ceux qui envisagent une action directe de Marie dans la production de la grâce et les autres. L'Eglise ne l'a même pas tranché pour l'Humanité du Christ et pour les Sacrements.

La définition de la Médiation Mariale pourrait donc se concevoir *de deux manières principales*:

Ou bien on définirait l'ensemble du rôle médiateur de Marie dans l'Economie du Salut.

Ou bien on définirait la médiation de Marie dans la dispensation actuelle de la grâce. On en montrerait seulement les fondements dans son rôle à l'Incarnation et au pied de la croix.

J'insiste sur la prudence qu'il faudrait avoir pour caractériser la portée exacte du rôle de Marie au pied de la croix (Cf. raisons données ci-dessus).

N. B. - Certains pensent qu'il faudrait simplement définir le *rôle maternel de Marie,* toutes les raisons qui le fondent et qui l'expliquent jouant alors le rôle de motifs de la définition, ne s'imposant pas à la foi,demeurant livrées à l'analyse libre des théologiens. Mais la « maternité spirituelle » ne peut être l'objet d'une *définition,* sans un minimum de ...définition, et il faudrait donc inclure dans la définition même au moins l'idée de *médiation actuelle* dans la dispensation de grâce, ou, si l'on veut éviter le mot de médiation, (celui de « mère » servant de formel dogmatique), l'idée d'*intercession universelle toute puissante et indispensable.*

III. Opportunité d'une définition

Je crois que la définition est possible, que la vérité dont il s'agit est absolument vivante dans la Foi de l'Eglise, qu'elle donne au mystère de l'Assomption tout son sens.

Je ne minimise pas la valeur et l'importance d'une définition dogmatique même pour une vérité non discutée entre catholiques. (Il y aurait même intérêt à ne pas définir ce qui est discuté entre catholiques).

Cependant, il ne faut pas se dissimuler les *contre indications au point de vue de l'opportunité à une définition de la médiation mariale.*

Dans l'état actuel des discussions théologiques, elle ne pourrait éviter d'être très précise, très technique, par là même peu pastorale. Il est d'ailleurs probable que le Concile aurait du mal à y voir clair. Ou bien il faudrait se contenter d'une formule très générale, très vague qui n'ajou-

terait rien à l'enseignement du magistère ordinaire et paraîtrait un peu inutile.

D'autre part, le Concile, sans vouloir être un Concile d'Union, voudrait être une étape vers l'union. Or, une nouvelle définition portant sur le Dogme Marial serait un obstacle, je ne dis pas théologique (puisque la doctrine est de toute façon incontestable), mais psychologique. On l'a bien vu au moment de l'Assomption: les protestants y ont vu un défi, un acte de séparation. J'appelle obstacle psychologique quelque chose qui arrêterait pour longtemps *la lente marche* vers l'union. Il n'y aura pas d'union sans que les chrétiens séparés admettent formellement la médiation de la Sainte Vierge. Mais il peut y avoir marche vers l'union et même le rapprochement sur d'autres points plus mûrs avant que les chrétiens séparés se sentent obligés d'admettre la médiation de la Sainte Vierge. Cela servirait d'écran à tout.

Le seul fait d'imposer un Dogme qui leur paraît si loin de l'Ecriture, risque de détruire l'effet que pourraient produire bien des choses dans ce Concile. Il me semble qu'il faut se mettre dans la perspective d'une union possible *dans l'avenir* et par conséquent considérer non seulement les catholiques, mais encore les chrétiens séparés. Or, on peut espérer que ceux-là de rapprocheront *peu à peu* des idées catholiques essentielles sur la Tradition, sur la permanence de l'Assistance du Saint-Esprit à son Eglise, sur le progrès du Dogme, et même sur le rôle personnel de la Sainte Vierge dans le salut. A ce moment, dans ce contexte, la doctrine de la médiation mariale leur sera moins incompréhensible, *Le problème de l'adhésion au dogme marial posé trop tôt en première ligne par une définition dogmatique nouvelle, risque de les bloquer entièrement sur tous les points de rapprochement possibles.*

Ce que je dis des protestants est vrai aussi des orthodoxes. Ils sont prêts à admettre la doctrine, non pas qu'elle soit dogmatiquement définie.

Toutes ces raisons me font mettre en doute l'opportunité de la définition de la doctrine de la médiation à *ce* Concile.

Si toutefois on devait la définir, il faudrait absolument:

1) Redire solennellement que le Christ est le seul Médiateur au sens plein du mot, toute autre médiation supposant la sienne, servant d'instrument à la sienne, aboutissant à Lui, et ne diminuant pas l'immédiateté de son action sur nous.

C'est dans le contexte d'une doctrine de la Médiation du Christ que devrait être développée celle de la Vierge.

2) Même si on limite la définition de la Médiation mariale à son rôle actuel dans la dispensation de la grâce, en montrer le fondement

dans sa participation personnelle aux actes du salut, sans toutefois avoir à caractériser la valeur proprement méritoire de cette participation.

3) Distinguer par là médiation mariale de l'intercession des saints, mais montrer du même coup comment *tout chrétien* peut coopérer au salut des autres et du monde, de manière à intégrer la rôle médiateur de Marie entre le rôle médiateur du Christ et celui de l'Eglise.

L'ambition d'une telle définition doctrinale est grande, et fera peut-être hésiter. Mais il me semble qu'une définition partielle, vague, isolée de l'ensemble doctrinal du Concile, donnerait une fausse idée de ce qu'est Marie dans le Catholicisme.

Et peut-être serait-il plus sage de se contenter d'une exhortation au culte marial, à la prière à Marie, mère des chrétiens, associée au Christ, qui, sans revêtir la forme d'une définition doctrinale redirait solennellement tout ce qui est déjà si souvent dit par les papes et enseigné dans toute l'Eglise Catholique.

Si nous considérons les Conciles anciens, nous y voyons qu'on n'a défini que ce qui était mis en question, laissant à tout le reste de la doctrine sa valeur de vérité vivante, possédée d'une manière indiscutée. On n'a pas défini ex professo la Rédemption ni même la Médiation du Christ bien que cela ait cela ait été inclus dans la définition des grands dogmes concernant l'Incarnation comme vérités présupposées et admises de tous. Quand il s'agit de la Sainte Vierge. évidemment, le silence même de l'Ecriture pousse à formuler ce que nous dit la Tradition vivante. C'est ce qu'on a fait pour l'Immaculée Conception (encore était-ce une vérité qui, non pas seulement dans ses modalités, mais dans son fond même avait divisé les théologiens) et pour l'Assomption. Faut-il, pour autant, s'orienter vers une définition *totale* du Dogme Marial?

Il me semble que *les fidèles seraient,* dans leur immense majorité, heureux d'une définition qui serait une proclamation solennelle de leur foi, (sauf toutefois ceux qui, engagés dans un apostolat en milieu modernisé et non chrétien, auraient peur d'aggraver la difficulté de leur message par la mise au premier plan d'une difficulté qui suppose les autres résolues), mais que la plupart n'en éprouvent ni le désir positif, ni le besoin, ayant à l'égard d'une telle doctrine le sentiment de la possession tranquille. Il en serait autrement si elle était attaquée et discutée à l'intérieur du catholicisme.

UNIVERSITAS CATHOLICA AMERICAE
WASHINGTONENSIS

UNIVERSITAS CATHOLICA AMERICAE WASHINGTONENSIS

INTRODUCTIO

Rector Universitatis Catholicae Americae, consultis magistris Facultatum Universitatis, Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico reverenter ea summittere velit quae sequuntur.

Notandum est proposita sub tribus capitibus praesentari. Caput primum ea includit quae, maximi hoc potissimum tempore momenti habita, magis apta sint ut a Patribus Concilii futuri augustissimis considerentur. Caput vero secundum ea includit quae, quamvis digna sint ut hoc tempore saltem indicentur, a Commissione Antepraeparatoria vero haberi possunt tamquam congruentius ad quasdam Congregationes vel Commissiones Sanctae Sedis iam existentes referenda. Caput tertium quaestiones speciales includit in Codicis Iuris Canonici reformatione tractandas.

GULIELMUS F. MCDONALD
Rector

Caput I

1. DE ECCLESIA SEU MYSTICO CORPORE CHRISTI

Studiosiori plane cura, volventibus iam ab ultimo Concilio Oecumenico novem decennis, Ecclesia suo Magisterio dabat operam, qua clarius patesceret doctrina Ecclesiam esse Mysticum Corpus Christi, testantibus praecipue duabus Litteris Encyclicis Pii PP. XII: *Mystici Corporis Christi* atque *Mediator Dei.* Quibus sane accensenda sunt tum quae maximae rei causa docuerunt Leo PP. XIII et Pius PP. XI, tum quaedam etiam in Litteris Encyclicis pronuntiata, tum denique in Supr. S. Congr. S. Officii litteris declarata, ad Ill.mum atque Em.mum D.num Cardinalem Richardum Cushing, anno 1949 datis, de Ecclesia ac salute superna.

Verum antesignanis acatholicorum liberorum commentis opinatis, praestantia Ecclesiae tamquam corporis supernaturalis ac viae necessariae ac rationis qua salus aeterna obtineatur necesse est magis magisque delitescit. Equidem inter saeculi decimi sexti vicissitudines, undique nullum extabat dubium quin magni esset momenti adesse ecclesiam. Immo vero, cum inter disputationes posteriori tempore agitatas multi novatores protestantes sese angustiatos comperientes, ad quandam invisibilis Ecclesiae theoriam reclamabant, quo potius sua placita tuerentur, hi nihilominus necessarium esse visibile quoddam corpus atque utile non prorsus infitiabantur. Verumtamen adveniente liberalismo usque a tempore quo viguit Schleiermacher, ratio inter communitatem visibilem salutemque supernam magis magisque obtenebrescebat, fide religiosa omnis generis a liberalismo reiecta. Agebatur namque de religione non tantum ex homine oriunda, verum etiam intra solum hominem perficienda. Inde factum est ut liberalismus visibilem communitatem tamquam religionis momentum e via salutis radicitus exterminaret, et ortum est exinde secundum propositum protestantium quod indifferentismus vocari licet. Qua tamen re penitius indagata, profecto inde consequitur rem esse actam de ratione munereque supernaturali Ecclesiae adiumenta salutis supernae ministrantis, quod plane caput est doctrinae de Mystico Corpore. Nam cum Ecclesia sit tempore ac loco ex Christo nata, gratia nobis a Christo quidem promanans nobis ex toto Christo confertur: ex Christo scilicet Suoque Corpore Mystico.

Quibus mature perpensis, optatissimum esse videtur, ut Ecclesiae doctrina, prioribus documentis ecclesiasticis contenta, solemnitate quam maxima in Concilio Oecumenico venturo confirmetur ac proclametur, quo Catholici et ipsi coaedificentur, doceantur acatholici. Cuius quidem doctrinae caput ipsam communitatem visibilem viam quandam habeat ac rationem salutis, qua necessariam. Haec res iam in Schemate proposita a Concilio Vaticano Primo tractanda maxime consentaneum est ut ab hoc novo Concilio ad finem perducatur. Equidem in via salutis, gratia hominibus promanat per hanc communitatem visibilem, quae est Ecclesia. Haec iam a Deo electa necessaria manet unica in terra gratiae recipiendae ratio, qua homines ad Deum pervenire possint. Qui vero extra societatem Ecclesiae visibilem vagantur, nisi tamen illo « inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur » — de quo locutus est Pius PP. XII (*Mystici Corporis Christi,* 103) — vixdum et ne vix quidem gratia queunt frui. Quod sane, non quidem simpliciter et ex sua vi, libere tamen a Divina Providentia ita est dispositum, tamquam medii necessitas.

Quemadmodum cetera christiani nominis mysteria (qualia sunt SS. Trinitas, SS. Eucharistia, Unio Hypostatica), ita prorsus Ecclesia — tum quod ad semetipsam, tum quod attinet ad suam vitam interiorem — vivum Christi Corpus mysterium exstat divinitus revelatum. Quamobrem ipsum Ecclesiae mysterium est fide accipiendum veluti pars revelationis christianae. Ecclesia uti Christi Corpus mysticum haud est res quae sua intima natura potest mente humana penitus intelligi. Nomine namque « Mysticum Corpus » plus utique continetur mera metaphora, nostris argumentationibus apologeticis ad Ecclesiae structuram extrinsecus translata. Quin immo hoc nomine nobis interiora, profunda supernaque huius communitatis christianae, quae est Ecclesia, panduntur arcana.

Quibuscum optime convenire videtur, ut a Concilio ostendatur ratio inter proprietatem hanc Ecclesiae mysticam eiusque vitam quod ad doctrinam attinet, quippe cum et haec ex illa emanet. Quae enim vita interior necesse est rite concipiatur, ut plene intelligatur Magisterium (quod et ipsum est christiani nominis mysterium: quippe quod Deus authentice atque infallibiliter per eos loquitur qui eius vice in hierarchia funguntur).

Operae pretium quam maxime pro omnibus affirmare, praesertim si fiat hoc modo solemnissimo, quid revera sit Ecclesia per fidem concepta. Quod etenim incitamentum erit Catholicis gloriandique causa non minus quam acatholicis repraesentandi opportunitas quam sit Ecclesia revera speciosissima — qualem soli fidei datur contemplari; qua

ita demonstrata, facilius sperare licebit fore ut, reserato secreto, multi extra Ecclesiam versantes, divina opitulante gratia, hanc etiam perspectam habeant pulchritudinem.

2. DE PERICULO MODERNISMI SEU LIBERALISMI

Modernismum seu Liberalismum adhuc vigere in sectis acatholicis quae nomen Christianum sibi vindicant clarius et verius in dies patuit ab eo tempore quo, saeculo decimo nono vix incepto, ille Schleiermacher, principia Kant ad religionem quamcumque adhibens, docuit religionis essentiam esse in quodam sensu religioso (das Gefühl), id quod Protestantissimum modernum definite ac prorsus a doctrinis Reformatorum saeculi decimi sexti seiunxit. Quapropter Schleiermacher « pater theologiae liberalis modernae » appellatus est.

Quae cum ita sint, Protestantismus, qui Ecclesiae Catholicae his diebus adversatur, a Protestantismo saeculi decimi sexti multis partibus longe abest. Quamquam doctrinae Reformationis Protestantis in diversis formis comminutis vel mutatis apud sectas quae Fundamentalistae nuncupantur adhuc vigent, in multis vero locis — praesertim in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis — Liberalismus seu Modernismus tamquam spiritus dominans in Protestantismo hodierno iure ac merito haberi potest. Quod si verum est quoad scholas theologicas magis progressas meliusque notas, in sermonibus quoque invenitur quos praedicant ministri Protestantes ex quibus multi — quorum numerus in dies augetur — libenter tales negant veritates fundamentales quales sunt virginitas Beatae Mariae in partu vel divinitas Christi.

Duo documenta pontificia mentem de Liberalismo seu Modernismo qui hoc praesenti saeculo dicitur Catholicam apertissime exposuerunt: Litterae Encyclicae *Pascendi dominici gregis* (una cum decreto Sancti Officii, *Lamentabili*) a Sancto Pio X anno 1907 editae; et litterae encyclicae *Humani generis* a Papa Pio XII anno 1950 editae. Clare igitur patet Ecclesiam de doctrinis Modernismo affectis valde sollicitam per plus quam quinquaginta annos fuisse neque latet Ecclesiam principia Liberalismi et Modernismi prorsus reiicere.

Attamen, sicut Ecclesia doctrinas Protestantismi saeculi decimi sexti quondam in Concilio Tridentino sollemniter condemnavit, maxime deceret Concilium Generale futurum modo sollemni reiterare reiectionem huius formae modernae Protestantismi liberalis quae doctrinis Catholicis magis quidem adversatur quam forma quae tempore Reformationis vigebat. Quod decretum, summam decretorum per decennia proxime

praeterita editorum faciens atque ea modo sollemniori reaffirmans, tramitem Conciliorum praeviorum sequetur et fidelibus Ecclesiae Catholicae necnon iis qui adhuc extra Ecclesiam manent auxilium spirituale vel maximum praestabit.

3. DE REBUS ORIENTALIBUS

A) Valde optandum est ut Concilium Oecumenicum fortiter et suaviter Ecclesias Orientales a Sede Romana separatas invitet ut redeant ad communionem cum hac Sede. Fidem quoque a Romanis Pontificibus saepius datam in hac re prae oculis habentes, patres Concilii fidem promittant canonicam disciplinam et ritus liturgicos Ecclesiarum Orientalium adhuc separatarum salvos fore et immutatos, exceptis eis quae forsan iuribus Apostolicae Sedis in hisce ritibus seu canonibus obstantia inveniantur; promittant praesertim Orientales Ecclesias ad communionem cum Romana Sede redeuntes exinde legibus a synodis recentioris aetatis, vel alio modo temporibus modernis promulgatis, minime ligari, nec etiam ad mutationes observandas teneri quae, in libros liturgicos recentiori aetate introductae, cum venerabilibus Orientalium traditionibus non concordare inveniantur.

B) Synodaliter declaretur aequalitas rituum in Ecclesia Catholica secundum id quod Romani Pontifices iam docuerunt (v. g. Leo Papa XIII, *Orientalium dignitas*), et urgeatur eiusdem declarationis stricta observantia.

C) Synodaliter declaretur quod Romanus Pontifex, qui speciali nexu iuridico cum fidelibus Ecclesiae Latinae iungitur inquantum est Patriarcha Occidentis, eodem tempore tamquam Pastor Supremus fideles omnium rituum S. Ecclesiae catholicae aequali sollicitudine pastorali amplectitur. Dignitatem et iura immemorabilia sedium patriarchalium Orientis nunc a Sede Romana separatarum Concilium agnoscat post Sedem Apostolicam praeeminere, et invitentur Patriarchae ad communionem cum Romano Pontifice et Synodo Oecumenica ineundam.

D) Ad obtinendam meliorem relationem interritualem quaedam praecepta hodiernae disciplinae mutanda sunt, nempe:

a) supprimenda sunt verba « ritus orientalis » in can. 11, § 1, M. P. *Cleri sanctitati,* ita ut aequali modo tam orientales quam latini qui in Ecclesiam catholicam admittuntur gaudeant libertate ritus eligendi; si tamen hoc fieri nequit, tollendum est ius eligendi ritum orientalibus in dicto canone concessum;

b) modificanda est paragraphus 2 can. 823 Codicis Iur. Can. in

hunc sensum, ut licitum sit sacerdotibus ritus latini celebrare super Graecorum antimensiis in istorum ecclesiis et oratoriis, etiamsi altare non sit consecratum.

4. DE VI AC RATIONE POTESTATIS EPISCOPALIS

Concilium Vaticanum in constitutione quartae sessionis qua vim ac rationem primatus Romani Pontificis sollemniter definivit haec statim adiecit verba, ne verus intellectus istius definitionis in malum detorqueretur:

« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ... » (*Conc Vat.,* sess. IV, c. 3).

Constitutionem tamen proprie dictam de potestate episcopali Concilium, propter temporum adversitates mox suspensum, edere non iam potuit. Quamobrem valde desiderandum est ut proximum Oecumenicum Concilium doctrinam catholicam de hac potestate, a patribus Concilii Vaticani adumbratam, postea in pluribus documentis a S. Sede emanatis breviter tractatam (v. g. in Codice iuris canonici, can. 329, in Motu proprio *Cleri sanctitati,* can. 162, necnon in Pii Papae XII b. m. Encyclica *Mystici corporis*), nunc ex professo plenissime explicet, pronuntiet et sollemniter definiat. Talis definitio enim non solum maxime convenit ut constitutio Vaticani Concilii de Ecclesia ad finem perducatur; sed immo necessaria videtur nostris temporibus propter plures rationes:

A) quia populus Christianus non semper bene intelligit dignitatem propriam et nativam muneris episcopalis a Christo Domino instituti aliam esse ac dignitatem omnium praelatorum, maiorum vel minorum, qui « ecclesiastico iure sunt participes supremae potestatis ». (Cf. *Cod. iur can.,* lib. II, tit. VII, rubr.);

B) quia non desunt Ecclesiae adversarii qui episcopos a Concilio Vaticano ad aliquem statum inferiorem reductos esse mendaciter asserunt, ac si nunc episcopalis iurisdictio in suprema Romani Pontificis iurisdictione esset absorta, ita scil. ut hodie Papa solus et verus episcopus evaderet cuiusvis dioecesis, episcopi autem residentiales nihil essent nisi eius agentes, instrumenta, vel functionarii;

C) quia apud fratres separatos ecclesiarum orientalium incerti-

tudo de vera catholica doctrina in hac re timori ansam praebuit et praebet, ne eorum episcopi, ad unitatem cum Romana Ecclesia redeuntes, necessario diminutionem quamdam capitis passuri sint;

D) qui ipsi viri catholici, sive theologi sive canonistae, a Pio Papa XII de ordinaria iurisdictione episcopis « immediate a Pontifice Summo impertita » edocti (*Mystici Corporis, A.A.S.* XXXV, 212) — quamvis hac declaratione S. P. nunc veterem controversiam de comunicatione seu collatione iurisdictionis episcopalis vi magisterii ordinarii diremerit — tamen ancipites haerent quoad relationem huius impertitionis immediatae ad divinam institutionem ipsius officii quo Episcopi, « a Spiritu Sancto positi », « tamquam veri pastores assignatos sibi greges ... pascunt et regunt ».

Ad haec quae dicenda essent, his possunt capitibus complecti:

1) Duos esse ex divina institutione gradus in hierarchia iurisdictionis Ecclesia semper tenuit, potestatem scil. supremam et universalem sive primatum Romani Pontificis, et potestatem episcoporum in singulas sibi commissas ecclesias.

2) Haec potestas episcoporum ordinaria est et propria, nec videtur quod possit dici pars potestatis primatialis vel effluens ex ista, quamvis sit ei semper subiecta. Alioquin nulla esset differentia inter officium episcopale et officium praelatorum nullius, quos tamen episcopos residentiales non esse constat, etiamsi in casu charactere episcopali gaudent.

3) Quoniam officium episcoporum divinitus est institutum ad pascendos et regendos greges singulos, videtur quod Deus ipse huic officio quamdam potestatem pascendi et regendi iunxit, quae etsi in actu per manus Summi Pontificis episcopo residentiali impertitur seu traditur et ab eodem Pontifice ratione primatus in casu minui, suspendi, vel singulis episcopis auferri potest, tamen ex sui natura divini iuris censeri debet.

In fine iuvat ad mentem revocare Declarationem communem (*Collectiv-Erklärung*) Archiepiscoporum et Episcoporum Germaniae, qua mense Februarii 1875 falsas assertiones de officio episcopali a gubernio imperii Germanici diffusas funditus refutaverunt et quam Pius Papa IX sequenti mense tam in forma Brevis ad eosdem Archiepiscopos et Episcopos quam in allocutione consistoriali plene approbavit.

Collektiv-Erklärung des deutschen Episcopates betreffend die Circular-Depesche des deutschen Reichkanzlers hinsichtlich der künftigen Papstwahl, Februar 1875

... Nach dieser Lehre der katholischen Kirche ist der Papst Bischof von Rom, nicht Bischof irgend einer andern Stadt oder Diöcese, nicht Bischof von Köln oder Breslau u.s.w. Aber als Bischof von Rom ist er zugleich Papst, d. h. Hirt und Oberhaupt der ganzen Kirche, Oberhaupt aller Bischöfe und aller Glaübigen, und seine päpstliche Gewalt lebt nicht etwa in bestimmten Ausnahmefällen erst auf, sondern sie hat immer und allezeit und überall Geltung und Kraft. In dieser seiner Stellung hat der Papst darüber zu wachen, dass jeder Bischof im ganzen Umfange seines Amtes seine Pflicht erfülle, und wo ein Bischof behindert ist, oder eine anderweitige Nothwendigkeit es erfordert, da hat der Papst das Recht und die Pflicht, nicht als Bischof der betreffenden Diöcese, sondern als Papst, alles in derselben anzuordnen, was zur Verwaltung derselben gehört.

... Aber abgesehen hiervon kann die Bezeichnung eines absoluten Monarchen auch in Beziehung auf kirchliche Angelegenheiten auf den Papst nicht angewendet werden, weil derselbe unter dem göttlichen Rechte steht und an die von Christus für seine Kirche getroffenen Anordnungen gebunden ist. Er kann die der Kirche von ihrem göttlichen Stifter gegebene Verfassung nicht ändern, wie der weltliche Gesetzgeber eine Staatsverfassung ändern kann.

Die Kirchenverfassung beruht in allen wesentlichen Punkten auf göttlicher Anordnung und ist jeder menschlichen Willkür entzogen. Kraft derselben gottlichen Einsetzung, worauf das Papstthum vermöge der von Gott selbst getroffenen Anordnung, welche zu ändern der Papst weder das Recht noch die Macht hat. Es ist also ein völliges Missverständniss der Vaticanischen Beschlüsse, wenn man glaubt, durch dieselben sei « die bischöfliche Jurisdiction in der päpstlichen aufgegangen », der Papst sei « im Princip an die Stelle jedes einzelnen Bischofs getreten », die Bischöfe seien nur noch « Werkzeug des Papstes, seine Beamten ohne eigene Verantwortlichkeit ». Nach der beständigen Lehre der katholischen Kirche, wie sie auch vom Vaticanischen Concil ausdrücklich erklärt worden ist, sind die Bischöfe nicht blosse Werkzeuge des Papstes; nicht päpstliche Beamte ohne eigene Verantwortlichkeit, sondern, « vom heiligen Geiste gesetzt und an die Stelle der Apostel getreten, weiden und regieren sie als wahre Hirten die ihner anvertrauten Heerden ». (*Archiv für katholisches Kirchenrecht* XXXIII [1875]; 344-48).

Pius PP. IX, Litterae apostolicae ad Germaniae archiepiscopos episcopos, 11 Martii Anno 1875

... Equidem ea est perspicuitas et soliditas declarationis vestrae, ut, cum nihil desiderandum relinquat, amplissimis tantum gratulationibus Nostris occasionem suppeditare deberet; nisi gravius etiam testimonium exposceret a Nobis versuta quarundam ephemeridum vox, quae, ad restituendam refutatae a vobis epistolae vim, conata est lucubrationi vestrae fidem derogare, suadendo, emollitam et minime propterea respondentem huiusce Sedis Apostolicae menti probatam a vobis fuisse conciliarium definitionum doctrinam. Nos itaque vafram hanc et calumniosam insinuationem ac suggestionem reicimus; cum declaratio vestra nativam referat catholicam, ac propterea Sacri Concilii et huius Sanctae Sedis sententiam luculentis et ineluctabilibus rationum momentis scitissime munitam et nitide sic explicatam, ut honesto cuilibet ostendere valeat, nihil prorsus esse in impetitis definitionibus, quod novum sit, aut quidquam immutet in veteribus relationibus, quodque obtentum aliquem praebere possit urgendae vexationi Ecclesiae et moliendis novi Pontificis electionis difficultatibus. (*Archiv für katholisches Kirchenrecht* XXXIII [1875], 465-6).

Allocutio in Consistorio die 15 Martii 1875 habita

... At Deus misericors, qui praeest et consulit Ecclesiae suae, provide effecit, ut fortissimi atque spectatissimi Germanici imperii episcopi illustri declaratione edita, quae in Ecclesiae fastis memorabilis erit, erroneas doctrinas et cavillationes hac occasione prolatas sapientissime refellerent, et nobilissimo tropheo veritati erecto, Nos et universam ecclesiam laetificarent. Dum autem amplissimas laudes coram vobis et Catholico orbe praedictis Episcopis universis ac singulis tribuimus, praeclaras eas declarationes et protestationes, ipsorum virtute, gradu ac religione dignas, ratas habemus, easque Apostolicae Auctoritatis plenitudine confirmamus (*A.A.S.* VIII, 303-304).

* * *

Non videtur expedire tamen, ut Concilium consideret quaestionem de sacramentalitate episcopatus, in proprio nempe ac specifico sensu sacramentalitatis. Ratio est quia contraria sententia est solide probabilis, imo probabilior. Et, ut abstrahamus a diuturna ac constanti prae-

tridentinorum theologorum doctrina, cum Angelico Doctore, qui praefatam sacramentalitatem negarunt, eidem sententiae suffragantur, hoc eodem praesente saec. xx, saltem triginta auctores, quorum plures habuerunt peculiarem auctoritatem (Billot, Hugon, Lépicier, Garrigou-Lagrange) et aliqui scripserunt post ipsam Constitutionem Pii XII *Sacramentum Ordinis,* a. 1947. Accedit quod noviter cognita historica documenta de concessione conferendi sacramentalem ordinationem, factam a S. Sede quibusdam simplicibus presbyteris, difficiliorem reddit opinionem de sacramentalitate episcopatus. Totam hanc quaestionem recenter exposuit E. Doronzo, *De Ordine,* tom. II (Milwaukee 1959), 114-313.

5. DE APOSTOLATU LAICORUM

Adest necessitas urgens et crescens laicorum apostolatus activi et effectivi, id quod a tempore Concilii Oecumenici proximi a Supremis Pontificibus recognitum ac saepe diserteque declaratum est.

Pius Papa XI, felicis recordationis, illam Actionem constituit Catholicam eo fine ut huic Apostolatui statum vere iuridicum daret atque adprobationem Pontificis ipsius maximam manifestaret. Cuius verba sapientissima de Apostolatu Laicorum enuntiata hereditatum ditissimarum pontificatus eius gloriosissimae exstant. Quanti momenti essent laici in Ecclesiae vita et operibus persaepe declaravit Pius Papa XII, beatae memoriae (vide, e. g. *Allocutionem Collegio Sacro* datam die 20 nov. 1946, *A.A.S.* 38, 149).

Ut fideles laici toto corde et mentis acumine in operibus Apostolatus pro Christo et Ecclesia praeclaris patrandis cooperentur, maximi refert eos celsissimam cognoscere dignitatem status ad quem vocati sunt atque plenius in dies aestimare subsidia spiritualia sublimia quae Dominus noster divinus eis ad haec opera perficienda dedit.

Ergo optandum est ut Concilium declarationem auctoritativam de laicorum status natura necnon de eius dignitate positiva proponat. Sperandum est etiam ut Concilium commune fidelium sacerdotium explicet, et naturam ambitumque obligationis laicorum apostolatus exponat.

Caput II

1. DE VI ET GRADU ECCLESIAE DOCUMENTORUM OBLIGATIONIS

Optandum est ut magis determinate aliquid declaretur a Concilio circa vim et gradum obligationis quam inferunt doctrinaria Ecclesiae documenta, et peculiariter circa modum utrumque dignoscendi.

2. DE VERBO DEI PRAEDICANDO

Sperandum fore ut a Concilio in mentem omnium revocetur praedicandi verbi Dei munus esse in Ecclesia maximum, gravesque obligationes tam iis incumbere omnibus quibus hoc concreditur officium, quam et illis qui operam navant educandis in Seminariis alumnis ad munus praedicandi rite implendum.

Equidem Benedictus PP. XV, fel. rec. suas Litteras Encyclicas dedit mense iunio, an. 1917, quae *Humani Generis* titulo inscribuntur, de verbo Dei praedicando, quas eodem mense prosecutus est regulis de eadem re practicis a S. Congr. Consistoriali editis.

In maximum cum clero tum christifidelibus Ecclesiae bonum cedet, si hae normae sapientissimae instructionesque animum graviter allicientes a Concilio iterato solemniter confirmentur, additis quoque aliis ordinationibus nostrae aetati opportunis.

3. DE IEUNIO ET ABSTINENTIA

Dolendum quidem est quod habitu animi sese abnegandi nostra aetate magnopere extenuato, exercitatio salutaris atque usus sese mortificandi maxime imminutus est.

Sperandum tamen fore ut in Concilio Oecumenico proxime eventuro provideatur de regulis ieiunii et abstinentiae ad rationem redigendis uniformem, saltem quod ad singulas nationes attinet; atque ut periti in theologia morali cohortentur ad operam navandam, qua haec res magis uniformiter clariusque tractetur.

4. DE NECESSITATE CENSUS RELIGIOSI IN TOTO ORBE AGENDI

Ut Apostolatus Ecclesiae Catholicae in hodierno mundo aptius exerceri possit, magni momenti est unum eundemque habere modum facta colligendi de observantia religiosa Catholicorum per totum orbem terrarum dispersorum. Enimvero sine censu satis accurato Ecclesia quam fortis sit vel quantos usus habeat praecise cognoscere vix potest nec consilium inire quomodo efficaciter opibus suis vastissimis uti queat.

Sperandum igitur est ut Concilium ponderet utrum Sancta Sedes decernere debeat censum religiosum uno ubique terrarum eodemque modo statis temporibus agendum esse ac porro Officium de censu rerumque cognitione Centrale statuendum et servandum esse.

5. DE LATINA LINGUA DOCENDA

Latinitas est a maioribus accepta Ecclesiae lingua catholicae. At nostra hac aetate vel in scholis catholicis vel etiam apud quaedam seminaria tam maiora quam minora luculentissimum hoc dicendi scribendique perspicacissimum genus gravissimum expertum est detrimentum ac defectum. Magnopere proinde videtur interesse praesenti hoc tempore commendare, ut ratio docendi linguam latinam in nostris scholis ac seminariis penitus investigata ad trutinam revocetur, et instare, ut ea quae desint corrigantur cum institutis ad linguam latinam discendam studiorum rationibus revera absolutis ad amussim exsequendis, tum etiam adhibitis magistris speciatim edoctis, qui ad rem perficiendam praecipue sint idonei.

6. DE INSTITUTIONE RELIGIOSARUM QUOAD VITAM SPIRITUALEM ET QUOAD PROFESSIONEM

Praecepta pontificia animos hominum ad necessitatem profectus spiritualis sani atque capacitatis in professione praestantissimae apud religiosas in operibus educationis, sanitatis, vel utilitatis socialis operantes saepe converterunt. Consecutiones enim graves quae oriuntur cum religiosae minus paratae sint quam alii in iisdem operibus constituti ubique terrarum patere incipiunt; immo vero auctoritas religio-

sarum ita in supradictis misericordiae operibus interdum minuitur ad detrimentum religionis Catholicae.

Missionarii igitur in multis orbis pagani partibus constanter postulant ut religiosae in operibus sanitatis atque utilitatis socialis operantes sint optime paratae ad professionem suam socialem maxima cum praestantia exercendam ut reverentiam eorum quibus auxilium praebeant adipiscantur itaque viam aperiant ad Fidem benigne considerandam.

Ea quae supra dicta sunt de necessitate plenioris maturitatis atque melioris in professione sociali praeparationis apud religiosas in operibus sanitatis et utilitatis socialis ubique terrarum operantes reperiri possunt per investigationes animadversorum expertorum et integrorum necnon per examinationem factorum iam a coetibus internationalibus, nationalibus, et dioecesanis de his rebus agentibus collatorum. Quo quidem modo gentes Americae Meridianae, exempli gratia, investigari debent.

Haec problemata tanti esse momenti videntur ut quaedam commissio ipsius Sanctae Sedis opus consilii capiendi atque ad profectum enixe contendendi suscipere debeat; quae vero commissio per locorum in orbis gentibus diversorum Ordinarios operari potest.

Caput III

DE QUAESTIONIBUS IN CODICIS IURIS CANONICI REFORMATIONE TRACTANDIS

Muneri amplissimo Codicis Iuris Canonici reformandi, prout Ioannes Papa XXIII feliciter regnans annuntiavit, patres ipsos Concilii manus esse impposituros vix expectari potest: equidem hoc omnium fere et singulorum requireret praeceptorum iuris communis Ecclesiae disceptationem et revisionem. Optatur tamen ut Concilium generalibus saltem verbis per summa capita exprimat necessitatem simplificandarum quarumdam institutionum iuris canonici, exempli gratia:

A) ut notio domicilii amplius definiatur,

1) in favorem minorum qui matrimonium inierunt;

2) in favorem religiosorum qui vota temporaria emiserunt, ad receptionem ordinum;

3) in favorem ordinandorum qui pro tempore domicilium acquirere non possunt;

4) in favorem actorum, ut tribunal ecclesiasticum adire queant;

B) ut ius poenale in simpliciorem formam redigatur, et praecipue quoad systema poenarum ecclesiasticarum, quoad causas quae ab impu-

tabilitate vel a poenis excusant vel eas minuunt, et quoad varios gradus reservationum in censurarum aliarumve poenarum remissione;

C) ut restrictiones de rebus alienandis ecclesiasticis a iure positae aliquatenus relaxentur;

D) ut variae species institutorum religiosorum necnon praecepta canonica ad easdem spectantia in simpliciorem formam redigantur;

E) ut normae quae de iure assistendi matrimonio ad validitatem latae sunt simplificentur;

F) ut normae de iurisdictione ad excipiendas religiosarum confessiones hoc sensu simplificentur, quod ea quae hodie requiruntur ad validitatem, sint tantum ad liceitatem;

G) ut usus terminorum technicorum, ubicumque discrepantiae in Codicem irrepserint, ad unitatem inaequivocam reducatur, v. g. quod attinet ad matrimonium legitimum, ad personam moralem (vel personam iuridicam, ens iuridicum, etc.), ad actiones earumque species;

H) ut disciplinae de praevia librorum censura eorumque prohibitiones aliquatenus relaxandae provideatur, nempe:

1) quoad praeviam censuram, per restrictionem can. 1385, 1, nn. 2-3 ad libros ex professo theologicas vel morales disciplinas tractantes, et ad libros ac libellos precum, devotionis, vel fovendae pietatis;

2) quoad libros ipso iure prohibitos, per enuntiationem paucarum regularum generalium, summa principia statuentium, quae in locum enumerationis specificae in can. 1399 positae succedant;

3) quoad licentiam legendi libros prohibitos, per facilitationem concessionis generalis vel specialis, praesertim in commodum professorum et scholarium in studiorum universitatibus;

4) quoad Indicem librorum prohibitorum, per revisionem generalem instituendam, eo praesertim fine ut inde amoveantur tituli operum antiquiorum de quibus praesumi potest quod hodie nonnisi indagationis historicae causa a quoquam legantur;

I) ut ordinariis locorum detur facultas dispensandi ab impedimento simplici de quo in canone 987, 1 (de filiis acatholicorum, quandiu parentes in suo errore permanent). Optandum quoque est ut dispensatio semel concessa sufficiat tam ad ordines maiores recipiendos quam ad primam clericalem tonsuram.

J) Demum, quo textus Codicis iuris canonici recentiorem iurisprudentiam et praxim Sanctae Sedis commodius atque efficacius referat, visum est proponere ut omnia responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos prolata et ab eadem Pont. Commissione publici iuris facta in singulos quosque Codicis locos pro relata materia inserantur.

FACULTAS THEOLOGICA
BALTIMORENSIS SANCTAE MARIAE

ST. MARY'S SEMINARY

Februarii 15, 1960

Eminentia Vestra,

Ea quae Magistris Facultatis Theologicae Seminarii Universitatisque Sanctae Mariae Baltimorensis ad litteras Vestras die 18 iulii 1959 (Prot. N. 2 C/59-45) datas respondere placitum est ad Eminentiam Vestram heic adnexa mittere velim.

Cum precibus Episcoporum, utriusque cleri, necnon fidelium totius orbis Catholici nostras coniungimus eo fine ut Deus Concilio Oecumenico futuro faustissimum det eventum.

Sacram Purpuram deosculans summa qua par est reverentia, permaneo.

Eminentiae Vestrae
Submississimus in Christo

LLOYD P. MCDONALD
Praeses

Februarii 15, 1960

Eminentissime Princeps,

Respondens litteris ab Eminentia Vestra die 18 iulii 1959 datis (Prot. N. 2 C/59-45) ego infrascriptus Praeses Facultatis Theologicae Seminarii Sanctae Mariae Baltimorensis humillime submitto vota sequentia futuri Concilii Patribus, si Eminentiae Vestrae placuerit, proponenda.

Haec vota et proposita communi consilio et studio huius facultatis professorum enucleabantur et nonnullis sessionibus plenariis eorum suffragio approbata sunt. Ex his ergo collatis consiliis sequentia proponuntur vota:

1. Quaestiones quoad relationem inter Supremum Pontificatum et Episcopatum subordinatum in docendis et regendis Christifidelibus quae in Concilio tum Tridentino tum Vaticano examini subiiciebantur ulterius considerentur.

2. Quaedam incerta de doctrina indulgentiarum (v. g. indulgentia plenaria, partialis) accuratius explicentur.

3. Doctrina Concilii Florentini circa Extremam Unctionem ulterius consideretur eo fine ut conditiones requisitae tum ad validam tum ad licitam huius sacramenti collationem clarius proponantur.

4. Patriarchis antiquarum Sedium Orientalium tribuatur ius praecedendi Cardinalibus.

5. Sacerdotibus latini ritus curam animarum habentibus concedatur facultas confirmationem una cum baptismo infantibus conferendi.

6. In Codice Iuris Canonici inseratur huius tenoris canon: « Sacerdotes peregrini dummodo ab Ordinario suo sint approbati, possunt ubique terrarum confessiones fidelium excipere, cum consensu saltem rationabiliter praesumpto rectoris ecclesiae sed non ultra tres dies si facile adiri possit Ordinarius loci ».

7. Supprimatur dioecesana reservatio peccatorum.

8. Vicario Capitulari tribuatur ius concedendi litteras dimissorias de Capituli consensu etiam ante annum a Sede vacante.

9. Liceat Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab omnibus irregularitatibus et impedimentis tum publicis tum occultis ea excepta de qua in can. 985, n. 4, aliave deducta ad forum iudiciale.

10. Auferatur necessitas obtinendi litteras testimoniales pro tempore quo candidatus ad Ordines in seminario moratus est.

11. Ordinariis concedatur ius permittendi per se vel per alios suis subditis ut libros ipso iure vel Sedis Apostolicae decreto proscriptos retineant et legant in casibus particularibus.

12. Completa revisione accommodetur Missale Romanum et Ordo Missae necessitatibus pastoralibus.

13. Breviarium Romanum recognoscatur ita ut persolutio Horarum fiat simplicior et brevior et inserantur in Breviario variationes pro recitatione individuali.

14. Emendetur Pontificale Romanum ita ut breviores et minus implicatiores eveniant ritus Pontificales.

15. Rituale Romanum reformetur ita ut linguam vulgarem abundantius adhibendo institutioni Christifidelium his facilius provideatur.

16. Curetur ut Protestantes, Dissidentes, Iudaeos, et Mahumentanos inviter Ecclesia ut communi conatu quaeratur solutio problematum huius saeculi quae hos omnes tangunt.

17. Indesinenter continuentur tentamina ut Dissidentes et Protestantes ad Ecclesiae redeant unitatem.

18. Media quaerantur quibus Ordinarii locorum et Superiores reli-

giosi communi consilio et opere possint opem largiri illis regionibus ubi penuria cleri et religiosorum possit Corporis Christi Mystico nocumentum afferre.

19. Unitatis et fidelium aedificationis causa in futuro Concilio Praelatis Rituum Orientalium assignetur locus insignior.

Interim omnia bona Eminentiae Vestrae a Deo adprecans et Supplicans Patrem luminum ut opera Vestra in Commissione Antepraeparatoria caelesti sua luce illuminet,

Eminentiae Vestrae addictissimus in Domino

L. P. McDonald

Rector Magnificus S. Mariae Universitatis

FACULTAS THEOL. CHICAGIENSIS
SANCTAE MARIAE AD LACUM

ST. MARY OF THE LAKE SEMINARY

Mundelein, Illinois, 18 aprilis 1960

Eminentia Vestra,

Hae inclusae considerationes a Patre Thoma J. Motherway, S. I., iam per tria decennia Theologiae professore, concinnatae et a nobis examinatae, attentionem Pontificae commissionis antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico mereri videntur.

Eminentiae Vestrae
servus addictissimus

BERNARDUS I. MCMAHON, S. I.
Praeses Facultatis Theologicae a S. Maria

Quoniam hoc nostro tempore late, imo vix non ubique, accepta est theoria scientifica evolutionis, etiam, cum respectu ad originem primorum hominum, et haec theoria intimum nexum habet cum doctrinis Ecclesiae de spiritualitate et creatione animae humanae, necnon cum dogmate de peccato originali et eius propagatione, petitur ut Sacrosanctum Concilium mox adunandum diluat dubia quae vel invaserunt iam vel invadunt mentes multorum Catholicorum de firmitate harum doctrinarum Ecclesiae, definiendo tamquam veritates a Deo revelatas, primo *animam esse spiritualem* et praeterea *creatam a Deo* ex nihilo, deinde *peccatum unius individui* hominis, primi parentis, *Adami,* in *omnes et singulos* homines *post* Adamum existentes *transfusum esse per generationem carnalem ex eo.*

DE SPIRITUALITATE ANIMAE

Spiritualitas animae si eo sensu intelligitur quod anima sit rationalis, immaterialis et incorruptibilis, necnon a corpore aliquo modo distincta et independens, videtur esse veritas per multa iam saecula in magisterio universali Ecclesiae.

Itaque Concilium Lateranense V definiens factum immortalitatis animae simul condemnat eos qui dicunt eam esse *de natura* sua mortalem. Iam vero hoc est aequivalenter affirmare animam non posse mori sed dissoluto homine per mortem, iuxta naturam suam ut incorruptibilem supervivere.

Solent profecto theologi pro hac veritate afferre Scripturam Veteris et Novi Testamenti: *Eccles.* 12, 7 « Et revertatur pulvis in terram suam unde erat et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum », ubi pulvis designat materiam corpoream et spiritus animam quatenus distinguitur a materia eique supervivit. Sane non asseritur contineri hoc loco notionem spiritualitatis philosophice perfectam, sed utique essentiale discrimen inter corpus et animam quoad originem et entitatem. *Mt.* 10, 23 « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere », quibus verbis Domini exhibetur essentialis simplicitas animae, quippe quae ratio est cur non possit a causis creatis corrumpi. *Gal.* 5, 17 « Caro enim concupiscit adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non quaecumque vultis illa faciatis »; ubi innotescunt distinctio quae-

dam animae a corpore simul ac oppositio et in agendo independentia aliqua intrinseca.

In mente Sanctorum Patrum anima opponitur corpori praecise in quantum est *incorporea* et *intelligens*. Saepe enim aequiparant immaterialitatem et intellectualitatem, quatenus diversitas animae a corpore manifestatur per intelligentiam animae vel ex ea infertur. Sic S. Irenaeus (Adv. Haer. lib. 2, cap. 33, n. 4), S. Cyrillus Alex. (Epist. ad Succensum, n. 4), Gennadius Massil. (De Eccles. Dogm. cap. 15). Neque dicatur Patres his et similibus testimoniis modo mere philosophico loqui de homine; etenim in dictis huiusmodi nonnisi explicita redduntur ea quae ex revelatione scimus de composito humano. Ceterum plures Patres expresse affirmant animam esse *incorpoream seu spiritualem*: S. Greg. Nyss. (De hom. opificio cap. 14), Asterius Amasenus (Homil. 14), S. Ioan. Damascenus (De Fide Orthod. lib. 2, cap. 12), S. Augustinus (Epist. 166, n. 4 et saepe in pluribus scriptis).

Tandem si nonnulli ex Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis de vera natura animae dubia et difficultates admiserunt, hoc non eorum sententiis de homine plane Catholicis sed potius opinionibus philosophicis non undequaque veris tribuendum est, scl. placitis sive stoicorum (Tertull.) sive platonicorum (Origenes).

Non mirum est igitur catechismos in Ecclesia usitatos hanc veritatem de spiritualitate animae apud plebem Christianam divulgare. Catechismus Catholicus Petri Cardinalis Gasparri, ed. 4, quaestio 60 et resp. « anima rationalis est substantia spiritualis, intellectu et libera voluntate praedita, et immortalis, quae ita corpori substantialiter unitur ut sit in homine omnis vitae principium ». Catecismo de Doctrina Cristiana para uso de los diocesanos de Barcelona, Resp. ad Q. 77 « El alma es la parte espiritual del hombre, por la cual vive, entiende y es libre »; ad Q. 78 « El alma del hombre no muere con el cuerpo, sino que vive eternamente, porque es espiritual ». A Catechism of Christian Doctrine, Revised Edition of the Baltimore Catechism, 1949, Resp. ad Q. 50 « The soul is like God because it is a spirit having understanding and free will, and is destined to live forever ».

Videtur, igitur, spiritualitas animae humanae esse de fide Catholica et posse nunc definiri. Quod si fieret a Concilio Ecumenico, magno, ni fallor, esset adiumento mentibus et animis hominum fidelium.

DE CREATIONE ANIMAE HUMANAE

Quaestio haec proposita fuit et fusius tractata in primo schemate de doctrina Catholica Patribus Concilii Vaticani submisso. (Coll. Lacensis VII, p. 515 sq. cum adnotationibus, p. 545 sqq.). Consentiebant theologi qui schema praeparabant, creationem animae proponendam esse non ut rem revelatam et de fide credendam sed ut certam et ab omnibus Catholicis tenendam.

Transacto autem uno iam saeculo clarius videtur constare hanc veritatem esse in ordinario magisterio Ecclesiae ut rem a Deo revelatam. Devicto enim omni dubio ex haesitatione S. Augustini orto, positio Magisterii in hac re clarius videtur patere ex documentis Ecclesiae decursu saeculorum editis et ab auctoribus probatis, imo ab ipsis Concilii Vaticani theologis, enumeratis: *Symbolum Toletanum,* an. 447 habitum, excludens pantheismum et emanatismum addit « sed (animam esse) creaturam dicimus divina voluntate creatam ». *Leo IX in symbolo* Petro Antiocheno episcopo proposito, an. 1053, haec includit, « Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam ... credo et praedico », ubi terminus « ex nihilo creatam » sine sufficienti fundamento ab aliquibus ad significandum creationem secundam detorquetur. Potius dicendum videtur verba Leonis emanare ex magisterio ordinario Romani Pontificis veritatem fidei affirmantis. *Benedictus* XII, an. 1341, inter errores Armenorum hunc enumerat « quod anima filii propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore et angelus etiam unus ab alio ». Alexander VII, an. 1661, asserit piam sententiam Catholicorum de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis esse, « eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse ... a macula peccati originalis praeservatam immunem ». A medio saeculo XIX deinceps Sancta Sedes varios errores creationem animae negantes repressit: Froschammer, Ubaghs, Rosmini. Tandem nuperrime Pius XII in Litt. Encyl. *Humani Generis* loquens de origine humani corporis, et quidem verbis quae videntur esse universalia et non ad solos primos parentes restricta, ait « animas enim a Deo immediate creari Catholica fides nos retinere iubet » (*A.A.S.* vol. 42, 1950, p. 575).

Doctrina creationis animae a Deo continetur ut Catholica non solum in declarationibus ipsius Ecclesiae sed etiam in testimoniis multorum gravium Patrum tum ante tum post S. Augustinum, ut propositum est in schemate theologorum Concilii Vaticani (Coll. Lac. VII, p. 545) et ostenditur a pluribus modernis: Lactantius, De Opificio Dei, c. 19; S. Hilarius, De Trinitate, lib. 10, n. 20; S. Ambrosius, De Noe et arca,

lib. 1, c. 4, n. 9; S. Hieronymus, Contra Ioan. Hierosol, n. 22; idem Adversus libros Rufini, lib. 3, n. 28; idem in Ecclesiastem, cap. 12, vers. 7; S. Greg. Naz. Carmen in laud. virgin. vv. 392-395; S. Cyrillus Alex. Epistola prima ad Monachos Aegypti in paragrapho Ἀλλ᾽ἴσως ἐκεῖνο ἐρεῖς; Theodoretus, Graecarum affectionum curatio, Sermo 4 prope finem; S. Ioan. Chrys., Homil. 23 in Matth., citat. a Bellarmino, De Amiss. Gratiae IV, 11. Porro animadvertendum est haec testimonia in genere non esse conclusiones mere philosophicas sed affirmationes veritatis revelatae. Neque negandum est in hac re progressum factum esse usque ad plenam claritatem theologicam. Itaque a tempore Sancti Thomae doctrina creationis animae unanimiter ut certa et catholica habetur.

His itaque perspectis, multi sunt theologi ex recentioribus qui hanc doctrinam sive explicite sive implicite tradunt ut *de fide Catholica* credendam: M. Daffara, *De Deo Creante,* n. 480; A. Michel, *L'Ami du Clergé* 1951, p. 122; J. F. Sagüés, *De Deo Creante,* n. 651; C. Boyer, *De Deo Creante,* ed. V, p. 140; J. M. Hervé, *De Deo Creante,* ed. 1953, p. 305; G. Huarte, *De Deo Creante,* n. 185; T. Muldoon, *De Deo Creante,* p. 149; P. Parente, *De Creatione Universali,* p. 94; L. Janssens, *De Hominis Natura,* p. 602; H. Hurter, *De Deo Creatore,* vol. II, n. 281. Aliqui putant rem esse « proximam fidei »: B. Beraza, *De Deo Creante,* n. 1003; L. Lercher, *De Deo Creante,* ed. VI, p. 315. Plurimi autem doctrinam affirmant ut acceptam in tota Ecclesia et saltem « theologice certam ».

Quibus omnibus iungendum est factum quod in multis, si non omnibus partibus Ecclesiae doctrina de creatione animae inculcatur fidelibus per catechismos ab Hierarchia approbatos: Catechismus Catholicus Cardinalis Gasparri, n. 67; Catechismus Baltimorensis cum explicationibus doctrinalibus anno 1949 editus, n. 51, ubi legitur « Sacred Scripture teaches that Adam's soul, like every human soul, was created by God »; Catechismus Barcinonensis, n. 69 « Dios crea las almas de todos los hombres ».

Veritas creationis animae intime connectitur cum priore veritate de animae spiritualitate et quasi pari modo procedendo stat aut cadit cum illa. Creatio autem sicut spiritualitas videtur iam a tempore SS. Patrum esse obiectum ecclesiasticae praedicationis. Definitio oecumenica utriusque veritatis ad bonum fidei et Ecclesiae multum, ut opinior, proficeret.

DE UNA ORIGINE PECCATI ORIGINALIS

De hac quoque re indirecte tractavit Commissio Theologorum Concilii Vaticani. Proposuit enim definiendam quaestionem de communi origine totius humani generis ab uno Adamo. Haec autem quaestio arctissimum nexum habet cum veritate de una origine peccati originalis. De communi origine hominum existebant dubia quae « ex levissimis rationibus geologicis et ethnographicis » orta sunt in mentibus quibusdam illius temporis (*Coll. Lacensis* VII, p. 545). Profecto iam in aperto est easdem rationes, et nunc non leves, nostris diebus plures inter Catholicos adeo movisse ut peterent novam prorsus interpretationem dogmatis peccati originalis.

Nova ista interpretatio consistebat imprimis in hoc quod ille Adam cuius peccatum in omnes homines transfunditur, iuxta definitionem Tridentinam, non esset aliquis individuus homo sed multi primi homines ex animalibus brutis descensi, qui aliquo modo in unam culpam originariam conspiraverunt. Propositum quoque fuit quod forte S. Paulus in *Rom.* 5, 12-21, minus vellet proferre communem originem humani generis quam aliqualem universalem et hereditariam culpabilitatem hominum simul ac integram redemptionem per Christum operatam.

Hoc errores retudit Pius XII in Litt. Encycl. *Humani Generis,* notissimis verbis prohibens ne Christifideles amplecterentur sententiam quae tenet non omnes homines ab uno singulari primo parente, Adamo, descendisse nec culpam illius individui hominis in omnes esse transfusam per generationem carnalem ex eo. Catholicus igitur Polygenismum illum, qui negaret omnes et singulos homines in terris post Adamum viventes ex eo ut primo homine et uxore eius ut prima muliere ortos fuisse, defendere nequit.

Sed adhuc in animis quorumdam permanet aliqua incertitudo. Ex eo enim quod Pius XII dixit *nequaquam apparere* quomodo sententia polygenistarum *componi queat* cum dogmate Catholico de peccato originali, argumentantur nonnulli Summum Pontificem noluisse excludere absolutam possibilitatem statuendi concordiam inter dogma et theoriam istam scientificam. Et imprimis, ut opinantur, Pius XII non censuit doctrinam de una origine peccati originalis per generationem ex Adamo esse *de fide;* secus alio modo locutus fuisset, dicendo nempe theoriam polygenismi simpliciter componi nunquam posse cum dogmate.

Inde, ut videtur, ortus est conatus subiiciendi novae analysi theologico-historicae ipsum textum canonis tertii sessionis quintae Concilii Tridentini ad accuratius quam antehac determinandum id quod ab Ec-

clesia definitum sit. Agitur praecipue de intentione Patrum Tridentinorum circa incisum « origine unum et propagatione transfusum »; utrum nempe hoc etiam voluerint *de fide* definire. Rationibus historicis allegatis, et prae ceteris documento quodam (S. Ehses, *Concilium Tridentinum, Acta,* tom. V, p. 212 sq.) in quo enumerantur errores a Concilio tractandi, concludunt nonnulli illud incisum non pertinere ad essentiam definitionis factae in canone tertio, neque iuxta intentionem Concilii fuisse definitum. Ultro conceditur Concilium voluisse determinate condemnare « neo-pelagianismum » ac proinde incisum alterum, « non imitatione transfusum », pertinere essentialiter ad definitionem factam. Error enim neo-pelagianus invenitur inter alios in laudato documento de agendis in Concilio. Non ita tamen error de origine et transmissione peccati originalis, qui proinde non potest considerari ut doctrina haeretica, sed ad summum ut propositio erronea.

Haec sane adversantur sententiis non solum a theologis Concilii Vaticani sed et ceteris deinceps totius scholae universaliter usque hodie receptis. Nec deest responsus historico-theologicus ad has novas interpretationes definitionis Tridentinae. Sic optime scripserunt R. Gibellini, *Studia Patavina* 1956 et 1957; A. Zuerich, *Divus Thomas* 1956. Et re quidem vera arbitraria videtur omnis interpretatio quae concedit incisum istud canonis tertii, « non imitatione transfusum », ad fidem definitam pertinere, et simul hoc negat de verbis eiusdem propositionis, « origine unum et propagatione transfusum ». Etenim apprime consentaneum erat iungere condemnationi solemni formula negativa expressae, « non imitatione », positivam affirmationem aeque solemnem verae sententiae, « origine unum et propagatione transfusum », praesertim cum in toto contextu sessionis quintae haec vera doctrina insinuetur et in sessione sexta explicite declaretur. In canone enim secundo sessionis quintae legimus « non *eius propagini* asseruit nocuisse », et « *illum* in omne genus humanum *transfudisse* peccatum »; in canone quarto, « ut in eis regeneratione mundetur quod *generatione* contraxerunt ». In sessionis autem sextae capite tertio haec proferuntur: « nam sicut revera homines, nisi *ex semine Adae propagati* nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea *propagatione per ipsum,* dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant... ». Voces « propagatione » et « generatione » adhiberi ut synonymas et perfecte aequivalentes in his locis, ac proinde etiam in canone tertio sessionis quintae, non solum ex contextu manifestum est sed clare probatur ex Actis Concilii. (Cf. R. Gibellini, *loc. cit.* 1956, p. 414 sqq.).

In his igitur textibus Concilii Tridentini non potest rationabiliter dubitari sermonem esse de *generatione carnali ex Adamo* per quam

transfunditur peccatum eius ad alios omnes homines. Praeterea illa positiva declaratio, « origine unum et propagatione transfusum », contraibat haereticae positioni negativae non solum Manicheorum et Priscillianorum sed etiam Pelagianorum, quae continetur in erroribus secundi et primi documenti antea citati. Etenim isti haeretici referuntur in illo documento ut dicentes « non nos nasci aut concipi peccatores sive nullam peccati labem ex nostra generatione contrahere (sic Pelagiani in primo errore) et « christiano coniugio natos non contrahere originalis culpae contagionem » (sic Valentini, Manichaei et Priscilliani in errore secundo). Ideo sine solido fundamento negatur quaestionem esse in his de generatione carnali omnium hominum ex primo homine Adamo. Isti enim errores explicite identificantur in laudato documento de agendis in sessione quinta cum falsis doctrinis condemnatis sive a Concilio Milevitano (Carthaginensi) sive ab Innocentio I, et profligatis a S. Augustino in libro *De peccatorum Meritis et Remissione.* Sed in his fontibus peccatum quod transmittitur est unius Adami et transmissio seu transfusio fit per generationem humanam stricto sensu acceptam.

Tandem confirmatio huius traditionalis interpretationis canonis tertii decreti Tridentini habetur ex sententiis Episcoporum et tractatis theologorum in Actis Concilii narratis. (Cf. R. Gibellini, *Studia Patavina* 1956). Non datur sufficiens ratio dubitandi de sensu et valore dogmatico verborum illius canonis « origine unum, propagatione transfusum ». Significant simpliciter omnes homines recipere peccatum Adami, primi hominis, et esse peccatores eo quod nascuntur per generationem carnalem ex eo. Et in hoc sensu illa verba exprimunt fidem Catholicam ab Ecclesia in Concilio Tridentino definitam.

Sed motum est dubium de veritate communis intellectus huius dogmatis, et difficile sedabitur sine decisione authentica Ecclesiae. Hoc vero posset fieri a novo Concilio mox adunando. Res enim, si non definita in Tridentino, est saltem de fide Catholica ex universali magisterio et bene posset ita explicite definiri ut nullo modo ulterius in dubium a Catholicis vocaretur.

Tandem in nostris animadversionibus de transfusione peccati originalis excipitur sane Beatissima Virgo Maria.

THOMAS J. MOTHERWAY, S. I.

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA
KURULITANA SS. CORDIS IESU

PONTIFICIO SEMINARIO REGIONALE SARDO

Cuglieri (Nuoro), 27 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di inviare alla Pont. Commissione Antepreparatoria i postulati di questa Facoltà Pontificia per il Concilio Ecumenico, secondo la richiesta fattane da V. Em. Rev.ma con lettera del 18 luglio 1959 (Prot. 2 C/59-48) al mio predecessore P. Bozzola Carlo S. I.

Il lavoro è stato intenso, perchè richiese quattro riunioni generali, sette particolari, ed i voti raccolti sono il frutto di attente deliberazioni.

Non abbiamo avuto il tempo, essendo periodo di scuola, nella quale i professori sono intensamente occupati, di preparare studi più vasti, ma siamo a disposizione di codesta Ven. Commissione, qualora ci domandasse d'investigare alcuni problemi particolari.

Colgo l'occasione per presentare all'Eminenza Vostra Reverendissima i nostri devoti omaggi ed il particolare augurio di tutti per la Sua preziosa salute.

Di V. Em. Rev.ma
dev.mo nel Signore

P. Arnaldo M. Lanz, S. I.
Preside

DE RE BIBLICA

1. Optatur plena et ordinata explanatio doctrinae circa S. Scripturam, inspirationis extensionem, et interpretationis normas; necnon congrua vigilantia circa nimiam libertatem edendi theorias et opiniones neomodernismum sapientes.

DE RE DOGMATICA

2. Nonne expedit reprobare interpretationem naturalis appetitus Deum videndi, ut appetitus absoluti (i e. non mere hypothetici), et solemniori modo damnare Relativismum sive dogmaticum, sive philosophicum, ac falsum conceptum libertatis, rursumque exponere genuinam libertatis notionem?

3. Opportunum videtur, magis determinare conceptum et valorem singularum notarum verae Ecclesiae Christi.

4. In votis est ut Magisterium Ecclesiae pressius determinet materiam tum remotam, tum proximam Sacramenti Confirmationis.

5. Cum Missae sacrificium sit christianae religionis totiusque vitae Ecclesiae centrum, Theologi ac Liturgistae optarent ulteriorem declarationem, praeter eam quae prostat in Encyclica *Mediator Dei,* circa Missae sacrificii essentiam, utrum scilicet consistat tum in oblatione tum in immolatione, utrum immolatio sit distincta ab immolatione Crucis; quale iudicium ferendum sit de praesentia mysterica relate ad Missae sacrificium.

6. Ad regnum Christi sociale plenius instaurandum, contra perniciosos huius aetatis errores, proderit:

a) Solemniter definire ius proprietatis privatae et functionem socialem bonorum materialium; simulque solemniter damnare tum marxismum, nominatim sub forma qua violenter suos fines obtinere nititur, i. e. communismum; tum principium fundamentale liberalismi.

Enixe quoque catholicis omnibus stimuli addantur ut iustitiam socialem integre ad praxim deducant.

b) In genere autem expressius affirmare potestatem indirectam Ecclesiae in res temporales omnes quatenus connectuntur cum ipsius fine spirituali, praesertim in quaestiones politicas, sociales, et quoad iuventutis institutionem; simul magis solemniter damnando laicismum (v. g. quoad

monopolium scholarum), atque indifferentismum theoreticum praecipue prout irenismum profitetur.

7. Fortius adhuc declaretur humanum ratiocinium naturalibus viribus gaudere ad veritatem, etiam subiectum cogitans transcendentem, certo assequendam, contra late grassantem exitiosissimam diffidentiam circa capacitatem rationis, quasi ipsius debilitas suppleri debeat per sensum quendam (it. sentimento), atque experientiam vitalem.

8. Declarare insuper num validum retineri queat argumentum intuitionisticum atque phoenomenologicum, prout ab hodiernis systematibus philosophicis et a psychologia religiosa saepe proponuntur, ad Dei existentiam probandam (ita aliquomodo resumendo sub moderniori forma discussionem de Ontologismo, in Concilio Vaticano I ad tempus dilatam).

DE CODICIS IURIS CANONICI REFORMATIONE

1. Urgenda videtur, in vita publica et sociali, reverentia erga clericos (cf. can. 119).

2. Quamvis quemlibet clericum saecularem alicui dioecesi adscriptum esse oporteat, amplior eidem facultas danda videtur transeundi ad aliam dioecesim, iustis de causis, v. g. in auxilium earum quae maiori sacerdotum penuria laborant, vel ubi propria talenta magis utilia esse possunt, etc.

Ad quem finem, peculiare apud S. C. Consistorialem officium statui posset, pleno gaudens iure transferendi huiusmodi sacerdotes in casibus maioris boni Ecclesiae Universae.

3. Optatur ut can. 132 ita clarius exprimatur: « Clerici in maioribus ordinibus constituti, a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione, per votum personaliter nuncupatum, ita tenentur, ut contra eandem peccantes, sacrilegii quoque rei sint ».

4. Ut iuvenes securius onus coelibatus ordinibus maioribus adnexum suscipiant, iuverit ut aetas canonica ad suscipiendum presbyteratum, augeatur ad vigesimum octavum annum.

Can. 975 ita mutari posset: « Subdiaconatus ne conferatur ante annum vigesimum primum completum; diaconatus ante vigesimum secundum completum; deinde diaconus mittatur ad experimentum pastorale sub regimine sacerdotum pietate, virtute ac prudentia conspicuorum, vel ad studia ecclesiastica superiora, vel ad civiles laureas assequendas, donec ad Seminarium redeat pro anno pastorali, ascetico et morali destinato, et ordinem presbyteratus suscipiat anno vigesimo octavo completo ».

Ita spes erit ut minori numero vitam clericalem post ordinationem dimittant.

5. Vicariis foraneis maior videtur danda auctoritas super parochos sui districtus, quo melius suis officiis satisfacere possint.

In can. 448 addi forsan posset: « Curet Vicarius foraneus ut parochi sui districtus frequenter communem habeant collationem de rebus suarum paroeciarum, quas quodammodo in solidum administrandas habent, ita ut unusquisque ab aliis adiuvetur sive in verbi Dei praedicatione, sive in sacramentis administrandis aliisque necessitatibus cultus et apostolatus, in rebus spiritualibus et temporalibus et vinculo amicitiae ad invicem ligentur ».

6. Contra naturalismum quemdam hodie serpentem, revocetur necessitas, iuxta christianam traditionem, tum perfectae sui abnegationis, praesertim vero humilitatis, oboedientiae, ac sensuum custodiae et mortificationis, tum intimae orationis, ad plenum dominium charitatis, i. e. ad perfectionem assequendam aliisque communicandam, quod nominatim cunctis clericis est inculcandum.

Vigeat insuper et luceat in omnibus clericis, specialis reverentia et oboedientia sive Summo Pontifici, etiam quando non ex cathedra loquitur, sive SS. Congregationibus S. Sedis.

7. Optatur ne deputentur ad munus parochi nisi sacerdotes 30 annos nati. Quibus deficientibus, committantur plures paroeciae Vicario foraneo, qui curam de iis habeat per vicarios cooperatores.

8. Vicarii cooperatores mulierum confessiones, praesente in paroecia parocho, ordinarie non audiant nisi post aetatem 30 annorum.

9. Sacerdotibus iunioribus praescribenda forent Exercitia Spiritualia annualia per decennium post ordinationem, iisque concedenda esset in seminario aliove apto loco, quies necessaria ad examina annualia paranda.

10. Curandum ne parochi frequenter a paroecia amoveantur, et servato can. 2157, amotisque abusibus, praesertim in casibus ex informata conscientia.

11. Maxima detur sacerdotibus libertas recurrendi ad S. Sedem, et quoties fit recursus contra modum agendi proprii Ordinarii, diligenter inquiratur veritas, quin tamen Ordinario patefiat nomen denuntiantis seu recurrentis, et secreto commisso religiose servato.

12. In usum revocetur officium Visitatoris Apostolici dioecesium, inter Episcopos Titulares eligendi, qui de statu et gubernatione visitatae dioecesis ad S. C. Consistorialem referat, ad quem liberum sit omnibus recurrere.

13. Quae de remotione parochorum inamovibilium in can. 2147

statuuntur, eadem, congrua congruis referendo, ad Episcopos applicentur, qui ad dioecesim regendam inepti evaserint.

14. Instituantur aptae domus pro clero, eidemque per pensionem vel assecurationem, etiam fundando ad hunc finem arcam dioecesanam, pro casibus infirmitatis et senectutis, decorose provideatur.

15. Funditus ordinetur disciplina circa distributionem bonorum temporalium inter ministros Ecclesiae, ita ut omnibus in singulis dioecesibus detur oeconomica conditio nostris temporibus et dignitati Cleri accommodata, cum actualis disciplina in hac materia impar sit hodiernis cleri atque apostolici ministerii exigentiis satisfaciendis. Sic v. g. ad massam beneficiariam quod spectat, maxima vigent discrimina sive inter diversas dioeceses, sive inter unius eiusdemque dioecesis paroecias, quod sane discrimen minime fundatur in maiore vel minore momento et pondere respectivae actionis paroecialis; miserrima saepe saepius est conditio oeconomica vicariorum cooperatorum, etiam in paroeciis ubi bona ecclesiastica abundant; nec congrue Ordinarii locorum providere possunt Seminariis eorumque professoribus, nec pluribus inceptis et muneribus (puta Assistentis dioecesani A. C.).

DE RELIGIOSIS

1. Inculcetur omnibus sacerdotibus, etiam saecularibus, officium fovendi vocationes religiosas utriusque sexus.

2. Foveantur inter utrumque clerum armonia et mutua existimatio, necnon formae collaborationis in apostolatu et administratione Ecclesiarum.

3. Caveatur ne professio perfectionis evangelicae in Institutis Saecularibus vel in Actione Catholica nimium extollatur, cum detrimento vocationum ad statum religiosum, qui perfectior est et strictius respondet consiliis evangelicis et maiori firmitate pluribusque auxiliis animas ad perfectionem ducere valet.

DE SACRAMENTIS

1. Can. 821, § 1: « Missae sacrificium qualibet diei hora, de venia proprii Ordinarii, litari potest ».

§ 2: « Ubi necessitas postulet, facultas binandi et trinandi a proprio Ordinario semper concedi potest ».

2. Can. 859, § 1: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad

usum rationis pervenerit, debet semel in anno, laudabiliter tempore Paschali, Eucharistiae sacramentum recipere ».

3. Can. 872 in fine addi potest: « Sacerdotes qui iurisdictionem ad audiendas confessiones, in aliqua dioecesi legitime obtinuerint, ea in qualibet dioecesi uti poterunt, donec intra hebdomadam, ad Ordinarium illius loci recurrerint ».

4. Facultas absolutionis generalis, iuxta privilegia iam tempore belli mundialis concessa, extendenda videtur ad alios casus aeque urgentes.

5. Can. 883: « Sacerdotes omnes maritimum, terrestre, aëreumque iter arripientes, cuiuslibet fidelis secum itinerantis confessionem excipere valide et licite possunt, dummodo sint in aliqua dioecesi approbati ».

6. Simplicior fiat numerus casuum reservatorum.

7. Servatis indulgentiis plenariis, partiales aptiori locutione exprimantur, quam usuali vocabulo 300, 1000 dierum, quadragenarum, etc.

8. Ad validam matrimonii formam, sufficiat adsistentia sacerdotis cuiuslibet, suppositis ceteris, et Nihil obstat Curiae; et in regestis adnotetur. In causis matrimonialibus, advocati et procuratores sint solum sacerdotes.

9. Confessariis omnibus facilius concedatur facultas dispensandi ab abstinentia et ieiunio, etiam pro casibus collectivis.

10. Statuendum videtur ut ubi dioeceses exiguum numerum seminaristarum habent, seminarium interdioecesanum vel regionale instituere debeant.

DE DIEBUS FESTIS

1. Specificandum melius quid intendatur « nomine operum servilium ». Lex enim de sanctificatione festorum, qua parte praecipit abstensionem a quibusdam operibus, et prout communiter a theologis intelligitur, non raro fidelibus nostri temporis parum rationabilis videtur. Nam intellectualibus permittuntur per totum diem festum consueti labores lucrativi, dum opificibus prohibentur leviores labores manuales, ad solamen corporis et animae suscepti. Cui difficultati assentiuntur nonnulli theologi recentiores, qui unanimiter docent, theoriam de natura operis servilis a Card. Caietano invectam et huc usque dominantem, non amplius respondere actuali evolutioni sociali et oeconomicae. Ipse terminus « operis servilis » anachronismum sapit; nam quatenus applicatur labori manuali, illum deprimere videtur, dum e contra doctrina

socialis catholica conatur extollere paritatem quandam inter laborem manualem et intellectualem.

Praeterea in hodierna oeconomia et eo magis in posterum, progrediente sic dicta automatione, non facile constat utrum in aliquo opere applicentur vires corporis potius quam animae; unde melius videtur terminum « servile » supprimere. Nec quidquam subtrahitur venerandae traditioni, cum in ipso Veteri Testamento locutio operis servilis non habeatur in Decalogo, nec generatim adhibeatur pro quiete sabbatica, sed pro aliis festis, ut constat ex Levitico.

Quare consultius videtur antiquae formulae novam quandam substituere, quae servet substantiale in lege, nempe « abstensionem ab operibus quae impediunt quominus homo diebus festis missae sacrificio assistat et libere Deo vacet », seu ab operibus cotidianis quae ad lucrum tendunt, iis exceptis quae sint necessaria, sive exerceantur viribus corporalibus, sive intellectualibus.

Cum autem solum criterium lucri non plene satisfaciat, rogantur Patres congruam formulam invenire.

2. Can. 1249: « Legi de audiendo sacro satisfacit qui Missae adest quocumque ritu catholico celebretur, sub dio aut in quolibet loco, etiam in oratoriis privatis ».

DE FACULTATIBUS CONCEDENDIS

Quod per indulta particularia non raro a S. Sede Ordinariis locorum conceditur expedire videtur ut ipso iure concedatur omnibus Ordinariis, ut v. g. permittere queant sacerdotibus usum altaris portatilis, ad normam can. 822, § 3, et celebrandi in navi, suetis cautelis; concedere suis subditis caecutientibus ut missam B. M. Virginis vel de Defunctis celebrent, aliis vero sacerdotibus infirmis ut, adhibitis cautelis, Missam sedentes celebrent; dispensare ab impedimentis gradus minoris, nisi concurrant cum impedimentis gradus maioris (can. 1046). In can. 1402, ut Ordinarii sive locorum sive religiosorum suis subditis licentiam concedere valeant libros proscriptos retinendi ac legendi, quam facultatem possint aliis sacerdotibus delegari (puta vicariis foraneis, superioribus localibus religiosorum pro suis subditis, et confessariis).

DE SCHOLIS

1. Can. 1373, § 2 ita complendum videtur: « Iuvenes qui medias vel superiores scholas frequentant, pleniore religionis doctrina excolantur, et locorum Ordinarii, graviter onerata conscientia, curent ut id fiat per sacerdotes zelo, doctrina, dotibus paedagogicis, et quantum fieri potest licentia vel laurea theologica aut civili insignitos, ita ut, seposito quolibet oeconomico motivo, capaciores praeferant, licet e clero regulari, praesertim ex Institutis educationi christianae iuventutis incumbentibus, quando non adsint e clero saeculari.

§ 3: Curent ut singuli professores requisitum tempus ad lectiones bene parandas gaudeant, iisque invigilent, ut quantum liceat, etiam post scholas, discipulorum curam habeant, eos in circulis, et piis associationibus, etiam charitatis aut Actionis catholicae, excolendo.

2. Urgeatur labor catholicorum ad nuntia et opera recreativa viribus unitis producenda ac divulganda; ephemerides scilicet, cotidianas praesertim, spectacula cinematographica et televisiva, atque radioauditiones.

3. Promoveatur reditus doctrinae catholicae in modernam laicam culturam, mediantibus scriptis altae divulgationis et scholis superioribus religionis, philosophiae et theologiae, etiam in Universitatibus.

4. Influendo in publicam opinionem, impense excitetur actio verae christianae solutionis quaestionis socialis; doctrina vero socialis ab Ecclesia tradatur non sparsim, sed clare et perfecte, per quaedam enunciata maiora, ut cunctis patefiat.

5. Quaerantur a Statibus liberis media ad populos sub communistarum iugo oppressos liberandos, ut libertatem religiosam nanciscantur.

DE CAUSARUM DECISIONE

1. Causae a SS. Congregationibus decidantur potius vi iudiciaria quam administrativa, quia secus non semper habentur sufficientes cautiones, de quibus in can. 1570, § 2; 1655, § 1, 3; 1656, § 1.

2. Cum causae beatificationis et canonizationis apud S. R. C. introductae et introducendae, multae sint et tribunal unicum omnino impar sit iis omnibus tractandis, urget reformatio totius Instituti, ut causae celerius expediantur, utque eo ordine cognoscantur quo fuerunt propositae (can. 1627), secus nonnullae practice indecisae manebunt, et expensae plus aequo augebuntur.

Quare, iurisperitorum ac Collegii Postulatorum consilio audito, ap-

tetur nova legislatio ad scopum obtinendum, vel Curiis dioecesanis aut metropolitanis discussionem processuum quoad primas phases praeparatorias demandando, S. Sedi ulteriora et conclusiva reservando, vel multiplicando apud S. Congregationem distinctas sectiones, pro validitate processuum, discussione super virtutibus, super miraculis, super martyrio, ita ut auctis sectionibus, labor citius procedere possit.

Sic servatis rigorose essentialibus, procedura simplicior fiat, dum hodie tota adhuc regitur iuxta legislationem Urbani VIII (an. 1634), et Benedicti XIV (an. 1745).

DE ACTIONE CATHOLICA

Inseratur in *C.I.C.*, legislatio circa Actionem Catholicam et apostolatum laicorum, non omissis Congregationibus Marianis iuxta Constitutionem Apostolicam *Bis saeculari* Pii XII.

P. ARNALDUS M. LANZ, S. I.
Praeses Facultatis

FACULTAS THEOLOGICA
MEDIOLANENSIS

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA
MEDIOLANENSIS

Venegono 11 maggio 1960

Eminenza Reverendissima,

In ossequio all'invito rivoltomi con venerata lettera in data 18 luglio 1959 di prot. N. 2 C/59-51 mi faccio dovere di sottoporre alla benevola considerazione della ven. Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico il modesto contributo che la Pontificia Facoltà Teologica di Milano in Venegono, ha potuto sin'ora apprestare.

Posso assicurare l'Eminenza Vostra della serietà e della diligenza con le quali i Professori di questa Facoltà s'impegnarono per adempiere nel miglior modo possibile il compito loro affidato. Anche se la compilazione degli studi presentati è dovuta all'uno o all'altro dei Professori, gli studi però vennero discussi in numerose adunanze, alle quali parteciparono tutti i Professori e nella loro definitiva formulazione rappresentano il pensiero comune.

Come la Commissione vedrà i contributi sono costituiti da uno studio introduttivo generale sui problemi ritenuti bisognosi di trattazione nel Concilio e da alcuni studi su qualcuno dei problemi proposti.

Diversi Professori poi si propongono di pubblicare nei prossimi mesi sulla Rivista della Facoltà « La Scuola Cattolica », sotto forma di studi, l'illustrazione di alcuni altri dei problemi semplicemente proposti, sia di natura dottrinale, come di carattere organizzativo pastorale, che questa Facoltà ritiene opportuno vengano dal Concilio affrontati.

Prostrato al bacio della Sacra Porpora, di Vostra Eminenza Illustrissima e Reverendissima mi professo.

umilissimo servo

Sac. CARLO FIGINI
Preside della Facoltà Teologica

PRAEVIA EXPOSITIO DISSERTATIONUM

Cum Oecumenici Concilii momentum adeo extraordinarium appareat ut eius influxus in Ecclesiae interiorem vitam externaeque virtutem expansionis apostolicae, vel per saecula efficax, neque satis perpendi neque penitus praevideri possit, huic nostrae Theologicae Facultati videntur illa esse a proximo Concilio pertractanda fundamentalia argumenta seu problemata cum doctrinalia, tum ad practicas institutiones seu « organizationes » pertinentia, tum demum pastoralia, quae praesenti tempore Catholicae Ecclesiae obvia occurrunt.

Quapropter audemus hic proponere seriem argumentorum doctrinalium, quae studiorum consuetudo et sacerdotalis ministerii experientia nobis ostendit digna examinationis, declarationis et, si res feret, sollemnis propositionis ex parte Magisterii; item seriem argumentorum ad institutionem seu « organizationem », disciplinam et pastoralem rationem pertinentium, quae aggredi necesse putamus ut vita Ecclesiae eiusque apostolica vis his nostris temporibus perfectius respondeat consiliis atque propositis Divini eius Conditoris et Capitis.

De omnibus ac singulis propositis argumentis dissertationes subiecto condignas praebere non valeamus; quae hic apponuntur studia et vota primam constituunt contributionem, quam in animo habemus perficere ope scientificarum elucubrationum in Facultatis nostrae commentario « La Scuola Cattolica », pro modulo nostro aliquid conferre sperantes, divina gratia adiuvante, ad plenum exitum proximi Concilii, quod tam illuminata et generosa sapientia ad bonum Universalis Ecclesiae S. P. Ioannes XXIII indixit.

I. Doctrinalia argumenta seu problemata

Quae ad doctrinam pertinent argumenta dispertienda videntur in duas classes: eorum scilicet quae referuntur ad christianam conceptionem humanae destinationis; eorum autem quae circa Ecclesiae rationem seu Ecclesiologiam versantur.

A) *Quaestiones de anthropologia christiana*

Inter humanae mentis propensiones, quae hodie graviora pericula praebent quoad christianam rerum conceptionem, sine dubio sunt denunciandae immanentisticae atque naturalisticae doctrinae de homine

et humana natura, deque humana destinatione et viribus hominum, praesertim collective agentium.

Ad christianos homines contra huiusmodi doctrinas defendendos necnon ad illustrandam amplam christianae veritatis facultatem amplectendi vel minimam veritatis particulam, si quam humana mens tentabunda incedens invenire possit, nobis res fore opportuna videtur si Concilium de his quae sequuntur doctrinam penitiorem exponat:

a) Denuo sollemniter affirmando revelatam doctrinam de unica et necessaria supernaturali humanitatis et singulorum hominum destinatione, deque necessitate gratiae mediorumque gratiae ad supernaturalem salutem consequendam, contra conceptiones « humanismi naturalistici », quem dicunt, mentem modernam dominantes;

b) Denuo affirmando doctrinam de peccato originali eiusque consectariis in individuo et societate, item de necessitate Redemptionis et gratiae Christi ad plenam assecutionem et effectionem boni et ordinis moralis cum individualis tum socialis, contra doctrinas illuministicas et « messianismos » exclusive terrenos (liberalismum purum, marxismum, technicismum, etc.);

c) Declarationem doctrinalem edendo circa relationes inter naturales realitates seu bona varia et ordinem supernaturalem, et speciatim quae aestimatio « activitatis temporalis » relate ad finem supernaturalem sit habenda, ut homines nostri temporis adiuventur ad religiose excolendam hodiernam vitae culturam;

d) Declarationem doctrinalem edendo circa unitatem originis et finis, et circa consequentem universorum hominum mutuam necessitatem seu « solidarietatem », iustitiae socialis fundamentum, item circa gravia caritatis officia quae christianis incumbunt in omni ditione vitae socialis, quoad relationes inter individua, inter classes, inter populos et gentes diversas.

B) *Quaestiones de Ecclesiologia*

Inter omnes theologiae cultores desiderium passim exprimitur ut reassumatur et evolvatur expositio doctrinae catholicae de Ecclesia iam in Concilio Vaticano parata, sive ad complendam partem quamdam doctrinae tunc non usque ad definitionem perductam, sive ad ostendendam omnibus veram Ecclesiae Christi faciem, catholicis scilicet, quo melius in fide erga Matrem Ecclesiam confirmentur, acatholicis autem et infidelibus quo, illam exactius cognoscentes, facilius divina adiuvante gratia ad illam amplectendam adducantur.

Inter argumenta quae profundiori indigent examine et expositione doctrinali, ea quae sequuntur recensenda putamus:

a) Doctrina de Episcopis eorumque in Ecclesia munere, quae, adaequate definita, velut fundamentum evadat cuiuscumque fortasse proponendae reformationis iuridici ordinis;

b) Expositio circa Ecclesiae naturam, necessitatem ad salutem, membra in re et in voto, quae exacte illuminet relationes inter adspectum visibilem atque supernaturalem unicae verae Ecclesiae, quae mysticum Christi Corpus est;

c) Declaratio doctrinalis circa locum et munera laicorum in Ecclesia, cum ex effectu sacramentorum receptorum, tum ratione officiorum illis a divina Providentia commissorum, quo magis definite innotescant rationes et gradus dependentiae ab hierarchica Ecclesiae auctoritate in singulis ditionibus actionis illorum.

II. Argumenta ad institutionem, disciplinam et operam pastoralem pertinentia

Cum argumenta seu problemata, quae ad institutionem seu « organizationem », disciplinam, operam pastoralem pertinent, impraesentiarum occurrentia maxime varia sint et complexa, diversas praeterea rationes in diversis nationibus vel saltem catholicitatis regionibus persaepe assumant, nobis videtur fieri non posse aut non expedire ut Concilium cuncta illa aggrediatur ut uniformi disciplina moderetur.

Opportunior contra videtur methodus atque magis rerum naturae, immo hierarchicae Ecclesiae constitutioni consentanea, quod Concilium quaedam generalia principia pro universa Ecclesia determinanda curet, et insuper organa permanentia instituat, cum centralia tum peripherica, quibus auctoritas conferatur principia ad rem deducendi iuxta diversas necessitates et condiciones, ita ut unitas vitae Ecclesiae vel in diversitate sarta tectaque servetur. Ad hunc finem haec nobis videntur principia directionis et media exsecutionis Concilio subiicienda.

A) *Principia*

a) Unitas apostolica missionis Ecclesiae affirmetur et roboretur, revisendo disciplinam circa relationes inter Ordinarios Dioecesanos et Religiosos in omnibus quae spectant ad operam apostolicam Religiosorum, ab iisdem quoque requirendo ut praeparentur ad operam pastoralem quae in vitam Dioeceseos organice inseratur.

b) Principium affirmetur et opportunae iuridicae formae instituantur quae stimulent et foveant mutuam adiutricis operae collationem seu cooperationem inter Dioeceses eiusdem nationis vel regionis Conciliaris,

quo melius pastoralia problemata resolvantur quae ambitum et vires cuiusque Dioeceseos exsuperent.

c) Disciplina et apta media elaborentur quibus plenae fidelium in fide institutioni provideatur. Ad hoc quae sequuntur necessaria videntur:

1) Principia stabiliantur ut Liturgiae sua vis nativa, fidei et religiosi spiritus generatrix et educatrix agnoscatur et vindicetur, sive opportuna quorundam rituum mutatione, sive opportune et prudenter adhibita lingua populo intelligibili;

2) Principia stabiliantur ut necessariae catecheticae praeparationi provideatur ante admissionem ad Sacramenta, Matrimonii incluso sacramento;

3) Principia stabiliantur circa obligationem protrahendi et perficiendi institutionem in fide progredientibus aetate et muneribus singulorum.

d) Denuo examini subiciantur et distincte proponantur regulae directrices illius disciplinae quae ad efformandos christianos mores ordinatur, et in specie:

1) Disciplinae quae ordinatur ad spiritum poenitentiae et mortificationis efformandum (de abstinentia et ieiunio, de temporibus poenitentiae per annum);

2) Disciplinae quae dierum festivorum sanctificationem determinat.

B) *Organa et media exsecutionis*

a) Generalium principiorum applicatio concreta ad singulas locorum condiciones committenda videtur singulis nationalibus Episcoporum conventibus. Quapropter cuiusque nationis Episcopi inducendi sunt ad conveniendum in localia Concilia statis temporibus recurrentia, ut adstantibus S. Sedis viris delegatis de omnibus decernant quae ad disciplinam et pastoralem vitam in propria ditione pertineant, nec non ut localia organa exsecutionis instituant eisque invigilent.

b) Attamen, ut unitas disciplinae in Ecclesia vel in condicionum varietate tueatur, necessaria ostenditur constitutio in urbe Roma « Commissionum » centralium studiorum quae incumbat quaestionibus ad doctrinam, disciplinam, pastoralem operam pertinentibus et in communitate christiana passim exsurgentibus. Huiusmodi Commissiones constare debent cum ex membris a Sancta Sede designatis tum ex membris rerum peritis ab Episcoporum nationalibus Conventibus designatis. Commissionum participes statis temporibus conveniant ut, pro sibi adscripta competentia, studiis et disceptationibus argumenta omnia excutiant quae Epi-

scoporum Conventus proposuerint, conclusiones eruendo supremo S. Sedis iudicio subiiciendas.

c) Ut severe et tempestive catholicorum cultura et doctrina sequi valeat iugem et velocem evolutionem quaestionum et condicionum circa relationes inter veritatem revelatam et culturam vel vitam modernam, necessarium apparet clarius distinguere *duo* diversa munera studiorum theologicorum: alterum pro vita sacerdotali, cum omnibus institutionis auxiliis communi seu mediae sacerdotum classi hodie necessariis; alterum investigationis munus et profundioris excussionis argumentorum seu problematum in unaquaque communitate vigentium, quibus solvendis maior praeparatio et peritia vel in profanae scientiae ditione requiritur.

Ideo necessarium videtur in omni natione, praeter Seminaria ad praeparandos curae pastorali exercendae sacerdotes, Facultates quoque theologicas instituere, quarum finis sit ut aptae studiorum officinae evadant et sacerdotes peritiores praeparent, praesertim in doctrinalibus et moralibus quaestionibus quae nationali communitati obviae occurrunt. Sine huiusmodi studiorum praeparatione vel ipsa Magisterii doctrina vix satis tempestiva et rebus adaequata evadet.

d) Quod attinet ad cleri institutionem praesenti tempore, quo sociologicae condiciones rapide evolvuntur gravia pastoralia problemata suscitantes, necessaria videntur quae sequuntur:

1) Seminaria debent sacerdotes efformare maturos, humanis virtutibus praeditos et completos, qui novas condiciones in futurum exorituras aggredi valeant. Idcirco praeparationis theologicae curriculum in singulis regionibus determinandum est iuxta ea quae condiciones unicuique regioni propriae requirunt.

2) Attamen cum difficulter vel relative perfecta institutio in Seminario accepta sufficere poterit ad omnem futuram condicionem pastoralis curae aggrediendam, necessarium videtur ut huiusmodi institutio, praesertim prioribus sacerdotalis vitae annis compleatur ope studiorum statis temporibus recurrentium et sub obligatione ab auctoritate praescriptorum, quae studia directe vitae pastoralis difficultates respiciant; item ut culturalis quoque sacerdotum institutio permanenter alatur et renovetur ope hebdomadum studiorum vel huiusmodi statis temporibus recurrentis scholae generum, ea fere ratione qua in *C.I.C.* provisum est quoad spiritualem formationem ope spiritualium, quae dicuntur, Exercitiorum.

3) Quoad ipsa curationis animarum munera, opportunum et aliquando necessarium videtur ut secernatur et specialiter curetur institutio sacerdotum ad particularia munera deditorum (ut docentium reli-

gionem in scholis, aut laicorum sodalitatibus vel societatibus addictorum), quae requirant idoneitatem et peritiam superiorem.

e) In hodierna sociologia et spirituali rerum condicione, cui propria est maxima inter coetus differentia, providenda et necessaria videtur existentia Cleri dioecesani non ad curam parochialem addicti sed ad munera magis peculiaria. Hanc partem cleri obtinere « statum iuridicum » in Dioecesi necesse est, cui sequatur ius ad oeconomicam, ut dicunt, condicionem, gravitati munerum et aetati respondentem.

Ad hoc, totum argumentum oeconomicae condicionis Cleri videtur retractandum, ita ut nimii defectus proportionis et equilibrii vitentur inter sacerdotes eiusdem Dioeceseos et inter Dioeceses eiusdem regionis; ita praesertim ut bona Ecclesiae non videantur ad commodum singulorum potius destinata quam ad bonum cunctae dioecesanae communitatis vel amplioris christianae societatis.

DE SUPERNATURALI FINE HOMINIS ATQUE DE GRATIAE NECESSITATE

I. De fine supernaturali

In generis humani aetatis nostrae spirituali condicione valde opportunum nobis videtur homines universos, et in primis Christifideles, sollemni sacrae Synodi documento ad considerandum revocari illam supernaturalem vocationem unicumque finem, cui studio constanti tendere debent. Qua revocatione autem potissimum opus est nostrorum temporum hominibus, qui acrius sunt tentationi subiecti — quae semper humanis in rebus constat adfuisse — oculos ad terrena tantum defixos habendi.

Ipse enim technicae artis progressus et sociales incompositi motus qui una simul cum ipso sunt exorti hanc sollicitationem vehementiorem reddunt cum illis qui rerum commodis et incremento fruuntur, quia « dives difficile intrabit in regnum coelorum » (*Mt.* 19, 23), tum illis qui propter omnium rerum inopiam acerbae atque sollicitae vitae laqueis implicantur, quia «egestate compulsus » facile homo periurat « Nomen Dei » (*Pr.* 30, 9).

Quae plena penitaque rebus omnino terrenis adhaesio theoretice expressa apertissime videtur in illis philosophiae doctrinis quae, materialismus, immanentismus, existentialismus, vulgo appellatae, in aetatis nostrae homines dominationem exercent, et vel negant quidquam praeter ea quae videri possunt haberi, vel saltem magnam animorum augent per-

turbationem cum putent omnia, quae de fine atque sorte nostra anxie quaerimus, nulla luce clarificata existere.

Quapropter catholicae doctrinae expositio de supernaturali fine cuiusque hominis totiusque generis humani firmissimis Revelationis proposita argumentis, verbis Scripturae Sacrae quam maxime cohaerentibus vitatisque — more et exemplo Sanctae Tridentinae Synodi — illis quaestionibus quae multiplices implicataeque de supernaturalibus rebus catholicas dividunt scholas, ad id tendere debere nobis videtur ut ea porrigatur doctrina, quae in populi christiani religiosam vitam ampliorem valeat exsuscitare influxum. Ut tam maximam haec doctrina foecunditatem queat obtinere opportunum tamen putamus Sacrum Concilium nonnulla maximi momenti erga fidem et verum sincerumque doctrinae progressum definire.

Ideo duo haec nobis tradenda esse videntur.

A) *Quae proponenda sint*

1. Ille ingenii habitus, qui hominem ad terrena solum proclivem considerat ceterarumque rerum a terrenis abstantium atque invisibilium immemorem, — qui habitus adhorret ab ipsis rectae rationis principiis, quae docet nos Creatoris ac Domini obsequium ad summum collocare consiliorum atque sollicitudinum —, ordini praesertim a Deo libera regalique bonitate statuto atque decreto contradicit et obstat.

Unicus enim finis, — quem Catholicae Doctores Ecclesiae recte supernaturalem appellant —, a Deo homini constitutus in hoc consistit ut familiae eius quasi filius efficiatur socius, eiusque vita et beatitudo tamquam haereditas illi obtingat.

2. Cui liberae regalique bonitati homines, tantorum beneficiorum immemores, peccato responderunt, quod tamen nihil aliud fecit, nisi Dei fidelis per quem vocati sumus (*I Cor.* 1, 9) magnanimem magis magisque ostendit caritatem: nam « ubi abundavit delictum, superabundavit gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum Nostrorum » (*Rom.* 5, 21).

Itaque christifidelis a peccato liberatus, quod tamen semper ei insidiatur, et « in medio nationis pravae et perversae » positus (*Phil.* 2, 15), oblivisci non debet non solum se aeternae vitae ingressum esse viam sed etiam eundem exitum quasi digito illis quoque a se esse demonstrandum « qui spem non habent » (*I Thess.* 4, 13).

3. Immo vero qui Baptismo Christum induit (*Gal.* 3, 27) iam istam possidet « vitam aeternam » (*Ioh.* 6, 54), quae Dei cognitionis et amoris

nos reddit participes (*Ioh.* 17, 3, 26), cum Spiritum Sanctum « pignus haereditatis nostrae » (*Eph.* 1, 14) in se tamquam dulcem animae hospitem habeat. Per fidem enim spem atque caritatem cum Dei vita intime penitusque est consociatus quia, cum Christo iam sit gratia sanctificante tamquam membrum Capiti et palmes viti insertus, illa quoque nuptiali est veste indutus quae in aulam aeterni convivii eum inductura sit.

4) Quae tamen « aeternae vitae » possessio in hoc saeculo nec definitiva est, nec perfecta. Non definitiva, quia potest amitti peccato, quod mortem constat esse animae; non perfecta, quia renovatio nostra ut integra evadat et plena visionem Dei « facie ad faciem » (*I. C.* 13, 12) et « redemptionem corporis nostri » (*Rom.* 8, 23) adhuc expectat.

Ideoque christifidelis homo cum timore et tremore vitam degit his in terris, magna exspectans cupiditate «diem Domini », « qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae » (*Phil.* 3, 21).

B) *Quae definienda videantur*

1. Doctrina, quam supra commemoravimus, perspicuum propriumque habet fundamentum in duabus illis catholicae fidei affirmationibus, quae de supernaturalis ordinis gratuitate atque necessitate agunt.

Quamquam enim munificum divinae bonitatis donum supernaturalis est finis, — humana enim natura illum nec meretur nec proprie exigit, nec naturales vires nisi divina gratia elevatae ullo modo eum assequi possunt, — omnibus tamen hominibus est in praesens absolute necessarius.

Non ergo supervacaneum quid nec propositum cuiusque ad arbitrium attingendum finis ille est, quia omnis homo, nisi eum sit consecutus, vitae suae miserabile facit naufragium.

2. Supernaturalis ordinis gratuitas, — ea significatione sumpta quod supernaturalis finis homini naturaliter considerato nulla ratione debeatur, — nuper in Enciclicis Litteris *Humani Generis* distincte est designata et loco ubi eos reprehendit qui « veram gratuitatem ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet » (*A.A.S.* 1950, 570).

Necessitas vero huius supernaturalis ordinis, — quatenus supernaturalem finem constat esse unicum supremum et ultimum homini reapse existenti constitutum, — doctrina est constanter ab Ecclesiae Magisterio praesumpta, praesertim a Concilio Vaticano, quod asseverat Dei revelationem esse necessariam « quia Deus ex infinita bonitate sua ordi-

navit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina » (Const. *De fide Cath.* can. II).

3. Itaque quo efficacior evadat invitatio ad christianam vocationem utque catholicorum doctorum de hac vocatione meditatio in posterum caveat ne in aberrantes vias inducatur, opportunum videtur Sacram Synodum una definire supernaturalis finis et gratuitatem simul et necessitatem.

Cuius finis gratuitatem definire poterit illam reiciens doctrinam quae purae naturae, quae vera natura humana consideretur, intrinsecam impossibilitatem profitetur.

Eiusdem autem finis necessitatem declarare poterit affirmans nullum summumque finem mere naturalem homini reapse existenti possibilem apertumque esse.

Quae duae definitiones disiungendae non sunt, ut periculum caveatur ne in posterum theologica de supernaturali ordine meditatio non omni ex parte pariter evolvatur. Nec decet definitiones ullo modo illas attingere quaestiones quae semper — nullo fidei detrimento — inter thelogicas scholas libere sunt disputae, ut exempli gratia quod « de naturali appetitu beatificae visionis » vel « de Adae creatione in puris naturalibus » disseritur.

II. De gratiae necessitate

Vocationis hominis eiusque finis consideratio, ad quem magna tendere debet constantia, logice ducit nos ut ea subsidia consideremus, quae ad illum obtinendum necessaria ex Dei voluntate sunt.

Duae enim quaestiones necessario inter se copulantur. Quod etiam ex hominum nostrae aetatis sui gerendi ratione aperte ostenditur, qui unici finis ad quem a Deo vocantur immemores gratiae quoque, quae subsidium est ad illum consequendum omnino necessarium, obliviscuntur. Viribus enim suis tantummodo confisi, atque ex actuali incremento technicae quae dicitur artis — praesertim e psycologicae artis medicina — escam atque alimentum trahentes, ad istam inanem fiduciam augendam inducuntur, vel suis ipsorum delusi idolis in maximam desperationem prolabuntur.

Peropportunum ergo esse videtur ut homines, cum ad finis unici considerationem sint appellati, ad consideranda quoque inducantur subsidia quorum praesertim indigent ut illum adipisci valeant.

A) *Quae docenda videntur*

1. Deus cum hominem ad supernaturalem finem ordinasset, quod praeceptis a se constitutis observandis deberet obtineri, donis quoque omnino gratuitis illum exornavit, quibus Ipsum cognoscere, honorare

atque diligere posset, idque non modo ut rationalem decet naturam, sed supernaturali modo, ut filium Patrem, et ita aeternam mereretur beatitudinem.

Quo ex privilegio ob Adae inobedientiam cum cecidisset, homo sanctitatem et originalem iustitiam amisit, iram et indignationem Dei incurrit, atque in mortis potestatem est redactus eiusque « qui mortis deinde habuit imperium » (cf. Conc. Trid. sess. V, can. 1°).

2. In hac nova et infelici condicione homo, « qui secundum corpus et animam in deterius commutatus est » (*ib.*), non solum Deum supernaturaliter cognoscendi, honorandi et amandi capax amplius non est ita ut vitam mereatur aeternam, sed peccati servus effectus, virium quoque naturalium ad bene agendum passus est imminutionem, ita ut ipsae, quamquam non sint excisae ob peccatum, tamen sine gratiae auxilio aptae iam non sint ad agendum secundum illius naturalis legis postulata, quae Deus hominum cordibus ipsam domando naturam insculpsit.

3. Huius humani generis exitio atque ruinae misericordi Deus benignitate remedium attulit cum Filium suum Iesum Christum misisset, qui « expolians principatus et potestates » (*Col.* 2, 15) e tenebrarum nos eriperet imperio atque in regnum Filii dilectionis suae transferret (*Col.* 1, 13). « Non corruptilibus auro, vel argento redempti ... sed praetioso sanguine quasi agni immaculati... et incontaminati » (*I Pt.* 1, 18-19), cum deletum quoque sit « quod adversus non erat chirographum decreti » (*Col.* 2, 14), a Deo reconciliationem accepimus.

Per gratiam Christi tantummodo ergo — quia « non est in alio aliquo salus » (*Act.* 4, 12) — homines, « spiritu mentis renovati » (*Eph.* 4, 23), in illa novitate vitae ambulare possunt, ubi non amplius peccatum regnat sed iustitia (*Rom.* 6, 18). Ex quo evidenter consequitur quod omnis sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* 3, 5).

B) *Conclusiones deducendae*

1. Doctrina quae his revelationis argumentis subiacet gratiae necessitatem apertissime significat; quae necessitas — omissis providentiae ordinibus mere possibilibus — in actuali providentiae ordine clare et aperte est declaranda duabus de causis:

a) primum absolute, propter hominis ad supernaturalem finem vocationem,

b) secundo vero, propter voluntatis eius imminutionem atque imbecillitatem ex originali culpa consequentem.

Cum homo in supernaturali ordine, qui unicus reapse existit, sit constitutus, gratia est via atque subsidium absolute necessarium ad fi-

nem vitae consequendum; nam inaequalitas insuperabilis adest inter naturales hominis vires eiusque supernaturalem finem. Cum autem peccatum ita hominis debilitaverit voluntatem et intellectum ut sine auxilio praeter naturam eo se modo moraliter gerere non possit qui rationalem deceat creaturam, nec revera ullum aliud auxilium ei donatum sit ad defectum illum supplendum nisi gratia, consequitur ut huius gratiae necescitas omnino nobis affirmanda esse videatur non solum ad supernaturalis finis consecutionem quod attinet, sed etiam ad naturalium finium rationalis creaturae adeptionem.

2. Quapropter opportunum nobis videtur ut a Sacra Synodo, vel dispari gravitate affirmationis, haec declarentur:

a) quod homo naturae tantum viribus praeditus, ad moralem legem in praesenti ordine vigentem observandam minime idoneus est;

b) quod naturae humanae vires post originalem labem imbecilles atque infirmae sunt factae, quamvis non penitus recte agendi amiserint facultatem, idque non solum in legibus moralibus adimplendis quae hominem individuum respiciunt, sed in his etiam quae rectum ordinem humanae societatis respiciunt;

c) quod actus moraliter bóni plene naturales non existunt, quia omnis actus moraliter ad bonum vel ad malum directus in praesenti ordine vim positivam vel negativam habet relate ad unicum finem actu existentem qui supernaturalis est, ideoque et ipse mere naturalis non est;

d) quod hae omnes humanae naturae infirmitates et imbecillitates omnino suppositive affirmantur, quia reapse nulli umquam homini propter salvificam Dei voluntatem gratia denegatur qua illae vinci possint.

Quarum sententiarum prima iam affirmata esse videtur — circumscripte ad enuntiationem nostram — in his Magisterii Ecclesiae documentis: de iustificato quidem in Conc. Trid. (Sess. VI; can. 22); de homine vero generice sumpto, in documentis controversiam pelagianam respicientibus (Conc. Carth. VI, can. 5; De gratia Dei indiculus, cap. III).

Secunda vero — quae controversiam de indole atque ambitu debilitationis humanae naturae minime dirimere praesumit — docetur: quod attinet ad liberum arbitrium, in libello qui « De gratia Dei indiculus » inscribitur (cap. IX), in Conc. Arausic. II (can. 8), in Conc. Trid. (Sess. VI, cap. I); relate vero ad intelligentiae debilitationem coniici posse nobis videtur e Conc. Vat. Sess. III, cap. II.

Tertia autem sententia, — quae quaestionem de actuum moraliter indifferentium existentia attingere non vult, — nullo adhuc Magisterii Ecclesiae documento est memorata. Rationem tamen atque fundamentum

in illo altissimo invenit silentio, quod Revelationis fontes tenent relate ad distinctionem inter naturalem et supernaturalem bonitatem in actibus humanis re existentibus, atque stricte nectitur cum ipsa supernaturalis ordinis notione. Quapropter opportunum videtur nobis illam a Sacro doceri Concilio, etiamsi sine ulla definitione sollemni.

Quartam deinde sententiam iam definitam esse constat relate ad iustificatum. Quod autem ad hominem peccatis obnoxium attinet, ut logicum consectarium consequitur et catholica doctrina quae affirmat omne mortale peccatum natura sua salutis aeternae amissionem secum trahere.

Itaque, cum ad vitam honeste agendam etiam valde intersit ut in christianam spem revocetur nostrae aetatis genus humanum, viribus suis insolenter confisum unaque gravissime fractum atque demissum, universalem quoque constantemque divini auxilii praesentiam ad moralium legum re existentium observantiam a Concilio sollemniter affirmandam esse quam maxime opportunum atque beneficum putamus.

DE ECCLESIAE NATURA, NECESSITATE ET MEMBRIS

Totius Ecclesiae, in primis Episcoporum una cum Summo Pontifice, est providere ut via ad aeternam salutem cunctis hominibus patefiat atque ad lucem veritatis deducantur etiam qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Cum vero Iesus, Dominus et Salvator noster, in Ecclesia sua, quasi « in depositorium dives », coadunaverit lucem veritatis et salutis subsidia (Iren.,*Adv. Haeres.* III, 4) ut copiose ab omnibus hauriantur, videtur necessarium esse magisque accommodum christifidelibus explanare doctrinae de Ecclesia capita praecipua, quo eam magis intelligant et diligant congruentiusque evangelio salutis se applicent.[1] Tunc Ecclesia toto orbe terrarum clara luce fulgebit, cum declaravit se matrem esse et filios expectantem et eos qui nondum eam agnoscunt ad se vocantem.[2]

Praecipue videtur perutile esse christifidelibus explanare doctrinas de Ecclesiae intima natura, eiusque unitate atque necessitate, nec non de membris quae Ecclesiae annumerantur.

---

[1] Cf. Primum Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi, in *Acta et decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani,* Friburgi, 1892, 576 b.

[2] Cf. IOANNES XXIII, *Ad Petri Cathedram, A.A.S.* 51 (1959), 511; J. NEWMAN, *Sermones Bearing upon Subiects of the Day,* Londinii, 1909, pp. 130-134.

I. De natura Ecclesiae

Explanatio nostris temporibus congruens huius revelatae doctrinae magis de intima Ecclesiae natura quam de eius visibili et externa forma curanda est. Quod quidem omnino apparebit si luculenter declaratum fuerit ad imagines biblicas corporis, sponsae, templi. Quae si singillatim et cumulatim conspectae fuerint, manifestum erit Ecclesiam Corpus Christi esse (*I Cor.* 12, 12-31; *Ephes.* 1, 22-23), eius Sponsam (*Ephes.* 5, 22-33), Templum vivum Spiritus Sancti (*I Cor.* 3, 16-17 cum *Rom.* 8, 9-11).[3]

Ex quibus, duo haec praecipue manare videntur: primo Ecclesiam ut corpus Christi et ut templum ab eius Spiritu vivificatum, nihil aliud esse quam ipsum Christum in medio nostrum permanentem, sed ut sponsam Christi, etsi intime ei iungatur, tamen manifesto ab ipso seiungi, eo quod non modo ei sponsa sit sed etiam quod a Christo producatur ut Eva ex Adam (*Gen.* 3, 23); secundo christifideles in Ecclesia non modo unius societatis consortes aggregari et hierarchiae subditos annumerari, sed etiam unius corporis membra effici Christo vinculis sponsalibus adstricta, Spiritu Sancto animante.[4]

II. De Ecclesiae unitate

Ecclesiae unitas non tantum est munus et nota ex verbis et praecepto Christi (*Ioh.* 17, 11. 21-22), sed etiam manifesto manat ex eiusdem intima natura, eo quod sit corpus Christi, eius sponsa et templum Spiritus Sancti. Nam unum et corpus et templum est, sed et vinculum coniugii singulari unione et indissociabili congaudet. Iam enim beatus apostolus Paulus id proclamabat dicens Ecclesiam esse « unum corpus et unum spiritum » (*Ephes.* 4, 4), atque cum unitatem inter coniuges tuebatur « ut sacramentum magnum ... in Christo et in Ecclesia » (*Ephes.* 5, 31-32).[5]

---

[3] Facile comprobantur haec in revelatione esse ex his operibus: 1) quoad Corpus Mysticum S. Tromp, *Corpus Christi quod est Ecclesia,* Romae, 1946; S. Tromp, Pius XII, *De Mystico Iesu Christi corpore* (Textus et Documenta, Series theologica n. 26), Romae 1948, pp. 69-73; E. Mersch, *Le Corps Mystique du Christ,* 2 voll., Parisiis, 1936; 2) quoad Ecclesiam ut Sponsam Christi, A. Vonier, *The Spirit and the Bride,* Londinii, 1935; 3) quoad Ecclesiam ut Templum Spiritus Sancti, Y. M-J. Congar, *Le Mystère du Temple,* Parisiis, 1958.

[4] Hoc est schema encyclicae *Mystici Corporis Christi,* a Pio XII editae, quae quidem in sectione doctrinali duabus partibus dividitur, quarum in prima Ecclesia ut Corpus Mysticum Christi docetur, in altera de unione fidelium in Christo agitur.

[5] Cf. Ioannes XXIII, *Ad Petri Cathedram, A.A.S.,* 51 (1959), 510-518.

Duabus rationibus Ecclesiae unitas spectari potest. Prima ratione Ecclesiae unitas est vera ac intima coadunatio inter eius partem visibilem (socialem et hierarchicam) et Spiritum Sanctum vivificantem, qui ad Ecclesiam visibilem est ut anima ad corpus: Spiritus Sanctus enim est anima Ecclesiae.[6] Exinde sequitur quod in Ecclesia anima et corpus, idest Spiritus Sanctus et societas visibilis, simul extenduntur et exaequantur, ita ut neque animae Ecclesiae aggregari, neque membra corporis Christi, neque lapides illius templi esse possint, qui etiam Ecclesiae visibili et hierarchicae nullo sint modo coniuncti.[7]

Altera ratione Ecclesiae unitas apparet in eius forma sociali et visibili. Nam Ecclesia una esse non potest ex coadunatione nonnullarum ecclesiarum, quae hierarchia, professione fidei et sacramentis dissonae sint. Ecclesia enim visibilis una est et fide et baptismo (*Ephes.* 4, 5); praeterea Iesus Christus testificatus est omnes qui in eo credituri essent unum gregem sub uno pastore (*Ioh.* 10, 16).[8]

---

[6] Cf. LEO XIII, *Divinum illud munus* (Textus et documenta, Series theologica n. 29), Romae, 1952, n. 10, p. 16; PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, 35 (1943), 218-220. Testimonia Patrum de Spiritu Sancto ut anima Corporis Christi vide in S. TROMP, *De Spiritu Sancto anima Corporis Mystici*: I, *Testimonia selecta e Patribus graecis,* II, *Testimonia selecta e Patribus latinis* (Textus et Documenta, Series theologica, nn. 1, 7), Romae 1948, 1932. Ecclesia, eo quod parte visibili et Spiritu Sancto ut anima componatur, natura est theandrica, Christo similis: cf. PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, 35 (1943), 223-224.

[7] Cf. PIUS XII, *Mystici Corporis Christi,* passim, ex. g. *A.A.S.*, 35 (1943), 203-204; 223-225; 242-244; PIUS XII, *Humani generis, A.A.S.*, 42 (1950), 571. Magisterium, cum dicit idem esse Ecclesiam visibilem et Corpus Mysticum Christi, eo tendit ut Ecclesiae visibilis dignitatem conspicuam reddat: nam si Ecclesia visibilis aliud habetur ac Corpus Mysticum, in periculum venit ne eadem ad societatem simpliciter iuridicam deducatur. Qua de causa dici non potest iustos Ecclesiae visibili non aggregatos salutem consequi eo quod membra Corporis Mystici sint (vel ad animam Ecclesiae pertinentes sint); tamen encyclica *Mystici Corporis Christi* in ipsos acerbius se gerere non intendit. Qui hoc sensu encyclicam exponere voluerunt, v. g. sacerdos americanus L. Feeney S. I., aperte damnati sunt a S. Officio die 8 augusti 1949, litteris ad archiepiscopum Bostoniensem, ab hoc editis die 4 septembris 1952. Cum autem L. Feeney per inoboedientiam se non submisisset, excommunicatione damnatus est anno 1953: *A.A.S.*, 45 (1953), 100.

[8] Cf. PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, 35 (1943), 200, 202-203. Cf. etiam nonnullas damnationes in sententiam « de ramis » Ecclesiae: Ep. S. Officii ad Ep. Angl. 16-9-1864 (Denz. 1685-1687); Decr. S. Officii 8-7-1927 (Denz. 2199); PIUS XI, *Mortalium animos, A.A.S.*, 20 (1928), 14-15. De sententia « ramorum », quae sit et quanti habeatur, cf. J. NEWMAN, *An Essay on the Development of Christian Doctrine* (1845), Londinii, 1909, 251-255, 265-266.

III. De Ecclesiae necessitate

Ex illis tribus imaginibus biblicis consequitur quod Ecclesia velut « alter Christus », quin etiam velut ipse Christus, nobiscum permanens, ea gaudeat necessitate qua Christus, quam quidem absolutam scimus (Act. 4, 12), idest, ut theologice dicitur, necessitate medii.[9] Summula igitur ex pristina et vera traditione est illud beati Cipriani et nonnullorum Patrum: « extra Ecclesiam nulla salus »,[10] quod in Ecclesia catholica axioma et dogma est. Nam ostendit quid sit Ecclesia et qua necessitate fruatur ad salutem consequendam, sed minime excludere vult a salute illos qui Ecclesiae visibiliter et perfecte non aggregantur.[11] Quin etiam, isto principio collustratum dogma, quod asserit Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, postulat ut cunctis, nulla exceptione facta, etiam iis qui Ecclesiam ignorant, a misericordissimo Deo nostro tribuantur salutis subsidia, quorum primatum tenet ipsa Ecclesia.

Exinde oritur doctrina « desiderii » vel « voti » ad Ecclesiam. Nam quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem interdum, cum certa adest impossibilitas illa subsidia re adhibendi, suppleri possunt voto ea adhibendi, ut casus est baptismi vel poenitentiae, itemque Ecclesiae. Et quidem ad hoc maxime aptum est votum explicitum, ut est illud catechumeni, « sed ubi homo invincibili igorantia laborat, Deus quoque implicitum votum acceptat; tali nomine noncupatum, quia illud in bona animi dispositione continetur, qua homo voluntatem suam Dei volun-

---

[9] Cf. Primum Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi, in *Acta et decreta Sacrosancti Concilii Vaticani,* Friburgi, 1892, 569 b.

[10] Ex historia interpretationum huius doctrinae apparet hoc axioma progressum perfectioremque significationem consecutum esse. Primum enim ad definiendam sortem eorum, qui extra Ecclesiam visibilem sint, adhibitum est; nunc vero hac eadem assertione affirmatur absoluta necessitas Ecclesiae ad salutem. Axioma enim hanc necessitatem patefacit, sed nihil dicit num et quomodo ii, qui visibiliter Ecclesiae non aggregantur, invisibiliter eidem cooptari possint. Hae quaestiones ope aliarum veritatum solvendae sunt.

[11] De industria acatholici dicti sunt: « ratione visibili et perfecta Ecclesiae non annumerati ». Nam diversa cooptatio ad Ecclesiam niti non debet in affirmatione de diversitate, nullo modo existenti, inter Ecclesiam visibilem et Ecclesiam invisibilem, sed in diversitate vinculi ad unicam Ecclesiam. Hoc vero vinculum esse potest visibile et perfectum, visibile et imperfectum, invisibile et imperfectum; aut etiam deesse potest, quo in casu salus possibilis non est, cum vero ea fieri possit in caeteris prioribus casibus.

tati conformem velit ». At semper necessarium erit hoc votum caritate informari et veram fidem supernaturalem illud comitari.[12]

IV. De membris Ecclesiae

Duabus rationibus secerni possunt qui Ecclesiae connumerantur: et ratione vinculi ad eam et ratione loci in ea. Sed nos hic tantummodo de vinculo cuiusque ad Ecclesiam agimus.[13]

Qua ratione Ecclesiae adiungamur, cerni potest aut baptismum re vel voto susceptum spectando, aut considerando cuiusque nostrum fructum gratiae « baptismalis », quae simpliciter suscepta, vel assidue exculta, vel etiam repudiata fuerit. Qua de re haec pauca dicimus.

a) Membrum « verum » Ecclesiae est tantummodo homo baptizatus, qui postea aut ob apostasiam, aut ob haeresim, aut ob schisma, aut ob excommunicationem ab Ecclesia illatam, omnino seiunctus ab ea non est; idest qui baptismo recepto vinculum fidei, regiminis et communionis, quoad in terra vitam duxerit, omnino non fregit. His verbis declaratur nonnulla peccata ab Ecclesia non seiungere, et eadem peccata patrantes, non modo corporis, sed etiam animae Ecclesiae aliquomodo participes esse. Nam ipsis quoque quodammodo Spiritus Sanctus inest, vel, ut aequius dicam, quodammodo Spiritu Sancto ipsi quoque obvoluti sunt.[14]

---

[12] De hac re cf.: litteras S. Officii ad Archiepiscopum Bostoniensem die 8-8-1949, editas in « The american ecclesiastical Review » n. 127 (1952), 307-311 et in T. Zapelena, *De Ecclesia Christi*, vol. II, Romae, 1954, p. 321.

[13] Prima quaestio est de aggregatione ad Ecclesiam, altera de eius iuridica constitutione; illa agit de Ecclesia ut societate, quae ratione membra sua antecedit et cui christifideles aggregari debent; haec vero agit de Ecclesia ut societate quae ratione sua membra consequitur, ex quibus constat. De vario loco quo membra in Ecclesia constituuntur videtur nobis peropportunum fore si Concilium apte circumscribat quid in Ecclesia sint « laici » et « societates laicorum ».

[14] Ecclesiae aggregatio secundum ius (iuridica) aut secundum rem (ontologica vel realis) esse potest. Illa tunc habetur cum vi iuris (et ideo externe) aliquis aggregatur et agnoscitur ut membrum Ecclesiae; haec vero tunc habetur cum vinculum ad Ecclesiam visibilem reapse adest. Semper et rite aggregatio secundum ius ab ontologica coaptatione postulatur, et aggregatio secundum rem cooptationem iuridicam postulat; sed accidi potest duas illas aggregationes non adaequari, et dantur tum cooptatio tantum iuridica absque ontologica-reali (puta casum hominis peccato tantum interno contra fidem foedati), tum cooptatio realis absque iuridica (puta casum hominis reapse haeretici vel schismatici, sed subiective bona fide, vel etiam hominis excommunicatione damnati ob peccatum obiective sed non subiective patratum). Utile est animadvertere, si seiunctio iuridica ab Ecclesia facta sit, cui tamen

b) Baptismum valide administratum semper Ecclesiae catholicae aggregat, excepto quod vinculum ad eam statim (ut tantum in adultis fieri potest) aut postea fractum sit, rationibus supra descriptis.[15]

c) Quì vero iustificationem et gratiam adepti sunt tantum « baptismo, ut aiunt, desiderii », « re » Ecclesiae non connumerantur. Sed cum eorum gratia sit gratia Christi, et cum Ecclesia subsidium absolute necessarium sit quo ipsa Christi gratia afficiamur, consequitur ipsos quoque, saltem voto vel desiderio implicito, corpori mystico Redemptoris cooptari, idest et animae et corpori Ecclesiae.[16]

d) Baptismum re vel voto susceptum unumquemque obstringit ad donum gratiae acceptae sua industria sensim perficiendum. Quisque hoc facit non modo gratiam auget, sed etiam altius in Ecclesiam se inserit; et qui totam gratiam baptismi ad actum produxerit et vocationem suam perfecte adimpleverit, membrum « perfectum » Ecclesiae dici potest.

e) Baptizati qui aut apostatae aut schismatici aut excommunicatione damnati sint, membra Ecclesiae non sunt, tamen ob characterem baptismi reapse ad eam obtendunt (*C.I.C.* can. 87), ita ut, haeresi ablata aut schismate aut excommunicatione, membra Ecclesiae ipso facto fiant.[17]

f) Qui vero baptismum non susceperunt et peccatis gravantur, Ecclesiae membra non sunt, neque re neque voto; tamen gratiae illis datae obiective ad Ecclesiam eos obtendunt, et ad eam subiective deducunt eos qui iisdem gratiis actibus simpliciter salutaribus respondent.

---

aliquis putet se adhuc reapse aggregari, illicitum esse publice damnationem iuridicam spernere: qui ita agit culpa gravi carere non potest. Nam ipsa Ecclesia a se excludere debet eum quem vere, etsi non semper infallibiliter, iudicat membrum indignum aggregatione ad illam. Qui vero ea seiunctione vulneratus est, rebellare non debet, etiamsi certe arbitretur se obiective non erravisse ideoque adhuc reapse, et non tantum intime, Ecclesiae aggregari.

[15] Cf. PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, 35 (1943), 202-204.

[16] Ex parte iuris cooptatio conscia adulti Ecclesiae non catholicae postulat exclusionem a vera Ecclesia, cui baptismum validum per se incorporaverat. Sed patet hanc seiunctionem iuridicam, realem et ontologicam esse tantum si actus conscius peccatum formale contra fidem gignit.

[17] « Etiamsi inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur », PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.*, 35 (1943), 243.

[18] In aeterne damnato character nullam possibilitatem veri vinculi ad Ecclesiam testatur, sed tantum existentiam vinculi in delapsa terrena vita.

DE EPISCOPIS IN ECCLESIA

Episcopos esse « Apostolorum successores », D. N. Iesu Christi voluntate ad singulas Ecclesias regendas praepositos sub potestate suprema Romani Pontificis, semper Ecclesia docuit ac pluries publicis et sollemnioribus documentis affirmasse constat (cf.: Conc. T., sess. XXIII, cap. IV; Cod Iur. Can., can. 329/1°; Enc. *Mystici Corporis, A.A.S.* 1943, 212).

Quo vero Episcoporum dignitas, auctoritas et gratia magis cognoscantur perspicue ac maiore decorentur honore et oboedientia, iuxta Divini Ecclesiae Conditoris voluntatem, et inde etiam christifidelibus uberiores oriantur christianae vitae fructus et Ecclesiae augeatur unitas intima et apostolica vis, rem utilissimam facturum putamus proximum Concilium Oecumenicum si catholica doctrina de Episcopatu et de eius in Ecclesia auctoritate et munere denuo sollemniter pertractet ac penitus exponat.

Quae explanatio, nostra quidem sententia, non tantum omnibus efficiet magis apertam et perspicuam de Ecclesia doctrinam, sed etiam Ecclesiarum Orientis fratribus seiunctis facilius ad unitatem praestabit iter, necnon animos asseclarum Ecclesiae Anglicanae et aliarum religionis societatum ex protestantica reformatione exortis salubriter movere poterit ut ad unitatem cum Ecclesia Apostolorum tendant.[1]

Qua re doctrinam catholicam proponendam his putamus enunciationibus perstringi posse, quas breviter explicare adnotationibus quibusdam conabimur.

I – Singuli Episcopi, cum episcopali consecratione « Apostolorum successores » fiant, « charisma » quoddam accipiunt quod potestatum et gratiarum participes eos facit, quas Christus Apostolis et promisit et

---

[1] Iam cum Constitutio *De Ecclesia Christi* in Concilio Vaticano disceptaretur, ipsi Rev.mi relatores Deputationis fidei propositam doctrinam de Romani Pontificis primatu et infallibilitate expleri et perfici oportere, alia proposita doctrina de Episcoporum in Ecclesia munere ac potestate, aperte testati sunt. Cf. ad hoc: TH. GRANDERATH, *Histoire du Concile du Vatican,* vol. III/1 (Paris 1912), pars III; et G. DEJAIFVE, *« Sobornost » ou Papauté? La notion catholique de la Papauté,* « Nouv. Rev. Théol. » 1952, 466-484; vide etiam D. O. ROUSSEAU, *La vraie valeur de l'Episcopat dans l'Eglise,* « Irénikon » 1956, 121-142.

Quantam vero vim haec de Episcopatu doctrina in fratres seiunctos, orientales orthodoxos praesertim, habere possit clare insinuant: R. SPIAZZI, *Monitor Ecclesiasticus* 1959/III, 369-409; et D. O. ROUSSEAU, *La prochain Concile et l'unité de l'Eglise,* « Irénikon » 1959, 309-333.

contulit ab Ecclesiam suam aedificandam, regendam, sanctificandam et in totum orbem terrarum diffundendam.[2]

Quapropter omnis Episcopus episcopali consecratione accipit ac deinde perpetuo conservat Sacerdotii plenitudinem, quae eum in summa ordinis hierarchia statuit ad omnia gratiae et sanctificationis dona in tota Ecclesia administranda; accipit ac perpetuo conservat « charisma veritatis certum » (Ireneus, *Adv. Haer.*, IV, 26, 2), quod eum aptum facit ad publice et authentice populum christianum fidem docendam, si tamen in Episcopalis Conlegii comunione permaneat cui Romanus Pontifex praeest. Eadem causa omnis Episcopus viritim, donec a comunione cum Episcoporum Conlegio, cui praeest Romanus Pontifex, se minime seunxerit, particeps est potestatum et gratiarum quae Christus Iesus ad regendam Ecclesiam suis Apostolis promisit ac contulit et per quas Ipse vere ac perpetuo usque ad saeculorum consummationem in Ecclesia adest eamque regit ac gubernat.[3]

---

[2] Quod hoc loco profitetur id est quod semper Ecclesia docuit: nempe Episcoporum proprium esse quod Apostolis succedant. Hanc vero doctrinam, pristino christianorum vocabulo « charisma » utentes proponimus, quo Episcoporum potestates et munera proferuntur, de quibus postea agitur, et gratia necessaria ad ea efficaciter salubriterque exercenda in Ecclesiae bonum indicatur. Quod vocabulum antiquissimum opportunius proponendum putamus, quo et facilius haec loquendi ratio ab acatholicis quoque accipiatur ac probetur, et vitetur locutio quae quaestiones inter theologos controversas praepropere definire possit.

Episcopale charisma vocari etiam potest « charisma apostolicum », cum semper ac constanter Ecclesia docuerit Episcopis Spiritum Pentecostes tradi, quem Apostoli acceperunt ad Ecclesiam regendam: de quo vide testimonia prolata a J. LECUYER, *Le Sacerdoce dans le mystère du Christ,* cap. XII (Paris, 1957).

[3] Hoc loco definire ac affirmare contendimus quid significet « episcopale charisma » ut apparet in doctrina ab Ecclesia tradita, quin theologorum disputationum memoriam faciamus, videlicet:

a) Charisma episcopale continet ante omnia « plenitudinem potestatis ordinis », quae singulos Episcopos valide consecratos omnium Sacramentorum ministros ordinarios in tota Ecclesia efficit (cuius potestatis summus gradus et exclusivus est quod possint ipsum charisma Episcopatus transmittere), quamvis in hoc munere fungendo Ecclesiae praecepta et disciplina servanda sint.

b) Continet « charisma veritatis », quo singuli Episcopi post validam consecrationem iam parati efficiuntur et gratiam accipiunt ut veritatis magistri authentici pro universa Ecclesia et praesertim pro suis fidelibus fiant, iuxta leges et praecepta de ordinario et extraordinario Magisterio exercendo.

c) Continet denique « potestatem et gratiam regiminis » non quidem iam actu exercendas sed radicitus et quasi germen quoddam, quod tantum per Romani Pontificis actualem collationem iurisdictionis plenum et ad exercendum paratum eveniat, sive haec collatio fiat directa traditione Dioeceseos a Romano Pontifice,

Episcopalis ergo consecratio, qua Apostolorum potestates et charismata in Ecclesia perpetuo transmittuntur, cum caeremoniis comparari nequit quibus vel munus honorificum alicui sollemniter traditur vel iuridica potestas, sed iuxta certissimam traditionem liturgicam et patristicam verum Novae Legis Sacramentum habenda est, quod potestatis ordinis plenitudinem confert, praesbyteratui certe praestantem, episcopos consecratos idoneos efficit ad regendam Ecclesiam iuxta Romani Pontificis et sacrorum canonum normam, et gratiam denique tribuit necessariam qua in episcopali munere fungendo omnia dirigantur ad Mystici Iesu Christi Corporis aedificationem et animarum salutem, sicut decet « idoneos ... ministros Novi Testamenti » (*II Cor.* 3, 6).[4]

---

sive ut mos antiquitus erat per legitimam Episcoporum successionem in ecclesiis particularibus regendis.

Tribus his potestatibus, una cum gratia ad easdem salubriter exercendas necessaria, « charisma episcopale » constat, quo certo ac perpetuo in Ecclesia transmittuntur potestates et gratiae dona ad regendam Ecclesiam quae D. N. Iesus Christus Apostolis contulit, prout tum patristica tum liturgica primigenia traditio ea nobis repraesentant. De quo vide: J. LECUYER, *Le Sacerdoce dans le mystère du Christ,* cap. XII-XIII (Paris, 1957).

[4] Duo hic affirmare contendimus: episcopalem consecrationem verum esse Novae Legis Sacramentum, eamque potestatis ordinis plenitudinem conferre presbyteratui in ipsa linea ordinis superiorem.

Quas duas affirmationes recta ac vera de Episcopatu catholica doctrina requirit, quo magis perspicue declaretur Episcopatum non esse tantum hierarchicae iurisdictionis munus sed etiam, ut semper Sacra Liturgia et Patres docuerunt, potestatem sacram ad animos sanctificandos et Corpus Christi Mysticum aedificandum, quae potestatis sanctificandi ipsius Christi Domini Nostri particeps est, alio ac superiore gradu quam presbyteratus. Ad quod ostendendum observationes insequentes adnotare libet:

a) Liturgiarum omnium tum occidentis tum orientis ritus et preces in episcopali consecratione Sacramenti vim inesse certe docent, ut breviter videre est in scripto D. B. BOTTE, *L'ordre d'après les prières d'ordination,* in volumine qui inscribitur « Etudes sur le Sacrement de l'Ordre » (Paris, 1957), 13-35.

Quam Liturgiarum doctrinam aperte probat Constitutio « Sacramentum Ordinis », quae materiam et formam ad validitatem Sacramenti Ordinis definit; in qua doctrina docenda implicite quidem sed clare supponit episcopalem consecrationem ad Ordinis Sacramentum pertinere.

b) Orientis Patres unanimiter, Occidentis vero certe plerique, Sacramenti vim episcopali consecrationi tribuisse constat. Nec obstat quod quidam auctores hoc negaverint, cum id constet evenisse et invaluisse non sufficienter perspecta et trutinata sententia Ambrosiastri et S. Hieronymi. De hac re confer eruditissimum scriptum J. LECUYER, *Aux origines de la théologie thomiste sur l'Episcopat,* in ephemeride « Gregorianum » 1954, 56-89.

c) Ipsius Sancti Thomae sententia, quae magnum influxum habuit in poste-

Quae doctrina ac praecepta in memoriam revocanda videntur eorumque instanter supernaturale fundamentum affirmandum, ut christifideles Episcopum semper fidei acie inspiciant, eius auctoritatem ac dignitatem considerent, noverint etiam quantam venerationem et oboedientiam ei praebere debeant ut « in veritate ambulent » (cf. *II Giov.* 3-4).[5]

II – Episcoporum potestates Domini nostri Iesu Christi voluntate duplici possunt ratione exerceri, vel seiunctim vel communi actione; utraque autem ratione Romani Pontificis auctoritati subiiciuntur quem Dominus Iesus omnium et ecclesiarum et chistifidelium Pastorem supremum constituit.[6]

Episcopi singuli, cum legitime iuxta canones ecclesiae cuiusdam particularis regimini praeficiuntur iurisdictionis ordinariae potestatem propriam a Romano Pontifice accipiunt ad suas Ecclesias regendas suosque fideles, seu directa et immediata a supremo Pastore conlatione Dioeceseos singulis Pastoribus hoc accidat, ut nunc in Ecclesia pleraque fieri solet, seu in sua sede Episcopus legitima successione iuxta morem antiquissimum constituatur. Nemo enim nisi in communione cum supremo Pastore et eidem

---

riores theologos ad denegandam sacramentalitatem consecrationis episcopalis, iuxta recentiorum auctorum investigationes paulatim vim Sacramenti eidem tribuisse videtur. De quo vide: H. BOUESSE, *Episcopat et sacerdoce*: *L'opinion de St. Thomas,* in « Revue des Sciences religieuses » 1954, 368-391; et J. LECUYER, *Les étapes de l'enseignement thomiste sur l'épiscopat,* in « Revue Thomiste » 1957, 29-52.

d) Episcopalem consecrationem Sacramenti Ordinis plenitudinem conferre presbyteratui superiorem, aperte demonstratur his de causis: ea doctrina est quam semper et constanter Liturgiae et Patrum scripta docuerunt, si solam exceperimus sententiam theologorum Medii Aevii ob causas quas supra diximus; demonstratur etiam eo quod Episcopus tantum valide consecrare alium Episcopum possit; demonstratur denique eo quod charisma veritatis, quod omnes et solos Episcopos Ecclesiae Docentis participes facit, non vi iurisdictionis sed per episcopalem consecrationem accipiunt.

Doctores qui hanc superioritatem Episcopatus super praesbyteratum in linea Ordinis per praeterita saecula negarunt et hodie quoque negant, videntur non satis considerasse naturam Sacramenti Ordinis in lumine traditionis dogmaticae, sed magis quam oportet theologicae speculationi obtemperasse. De qua re vide J. LECUYER, *Théologie et Sacerdoce,* in volumine qui inscribitur « Tradition Sacerdotale » (Le Puy, 1959), 241-266.

[5] Vide: Enc. *Satis cognitum, A.A.S.,* 28, 737; Enc. *Mystici Corporis, A.A.S.,* 1943, 212.

[6] Vide: Enc. *Satis cognitum, A.A.S.,* 28, 734-737; Enc. *Mystici Corporis, A.A.S.*. 1943, 211-212.

servata debita subiectione nec Pastor fieri nec munere suo fungere legitime poterit.[7]

Cum autem singularum ecclesiarum pastores constituuntur, Episcopi singuli christianae veritatis magistri authentici suis fidelibus fiunt; Cleri et populi ductores in itinere christianae vitae, non tantum verbis et exemplis sed etiam vera imperii auctoritate, ita ut ipsius Domini Nostri Iesu Christi pareat voluntati qui Episcopi oboediat praeceptis, qui vero Episcopo non oboediat ipsius Christi voluntati contradicat; item iudices fiunt vera potestate praediti ad verbum Dei et Sacramenta opportune atque utiliter in suis Ecclesiis administranda; auctores denique et impulsores fiunt necnon moderatores omnium operum et conatuum tum apostolatus tum caritatis vim et vigorem afferant.[8]

Ex intima unione fidelium cum Pastoribus autem, quae spiritus supernaturalis et verae caritatis indicium et fructus est, cum intima unitas Ecclesiae oriatur atque eiusdem vis alliciendi animos ad christianam veritatem et vitam, ideo quam maxime verba revocari oportet ac constanter memorari illius Antiocheni sanctissimi Episcopi Ignatii: « Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem ... Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in ecclesiam » (Ad Smyrn VIII, 1), « ut quod facitis secundum Deum faciatis » (Ad Philad IV).

III – Cum omnis Episcopus episcopali consecratione in Episcoporum Conlegium assumatur et potestatum ac gratiarum particeps fiat quas Christus Dominus Apostolis contulit, idcirco potestates et dona ei conlata non ad suam tantum singularem Ecclesiam spectant, verum etiam ad universalem Ecclesiam. Nam Episcopi omnes, ut Apostoli quibus suc-

---

[7] Vide: Enc. *Satis cognitum, A.A.S.,* 28, 732-734.

[8] Ordinariam Episcopi potestatem in sua cuiusque Dioecesi magis definite hic declarare volumus ex his potestatibus constare:

a) auctoritate magisterii authentici, quod omnes fideles Episcopo subiectos obliget;

b) regiminis plena auctoritate, quae Pastorem animarum deceat, iuxta tamen Ecclesiae universae leges et praecepta;

c) auctoritate et munere apostolatus, quibus omnibus suae Dioeceseos consociationibus et laboribus praesit ad subiectorum sibi fidelium fidem vitamque supernaturalem promovendas.

Quae triplex Episcopi potestas Romani Pontificis superiorem ordinariam et immediatam auctoritatem, et ipsam « vere episcopalem », in omnes fideles minime excludit; quinimmo ipsam supponit eique coniungitur ac veluti in ipsam inseritur, quo plenius et efficacius universalis et plena potestas Ecclesiae in singulis ecclesiis per proprios Pastores in actum deducatur. De qua re vide responsionem Rev.mi DD. Fr. Zinelli ad emendationes Patrum super capite tertio Constitutionis *De Ecclesia Christi* in Concilio Vaticano (*Collectio Lacensis*, vol. VII, col. 346 s.).

cedunt, cum Romano Pontifice eiusque sub auctoritate, officii et muneris participes sunt bonum felicitatemque totius Ecclesiae universalis procurandi et provehendi, eorumque est Romano Pontifici operam dare in veritate revelata omnibus hominibus docenda, in christianae vitae moribus instituendis, in caritate erga fratres exercenda, in apostolico munere fungendo praedicandi Evangelii omnibus gentibus et docendi eas servare omnia quae Christus mandavit (cf. *Mt.* 29, 19-20).[9]

Quae cooperatio omnium Episcoporum bono procurando totius Ecclesiae diversis modis evenire potest. Modo maxime sollemni in Concilio Oecumenico, in quo omnes Episcopi ut iudices cum Romano Pontifice conveniunt ad affirmandam et infallibiliter declarandam veritatem revelatam, et tamquam veri nominis Pastores una cum eodem Pontifice supremam auctoritatem exercent in totius Ecclesiae disciplina definienda ac statuenda.

Nec tamen in orbe terrarum dispersi Episcopi, in sua quisque Ecclesia, partem in Conlegio Episcopali desinunt habere, et cum Romano Pontifice, cuius in munere apostolatus exercendo primi et natura proximi cooperatores sunt, Ecclesiae universalis bonum causandi participes esse officii.[10]

Ecclesia enim seiunctarum communitatum nequit tamquam congeries haberi, sed unum corpus est, sibi ipsi cohaerens, in quo singula membra sibi invicem membra sunt (cf. *Rom.* 12, 5), « et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra » (*I Cor.* 12, 26). Qua de re in sua quisque Dioecesi regenda Episcopi totius Ecclesiae bono studeant oportet: quam quisque ergo veritatem cum auctoritate docet, haec

---

[9] In memoriam hic revocatur illud Encyclicae *Fidei donum* de communi ac solidali omnium Episcoporum officio, quatenus legitimi sunt Apostolorum successores, ac una cum Romano Pontifice eiusque sub auctoritate, ad mandatum rite atque integre perficiendum quod Iesus Christus Ecclesiae dedit usque ad saeculi finem procurandae omnium hominum salutis: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba, quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ". Haec quae " omnes gentes... usque ad consummationem saeculi " amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis, communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, perseverat. In his namque, qui peculiari nomine "missi " appellantur, nempe Domini Apostoli, plenitudo apostolicae dignitatis residet, " quae est praecipua in Ecclesia ", uti S. Thomas Aquinas testatur » (*A.A.S.,* 1957, 237).

[10] Vide Enc. *Fidei donum,* loco ut supra.

totius Ecclesiae veritas esse debet; animorum sensus et morum disciplina, quibus suos fideles instituit, sensui ac disciplinae totius Ecclesiae respondere debent eamque uberiorem ac vigentem reddere; Ecclesiae totius aliarumque Dioeceseon necessitates Episcopis cordi esse debent ut suae cuiusque Dioeceseos.[11]

Caritatis vinculum omnes inter se christifidelium communitates mirum in modum coniunctas habere debet; licet enim suo quaeque regatur Pastore, et iuxta suas vivat legitimas ac traditas consuetudines et spiritum, omnes tamen Ecclesiae unitatem ac supremum caritate vinculum sibi maxime necessaria esse noverint, ut ne suspicio quidem oriatur schismatis in Corpore Christi. Quinimmo quo magis huius temporis condiciones et ipsos homines et hominum societates coniungunt quod ad civilem et humanam vitam attinet et inter se quam maxime obnoxios facit, eo coniunctius christifidelium communitates eorumque Pastores cooperari debent ad suum aliorumque bonum: quo enim magis spiritus, vita et agendi ratio hominum huius temporis a communi spiritu et condicionibus et moribus pendent, eo difficilius iisdem curandis in singulis Dioecesibus separatim prospici atque consuli potest. Quapropter et vires coniungere et auxilia opportuna inter se praebere Episcopos oportet, eodem quodam modo disciplinam moresque moderari, utili atque efficaci cooperatione Pastorum Dioeceseon iisdem in regionibus existentium, iuxta consuetudinem perantiquam Conciliorum particularium.[12]

---

[11] Vide Enc. *Fidei donum,* pars II: *A.A.S.,* 1957, 235-37.

[12] Si tantum considerare volumus saecula quae Nicaenae Synodo praecesserunt, ex anno 150 p. Ch. n. frequenti consuetudine, praesertim in Oriente, Episcoporum uniuscuiusque provinciae Concilia convenisse novimus ad diversa proposita consequenda: convocabantur enim ad haereses in ipso ortu refellendas (ut e. g. Concilia adversus Montanistas in Asia Minori); ad haereticos virosque turpium morum damnandos (ut e. g. Basiliden, Martialem Meridensem, Paulum Samosatenum, et cet.); ad disciplinam unanimem in Ecclesia statuendam (e. g. in controversia paschali atque in stabilienda disciplina pro lapsorum reconciliatione); ad doctrinas controversas definiendas (e. g. in doctrina adhuc controversa de validitate Baptismatis et Sacramentorum haereticorum); ad definiendam rationem agendi christianorum erga Romanorum imperium atque mores clericorum sanctiores praescribendos (v. g. in Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Ancirano, Neocaesariensi).

Iam saeculo III haec Episcoporum Concilia convocari poterant certis recurrentibus temporibus (ut e. g. certe constat evenisse in Africa singulos per annos). Nicaena autem Synodus iussit ut in omnibus provinciis Episcoporum Concilia bis in anno convocarentur, scilicet quadragesimae et autumni temporibus (can. 5): in quo quidem non omnino nova statuisse putatur, cum ea Synodus non novis rebus studeret sed traditam doctrinam et disciplinam confirmare vellet.

Quae Concilia provincialia eo spectabant ut communiter simulque ageretur

Quod eo facilius fiet quo magis pro certo habebimus omnes iuxta genuinam Ecclesiae traditionem, exceptione facta pro Romano Episcopo, non singulos Episcopos singulis Apostolis succedere, sed Episcopale Conlegium Conlegio Apostolorum quem Petrus praesidebat, ita ut in sua quisque Dioecesi Episcopus, quamvis Domini Nostri Iesu Christi Capitis Ecclesiae invisibilis vere locum teneat, tamen id fiat non iure quodam privato et personali sed semper ut membrum Conlegii Episcopalis cui Romanus Pontifex praeest.[13]

Fraterna haec et universalis unitas et caritas Pastorum in munere subeundo regendi non modo quisque suam, sed una cum Romano Pontifice eiusque sub auctoritate universalem Ecclesiam, certo certius Christi supremo desiderio respondent quo in Ultima Coena flagravit, et iis

---

in haereses et schismata depellenda, in viros christiano nomini noxios iusto iudicio plectendos, usque ad excommunicationem ac Episcoporum depositionem; spectabant etiam ut simul gravissimae quaestiones investigarentur communi consilio, atque ita quae statuerentur pro universa Ecclesia obligationem parere possent. Patribus enim persuasum erat id quod communi consilio Episcopi in Concilio etiam particulari statuissent, id totius Ecclesiae mentem manifestare, salvo iure ad Romanam Sedem appellandi (vide *Eusebii Caesareaensis Historiam Ecclesiasticam,* l. VII, cap. XXX).

[13] Duo hic enuntianda volumus, quae nisi admittantur putamus recte non posse cognosci quid Episcoporum munus in Ecclesia sit: *a*) singulos nempe Episcopos, si solum excipimus Romae Episcopum qui Petro succedit, haudquaquam singulis succedere Apostolis, Conlegium vero Episcopale cui praeest Romanus Pontifex Apostolorum succedere Conlegio cui Petrum Christus Dominus praeposuerat; *b*) Conlegium autem Episcopale, cui Romanus Pontifex praesit, unum quoddam corpus esse cuius Episcopi singuli necessario membra esse debent ut auctoritatem in Ecclesia habeant, ita ut potestas eorum sit potestas membrorum « corporis episcopalis » ad mentem eiusdem corporis exercenda, non individualis potestas personali quodam titulo possidenda et exercenda.

Quod prius asserimus ex Liturgiae et Patrum traditione eruitur, iuxta quam Episcopus consecratione episcopali assumitur in « ordinem Episcoporum »: de qua re vide B. BOTTE, *Caractère collégial du presbytérat et de l'épiscopat,* in volumine qui inscribitur « Etudes sur le Sacrement de l'Ordre » (Paris, 1957), pp. 97-124.

Quod autem alterum supra asserimus semper Ecclesia docuit, ut videre est e. gr. in Enc. *Satis cognitum, A.A.S.,* 28, 732-734.

Ex hac doctrina consequenter patet singulos Episcopos minime habendos esse veluti reges independentes et Romano Pontifici tamquam supremo Imperatori subiectos, sed potius omnes participes esse unius eiusque plenae potestatis quam Christus Dominus Apostolis reliquit, quae tota residet ac continuo perseverat in sacra hierarchia. Haec universalis et plena potestas vero duabus exerceatur rationibus: altera quidem omnino sui iuris nec cuiquam obnoxia, qua Romanus Pontifex universam regit Ecclesiam singulasque Dioeceses; altera vero, qua Conlegium Episcopale cui praeest Romanus Pontifex erga universam Ecclesiam et singulas Dioeceses potestatem habet, ita ut in sua quisque Dioecesi Episcopi, etsi vere eas gubernent

quoque qui extra Ecclesiam catholicam vivunt firmum testimonium praebere poterunt supernaturalis vitae, quae veram Ecclesiam informat ac vivificat, eamque tamquam « signum levatum in nationes » clarius demonstrabunt, quod « ad se invitet qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento, fidem quam profitentur » (Conc. Vat. sess. III, cap. III).

IV – Ex doctrina, quam supra de Episcopatu in Ecclesia exposuimus, quaedam oriuntur quae ad disciplinam attinent et iuridicam munerum distributionem, quaeque opportune a Concilio pertractanda videntur:

a) Episcopus, quippe qui in sua Dioecesi promovere ac moderari debeat omnia apostolatus caritatisque opera quae ad bonum animarum requiri possint, sub auctoritate quidem Romani Pontificis, potestatem et auctoritatem suam in omnibus apostolatus operibus Religiosorum iure exemptionis utentium exerceat oportet.

b) Cum apostolatus quaestiones et opera communiter iam per regiones vel nationes pertractari necesse sit, nova instauranda iuridica ratio videtur de mutuis inter Dioeceses finitimas vinculis et virium consociationibus, restauratis quoque Conciliorum particularium munere ac momento in Ecclesia iuxta perantiquam Ecclesiae consuetudinem.

c) Ratio et condiciones Ecclesiae per orbem diffusae in hac nostra

---

nomine Christi, tamen id faciunt quatenus totius Episcopalis Conlegii membra, cum quo et mentis et actuum communione continua cohaerere debent.

Non tamen ex his quae diximus consequitur singulos Episcopos privatim in aliorum Episcoporum Dioeceses earumque regimen sese immisceri posse, sed tantum singulos Episcopos totius Episcopalis Conlegii, ac praesertim eius Praesidis, consilia et voluntates respicere debere ad efficaciter salubriterque suam regiminis potestatem exercendam.

Sequitur deinde Episcopos suum munus non ad bonum propriae tantum Dioeceseos procurandum circumscriptum considerare posse, sed unumquemque eorum participem esse et se habere debere, cum aliis Episcopis cumque ipso Romano Pontifice, gravissimi muneris procurandi bonum Ecclesiae universae atque ad id quam maxime suas vires conferre debere.

Sequitur denique necessitates et ampliores quaestiones atque difficultates pastoralis muneris obeundi, quibus nec unius Dioeceseos vires nec plurium Dioeceseon separatim operantium conatus consulere possunt, complurium Episcoporum conlegialem operam requirere certis definitam iuribus et obligationibus, et communes conatus cohaerentes et ordine compositos earum Dioeceseon quarum sit curam gerere nationis vel civilis societatis cuiusdam, ut ad Christum Dominum perducatur: id quod pluries evenisse constat in Ecclesia antiqua, praesertim cum de barbaris ad Christum adducendis ageretur, sicut Concilia provincialia quae tunc temporis fieri solebant clare testantur.

aetate; scilicet hominum vita, mores, animorum maturitas, difficultates quoque, multo magis quam praeteritis temporibus diversa, suadere videntur aliam, saltem ex parte, in regionibus aliis disciplinam et posse et institui debere, ad quam vero opportune instituendam singulorum locorum Episcopi ut veri iudices auctoritate praediti, simul cum Romano Pontifice eique coniuncti ac subiecti operam praestare debent.

Qua re iuridica quaedam instituta opportune statuenda videntur, quae permanenter ac stabiliter relationibus procurandis inter Apostolicam Sedem et singulos locorum Episcopos faveant, quo efficacius et unitas necessaria et opportuna diversitas sibi invicem accommodentur. Ad quod assequendum propositum utile videtur Commissiones delectorum virorum constitui, quorum alios Sancta Sedes alios Episcoporum Conferentiae nationales delegerint, quae Commissiones statutis temporibus conveniant ad quaestiones pertractandas quas singulae Episcoporum Conferentiae Sanctae Sedi proponendas censuerint.

DE SANCTA LITURGIA

Percommodum esse videtur in Oecumenica Synodo doctrinam illam sollemniter affirmari quam de sanctae Liturgiae natura et notis praesertim in Litteris Encyclicis Summi Pontificis Pii XII i. m. quae *Mediator Dei* inscribuntur, die XX mensis novembris anno 1947 editis, expositam esse iam constat. Ibi enim Christifideles universi religiosae vitae primam maximamque significationem et Ecclesiae ad sanctitatem omnes perducentis actionem expressam esse videbunt, et « liturgicus motus » qui dicitur, tam apte feliciterque succrescens, necessarium habebit quo innitatur doctrinale fundamentum.

I. De sanctae Liturgiae natura

Ecclesia quae, quatenus Christi Corpus et Sponsa, eius personam operamque prosequitur, Spiritu Illi coniuncta atque submissa et ab Illo vitae fecunditate donata, Sacerdotium eius praesertim perpetuo tempore spatioque producit, ita ut ipsa quoque *sacerdotium sanctum* efficiatur ad offerendas *spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*,[1] et eius sodales *sacerdotes Deo et Patri suo* a Christo singuli constituantur.[2]

[1] *I Pt.* 2, 5.
[2] *Apoc.* 1, 6; cf. 5, 9-10.

Quod Christi Sacerdotium, cum Ecclesia communicatum, in sancta Liturgia praecipue agitur: in primis in Eucharistiae sacramento quod maxima actio esse videtur, ubi *verbum Domini* quod *manet in aeternum*[3] sollemniter annuntiatur atque sub sacramentalibus signis unicum Redemptionis sacrificium renovatur, deinde in ceteris sacramentis quae omnia ad Eucharistiam spectare creduntur, et in laude illa perenni quam in divino Officio maximeque Psalmis Deo salutari nostro attollimus. Sancta enim Liturgia Summi Sacerdotis redemptricem operam, Christi scilicet mortem et resurrectionem, qua ipse *in redemptionem acquisitionis* et *in laudem gloriae* Deo se obtulit,[4] nosque emundavit *ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi,*[5] commemorat atque repraesentat. Qua ratione, sicut in sacerdotali Christi actione, ita in Ecclesiae liturgica re, cui illa actu perpetuoque adesse videtur, *Deo Patri omnipotenti omnis honor* ascendit *et gloria,* dum homines inde *omni benedictione et gratia coelesti*[6] replentur. Indissolubilia ergo sunt in omni liturgica actione illa duo *sacrosancti et venerandi commercii:*[7] « scilicet cultus divinus et sanctificatio hominis; quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum autem e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem ».[8]

Sacra igitur Liturgia « cultum publicum constituit, quem Redemptor noster, Ecclesiae Caput, caelesti Patri habet; quemque Christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri tribuit; utque omnia breviter perstringamus, integrum constituit publicum cultum mystici Iesu Corporis, Capitis nempe membrorumque eius ».[9] Ex quo intelligi potest quanti momenti sit liturgicum signum: actus enim liturgici, cum ad cultum perfectum et *Deo placentem*[10] pertineant, maxima reverentia peculiarique splendore circumdari debent, quod Ecclesia symbolis caeremoniisque semper faciendum curavit. Quae qui conficit Christi et Ecclesiae nomine, ut maiestate et dignitate ipse indutus sit efficere debebit, cunc-

---

[3] *I Pt.* 1, 25.

[4] *Ephes.* 1, 14.

[5] *Hebr.* 9, 14.

[6] Ex Canone Missae.

[7] Illud « *admirabile commercium* », quod liturgici textus dicunt effici in Incarnationis mysterio (vd. Oratio secreta in Missa in nocte Nativitatis, Antiphona de Octava Natalis Domini), effici quoque affirmatur in sancto Missae sacrificio (vd. Orationes secretas Dom. IV post Pascha, XVIII post Pentecosten, feriae IV hebd. II de Quadrag.), et analogice in ceteris sanctae Liturgiae actionibus.

[8] S. THOMAS, *Summa Theologiae,* III, q. 60, a. 5, c.

[9] PIUS XII, Enc. *Mediator Dei*, p. I: *A.A.S.,* 39 (1947), 528-529.

[10] *Rom.* 12, 1.

tusque Christifidelium conventus eo erit erudiendus consilio ut scienter actuoseque pro sua quisque intersit potestate.

Interea exploratum habemus hunc « cultum, quem Ecclesia una cum divino Capite suo coniuncta, Deo praestat, sanctitudinis adipiscendae habere efficacitatem quam maximam »; [11] eiusque actus, cum inane signum non sint sed gratiae fons atque causa, viam praecipuam esse videri, qua Christifideles cum Salvatore suo copulentur, qui Sacerdotis et victimae munere « *consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* ».[12] Haec maxima liturgicorum actuum efficacia, quae, si opus sit, permittit ut in illis exequendis tantum quod primum praecipuumque est spectetur, requirit etiam ut « *in multa sollicitudine* » [13] conficiantur atque cura perspicaci; fidelibusque iniungit ut in illis sanctificationis suae subsidia exquirant perpetua.

Ex quo effici cogique potest in liturgica praesertim actione « *totius Ecclesiae mirabile sacramentum* » [14] et confirmari et augeri, eandemque Ecclesiam universum orbem in integrum restituere, conservorum et fratrum numerum dum complet [15] Deumque glorificat, « *donec veniat* » [16] Dominus ut « *civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem* » efficiat.[17]

II. De sanctae Liturgiae signis et notis

Cum in sancta Liturgia primum potissimumque universae Ecclesiae singulorumque Christifidelium vita significetur et actuetur vocatio, consequitur quod ipsa quoque, sicut et Ecclesia, quamquam suae naturae finibusque omnino fidelis semper maneat, tamen « prout temporum, rerum animorumque necessitates postulant » varias commutationes accipere possit.[18]

Ad istam sanctae Liturgiae notam speciatim omnium oculi advertantur oportet. Ipsa semper eadem sibique par est, ut idem semper et par esse creditur unicus sacerdos « *heri, hodie et in saecula* »,[19] utque fidelis stabilisque eius Ecclesia extare cognoscitur: idque, non solum quia liturgi-

---

[11] Pius XII, Enc. *Mediator Dei,* p. I: *A.A.S.,* 39 (1947), 532.
[12] *Hebr.* 5, 9.
[13] *I Thess.* 2, 2.
[14] Orat. post secundam lectionem de Sabbato sancto (in ordine vetere).
[15] *Apoc.* 6, 11.
[16] *I Cor.* 11, 26.
[17] *Hebr.* 12, 22; cf. *Apoc.* 3, 12; 21, 2. 9 ss.
[18] Pius XII, Enc. *Mediator Dei,* p. I: *A.A.S.,* 39 (1947), 541 ss.
[19] *Hebr.* 13, 8.

corum actuum substantia, ex ipso Christo rationem vimque suam trahens, numquam saeculorum decursu mutatur, sed etiam quia immutationes ipsae quas Ecclesia inducere potest in his quae ad rei substantiam non pertinent, minime ad arbitrium institutae esse videntur, sed naturale quoddam constituere iter et cursus, quod apud omnes christianorum aetates admirabilem perennemque unitatem sanctae Liturgiae tribuat et dignitatem egregie traditioni consentaneam. Illud tamen minime obstat quominus sancta Liturgia, quia Ecclesia « *ad mensuram aetatis plenitudinis Christi* » [20] occurrit atque omnes gentes sibi commissas attingit,[21] sub Summi Pontificis auctoritate Episcoporumque cura vigilanti commutationes progressusque patiatur; eaque, quod in omni re vita praedita fieri solet, non amplius in pristinum statum restitui possit: quapropter « qui ad antiquos redire ritus consuetudinesque velit, novas repudiando normas, quae ex providentis Dei consilio ob mutatas rerum condiciones fuere inductae, non is procul dubio, ut facile cernere est, sapienti rectoque movetur studio ».[22]

Oportet tamen labori huic Ecclesiae, quae materna cura panem parvulis petentibus frangere [23] sollicita est vehementer, in omnibus Christifidelibus, Pastorum suorum auctoritati obtemperantibus, ardens studium flagransque desiderium respondeat sui sustentandi non modo lacte, sed solido cibo; non solum « elementa exordii sermonum Dei » cognoscendo, sed etiam « *ad perfectiora* » se erigendo; [24] discant videlicet sanctae Liturgiae praestantiam gestusque primo intelligere illique summa religione atque studio interesse.

---

[20] *Eph.* 4, 13.
[21] MATTH. 28, 19.
[22] PIUS XII, Enc. *Mediator Dei,* p. I: *A.A.S.,* 39 (1947), 546.
[23] *Thren.* 4, 4; cf. Conc. Trid., sess. 22, c. 8.
[24] *Hebr.* 5, 11 ss.

FACULTAS THEOLOGICA
NEAPOLITANA

PONTIFICIA FACOLTÀ TEOLOGICA « S. LUIGI »

Neapoli, die 25 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Mitto ad Eminentiam Vestram Reverendissimam Votum, quod haec Pontificia Facultas Theologica Commissioni Pontificiae Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico Vaticano II, cui Eminentia Vestra Reverendissima digne ac sollerter praeest, proponit, iuxta litteras mihi die 18 iulii 1960 (Prot. n. 2 C/59-53) ab Eminentia Vestra Reverendissima datas.

Votum sequentia complectitur:

I. De Ecclesia Christi.

II. De cognitione Dei naturali et supernaturali.

III. De statu supernaturali hominis.

IV. De necessitate baptismi et de sorte infantium sine eo decedentium.

V. De theologia morali: de sensu et valore normae moralitatis christianae; de castitate, praesertim coniugali; de iustitia et caritate in vita sociali.

VI. De clericis.

VII. De cultu divino: de lingua vulgari in usum liturgicum introducenda.

VIII. De praecepto paschali.

IX. De indulgentiis.

X. De matrimonio.

XI. De temporibus sacris.

XII. De prohibitione librorum.

XIII. De fidei professione.

XIV. De beneficiis ecclesiasticis.

XV. De poenis in singula delicta.

XVI. De theologia pastorali: de catechismo biblico et dogmatico.

Hanc occasionem nanciscor Eminentiae Vestrae Reverendissimae Superiorum, Professorum et Auditorum huius Facultatis devoti animi sensus profitendi.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae
add.mus

GUSTAVUS GALEOTA, S. I.
Praeses

I

DE ECCLESIA CHRISTI

Est in votis ut Concilium Oecumenicum, complendo tractationem de Ecclesia a Concilio Vaticano inceptam et non perfectam, exponat munus Episcopatus cooperandi cum Summo Pontifice in regenda universa Ecclesia.

Cum enim Ecclesia, Corpus Christi mysticum, concredita sit curae pastorali Petri et Apostolorum, atque horum successorum, Episcoporum seu Ordinariorum, opportunum videtur ut Episcopale Collegium, fundatum utique in soliditate Petrae summi Pontificis, eique hierarchice subiectum, clarius compertum habeat sibi concreditam esse curam totius Ecclesiae Christi et non tantum singularum cuiusque ecclesiarum particularium.

Quare sollicitudo omnium Ecclesiarum totiusque Ecclesiae catholicae afficiat Pastores Ordinarios oportet non solum cum congregantur in Concilio oecumenico, sed etiam extra illud, cum cooperantur cum Supremo Pastore in docendo et gubernando totum ovile Christi, sive regendo sparsim suas quisque dioeceses, sive etiam, frequentius in dies a Summo Pontifice arcessiti veluti extraordinarii et potiores cooperatores Curiae Romanae, aut singuli aut potius collegialiter, saltem iuxta regiones, collatis consiliis et opera, expediendo negotia Ecclesiae universae.

Quo Episcopatus in universali Ecclesiae regimine auctoritatis, non autem autonomiae et independentiae territorialis, quae divisionibus fomentum praebere solent, augmento, etiam totius Ecclesiae bonum commune incrementum sumet.

Ad quem finem conducet etiam aequa religiosarum familiarum Ordinariorum subordinata participatio in cura pastorali Summi Pontificis eorumque cooperatio cum Episcopis, aemulis difficultatibus mutuo respectu devitatis.

Immo et Orientalium ecclesiarum fratres separati facilius invitamentum ad Ecclesiae unitatem invenient, cum subiectio eorum Antistitum Summo Pontifici non ut capitis imminutio sed ut auctoritatis integratio in participando regimine totius Ecclesiae apparebit.

II

DE COGNITIONE DEI NATURALI ET SUPERNATURALI

Postulatur ut declaretur quantum differat supernaturalis de Deo cognitio a naturali cognitione et quaenam sit concordia inter duos cognitionis ordines.

In sacra theologia, cum agant de ipso Deo, plerumque repetunt easdem propositiones et adhibent eosdem prospectus ac in theologia naturali; sic etiam in praedicatione verbi communiter non superant limites alicuius generalis « Deismi ». Nec constat quinam sit nexus inter Deum rationis et Deum revelationis.

Sed documenta revelationis et theologiae nos urgent ad superandum hunc statum rei.

Deus debet esse obiectum fidei: « Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se rumenerator sit » (*Hebr.* II, 6); et in primo articulo symboli profitemur: « Credo in unum Deum... ».

Per fidem habetur cognitio nova et superior de Deo. Est cognitio « altior », « perfectior », « dignior » (cf. *Summ. Theol.* I, q. I, a. 5; q. 12, a. 13).

De praesentia huius christianae sapientiae agit Cath. Rom., in Parte I, cap. II, n. 6. Excellentia huius cognitionis supernaturalis eminet tum quoad principium subiectivum tum quoad principium obiectivum.

Certius et clarius se Deus hominibus cognoscendum praebuit suo verbo revelato: « huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (Canc. Vat., Sess. III, Const. *de fide catholica,* cap. 2; Denz. n. 1786).

Character autem supernaturalis huius cognitionis, quae habetur per lumen fidei et non per vim rationis, praebet eius absolutam necessitatem ad salutem: « Sine fide autem impossibile est placere Deo ».

Praeterea, obiectum cognitionis supernaturalis est « aliquid aliud » (*De Ver.,* q. 10, a. 12, ad 5 in contr.), omnino excedens cognitionem naturalem de Deo. Divina revelatio non instituit abstractum ratiocinium de Deo sed narrat concrete « historiam salutis » et exhibet Deum ut liberum et benevolum actorem istius mirabilis historiae, cuius epilogus est Incarnatio Verbi. Summum revelationis de Deo est manifestatio mysterii ipsius vitae intimae Dei, mysterium Trinitatis seu Pa-

ternitatis Filiationis et Amoris. Hic est Deus revelationis et fidei, Deus Domini Nostri Iesu Christi.

Haec nova cognitio de Deo fundat novam experientiam religiosam et novam vitam spiritualem seu fundat proprie religionem christianam.

Distinctio inter duplicem ordinem cognitionis iam proponitur a Concilio Vaticano: « Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus innotescere non possunt » (Sess. III, Const. *de fide catholica,* cap. 4; Denz. n. 1795).

Quae distinctio tamen non tam est urgenda ut dissolvatur unitas nostrae cognitionis, et vitae religiosae.

Nam haec unitas exstat ontologice, quia unum est in se revera obiectum cognitum; psychologice, quia idem est semper subiectum cognoscens; logice, quia etiam cognitio supernaturalis habetur per signa naturalia, sub lumine fidei; demum ethice, quia homo, destinatus ad visionem beatam, debet necessario recipere verbum Dei revelatum et tenere hanc cognitionem fidei quae est via ad visionem.

Quoad hanc quaestionem cf.: Vincenzo Caporale S. I., *Conoscenza naturale e conoscenza soprannaturale di Dio,* in *La Civiltà Cattolica,* 1959, II, 561-573, *qui alligatur.*

III

DE STATU SUPERNATURALI HOMINIS

Explicetur doctrina de gratuitate status elevationis hominis ad ordinem supernaturalem, sive quoad finem ultimum, consistentem in visione intuitiva Dei, sive quoad gratiam sanctificantem, quae est inchoata participatio vitae divinae hic in terris, consummanda in patria.

Definitio huius doctrinae iam parata erat in primo Concilio Vaticano: cf. schema reformatum Constitutionis dogmaticae de doctrina catholica, relatio de schemate reformato, caput III, de hominis elevatione et lapsu, n. 1, 2, 3, 4 et canones, III de hominis elevatione et lapsu, 1, 2, 3 (cfr. *Collectio Lacensis* VII, col. 555-558; 566).

Rationes:

1. Praeterquam quod inde a Concilii Tridentini tempore varii er-

rores (Baii, Iansenii, Iansenistarum) Ecclesiam perturbarunt, circa supernaturalitatem donorum humano generi concessorum ante lapsum Adae, et per Christum restitutorum, definitio necessaria visa est tempore Concilii Vaticani primi « propter... errores... naturalismi vel rationalismi » (cf. *Collectio Lacensis,* VII, 558), quorum impetus in dies crescunt.

Addantur errores Socialistarum et Communistarum penitus negantium alteram vitam in caelo, quae secundum doctrinam revelatam consistit in visione Dei intuitiva, omnino indebita humanae naturae.

2. Post Concilium Tridentinum, in quo expresse definitur Adam sibi et nobis amisisse sanctitatem et iustitiam (sess. V, can. 2), vox *supernaturale* apparet in quibusdam documentis Ecclesiae (cf. prop. 21 Baii damnata), sed non determinatur sensus, unde exortae sunt falsae interpretationes, quae non parum nocent puritati doctrinae revelatae.

3. Nostris temporibus, cultui naturae imbutis, imminet periculum ne populus christianus obliviscatur eorum quae spectant aeternam felicitatem, et deditus iis quae sunt parvuli (cf. *1 Cor.* 13, 11), amittat aeternam beatitudinem, consistentem in visione supernaturali Dei.

4. Ut nota propria religionis christianae, quae supernaturalis est ratione finis et mediorum, oculis omnium affulgeat, et sic qui foris sunt attrahantur pulchritudine eius ad fidem catholicam amplectendam.

IV

DE NECESSITATE BAPTISMI ET DE SORTE INFANTIUM SINE EO DECEDENTIUM

Petitur ut Concilium decisionem dogmaticam pronuntiet de sorte infantium conceptorum et in utero matris decedentium vel natorum sed propter multiplices circumstantias et variis de causis sine baptismo defunctorum.

In praesentiarum enim dantur elementa quae ancipitem rem relinquere videntur.

Tota quaestio ad hoc reducitur: estne limbus puerorum admittendus?

Pro limbo puerorum militare videntur:

1. persuasio in populo catholico exsistens cuius originem historice determinare sat difficile est;

2. doctrina theologorum, quae communis esse videtur. Hoc patet:

a) ex auctoribus fere omnibus manualium theologiae, paucos si

excipiamus, rem tractantium quando, ex professo, de necessitate baptismi agunt;

b) doctrina multorum auctorum quaestionem de limbo explicite aggredientium.

Inter alios: L. Billot, S. I.,[1] W. Stockums,[2] A. Gaudel,[3] a quibus multi alii dependere videntur.[4]

3. Aliqua documenta Magisterii Ecclesiastici quorum alia necessitatem baptismi ita definiunt ut nullam relinquant spem pro infantibus sine eo quocumque modo decedentibus; [5] alia explicite pro limbo militant.[6]

Contra limbum autem diserte et aperte multi theologi scripserunt et scribunt:

— varia afferentes argumenta; [7]

— multiplici modo documenta Ecclesiae, nota 6 relata, interpretantes ita ea explicando ut ostendant mentem Magisterii numquam fuisse doctrinam de limbo auctoritative sancire.

---

[1] « La Providence de Dieu et le nombre infini d'hommes dehors de la vie normale du salut », Etudes (1919-1922), Tome 161, pp. 129-149; T. 162, pp. 129-152; T. 163, pp. 9-32; ultimi duo articuli tractant de pueris.

[2] « Das Los der ohne die Taufe sterbenden Kinder, Freiburg im Br. 1923.

[3] « Limbes », *DTC* IX-I (1926) col. 760-772. Cfr. etiam « Où en est le problème du salut des infidèles », in *Revue des Sciences Religieuses* 5 (1925) 660-669 e *Bulletin thomiste* IV (1936) n. 1182, pp. 757-762.

[4] Bittremieux, Cayrè, Diepen, Michel, Mc Carthy, O'Connor etc. quorum scripta recensita fas est videre in art. W. A. VAN ROO, S. I., *Infants dying without baptism: a survey of recent literature and determination of the State of the Question,* in *Gregorianum,* vol. XXXV, 3 (1954), pp. 406-473.

[5] Praesertim Concilium Carthaginense contra Pelagium, de peccato originali et gratia, c. 2 (D. 102) et alia multa.

[6] Ep. « *Maiores Ecclesiae causas* » Inn. III ad Ymbertum archiep. Arelatensem sub finem 1201 (D. 410) « poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati est gehennae perpetuae cruciatus »; Professio fidei Michaelis Paleologi, Conc. Florentinum (D. 693); Const. *Auctorem Fidei,* 28 aug. 1763, damnans errores synodi Pistoriensis; 26 error de poena decedentium cum solo originali, de bapt. § 3 (D. 1526).

Cf. etiam *Catechismus Romanus,* pars II, n. XXXIV; *Cat. Pii X,* q. 100.

Cat. Catholicus, cura et studio Petri Card. Gasparri concinnatus, 1930, p. 197, q. 359, et p. 198 n. 1.

Allocutio Pii XII his quae interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter ostetrices, Romae habita die 29 oct. 1951 (*A.A.S.*, XXXXIII, 1951; p. 841).

[7] Haec argumenta legi possunt in scriptis infra relatis; eorum autem analysis et discussio videre fas est in art. cit. P. W. VAN-ROO, S. I., cf. n. 4.

Inter alios auctores maioris notae recensentur Ch.-V. Héris, O. P.,[8] G. Mulders, S. I.,[9] E. Boudes,[10] M. Laurenge, S. M.,[11] et alii.[12]

Magisterium Ecclesiasticum numquam hucusque de his scriptis et opinionibus palam defensis iudicaturum intervenit.

Immo constat mentionem de limbo non amplius fieri in catechismis aliquarum regionum nuper editis: Hoc certo constat de novo catechismo Germanico [13] et de catechismo Statunitensi.[14]

Hoc autem Magisterii Ecclesiastici silentium ita plures interpretantur quasi Ecclesia anceps haereat circa doctrinam de limbo vel a priore positione recesserit.

In alios, qui, tenaces adhaerere traditionali doctrinae praeferunt, fluctuationem ingessit mentis.

Nec res videtur posse in praesenti statu relinqui cum haec quaestio et relativa discussio multiplices tangat veritates dogmaticas.[15]

V

DE THEOLOGIA MORALI

Cum christiana morum doctrina varias difficultates sive practicas in hodierna evolutione temporum, sive teoreticas, ex influxu subiectivismi, praesertim ex sic dicta Ethica situationis, experta sit, *exprimitur votum* ut Concilium oecumenicum agat, inter alia, de:

1) sensu et valore normae moralitatis christianae;
2) de castitate, praesertim coniugali;
3) de iustitia et caritate in vita sociali.

1) Vita moralis non indiget solum normis, quas ad minimum casui-

---

[8] *Le salut des enfants morts sans baptême,* in *Maison-Dieu,* cahier 10 (1947), 86-105.

[9] *Geoof zonder prediking,* in *Bijdragen* 8 (1947), 89-103.

[10] *Réflections sur la solidarité des hommes avec le Christ,* in *Nouvelle Revue Théologique,* 71 (1949), 589-604.

[11] *Esquisse d'une étude sur le sort des enfants morts sans baptême,* in *L'année théologique Augustinienne,* 12 (1952), 145-185.

[12] Cf. W. Van-Roo, S. I., *art. cit.*

[13] *Katholischer Katechismus der Bistuemer Deutschlands,* Verlag Herder, Freiburg, 1956.

[14] *The new Baltimore Catechism and Mass,* ed. by Michael A. McGuire, New York, Benzinger Brothers, Inc. (official revised edition), 1953.

[15] De praedestinatione et voluntate salvifica Dei, de peccato originali eiusque effectibus, de Redemptione obiectiva et subiectiva, et aliis.

stae reducere contendant, sed gratia Christi, cum pro quolibet fideli requiritur participatio et imitatio vitae Christi.

Quare mediante vita religiosa eiusque auxiliis, fideles contendere debent ad progressum in vita morali et servare poterunt mandata etiam usque ad heroismum, nihil concedendo relativismo morali.

2) Amor Christi et Ecclesiae sine limitibus carnis inducit castitatem perfectam. Quae est exemplar etiam amoris coniugalis, cuius dignitas non in limitatione exclusiva affectus carnalis neque in eiusmodi delectationibus, sed in deditionem erga coniugem et filios consistit.

Usus ipse coniugii praebet medium instinctivum, plane licitum, ad unionem animorum inter coniuges et ad prolem generandam et educandam, sed non constituit valorem ipsum unitivum amoris coniugalis.

Immo, ne facile delectatio deordinetur et quaeratur propter se, remedium invenitur praecise in deditione et in amore erga coniugem et erga prolem, non in simplici satisfactione.

Hoc sensu recolenda videtur doctrina de finibus matrimonii, ut clarius appareat subordinatio et coordinatio finium secundariorum sub fine primario prolis generandae et educandae, ad quem etiam mutuus amor coniugum conducit cum proles indigeat eorum amore et unione ut plene educetur.

Recolenda pariter videntur quae Summi Pontifices Pius XI et Pius XII docuerunt contra abusum neomalthusianicum.

3) Summa redigatur doctrinae a SS. PP. Pio XII, Pio XI et Leone XIII traditae circa quaestionem socialem, ut facilius diffundatur inter fideles et in praxim deducatur, auctoritate Concilii interposita.

Speciale momentum habent problemata oeconomica, familialia, politica, quae respiciunt pacem et cooperationem internationalem, necnon auxilia ferenda populis, qui depressione, sic dicta, laborant.

VI

DE CLERICIS

Haud possibile est sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui aetatis huius nostrae necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis *sanctitatis* fulgore praeluceant [1]

Defectiones praeterea non paucae sacerdotum, per apostasiam vel per vitam statui clericali non conformem, suadent seriam reformationem in ratione seligendi, instituendi et conservandi.

---

[1] *A.A.S.*, 42 (1950), 658, Adhortatio Apostolica *Menti nostrae* Pii XII.

A) Selectio

1. Videant Patres quomodo efficacius perfici possint criteria et monita non pauca nec levia a Summis Pontificibus recentioribus tradita.[2] Praesertim principia:

a) Ut quis ad sacros ordines admittatur, *positiva* signa divinae vocationis requiruntur, et non sufficit absentia signorum negativorum.[3]

b) Unde in causa pertractanda, ii, ad quos pertinet, *tutiorem* semper sententiam amplectantur.[4]

II. Opportunum videtur ut Patres declarent in quo proprie consistat *vocatio* sacerdotalis et religiosa, quaenam eius elementa essentialia, ut vitentur confusiones in interpretatione documentorum Summorum Pontificum et ut praxis Moderatorum securior et uniformior evadat.

In particulari, desideratur ut in declaratione *idoneitatis* adhibeatur criterium complexivum, respiciens omnes aspectus.[5]

B) Institutio

I. Pro pueris scholae mediae inferioris, qui signa vocationis ostendunt, promoveantur *scholae paroeciales aut inter-paroeciales,* in quibus ad modum Semi-Convictus, pueri instituantur. Putamus enim pueros, hodie praesertim, inde a primis annis in collegiis clausos, carere illa « integratione psychologica », quae in familia, veluti naturali ambitu, suam evolutionem spontanee sortitur.

II. Ubi hae scholae institui non possunt, erigantur collegia ad modum Convictus, distincta omnino a Seminario proprie dicto sive ratione indolis sive ratione sedis, disciplinae et habitus exterioris alumnorum. Tamen haec Collegia reserventur pueris selectis (élite), qui scholas paroeciales aut interparoeciales nullo modo adire possunt *et* peculiaribus dotibus ornati sunt.

III. *Seminarium minus* destinari convenit adulescentibus, qui curriculo medio superiori studiorum classicorum dant operam. *Seminarium* vero *maius* servetur candidatis qui studia philosophiae scholasticae et Theologiae aggrediuntur et sit separatum, quantum fieri potest, etiam quoad sedem, a Seminario Minori.

---

[2] *A.A.S.,* 28 (1936), 39, 41, Littera Enc. *Ad Catholici Sacerdotii* Pii XI.

[3] *Ib.,* 42-43.

[4] *Ib.,* 41.

[5] *Ib.,* 41.

Separatio Seminarii minoris a Seminario maiori suadetur rationibus, quae spectant tum institutionem iuventutis in genere, tum specificam institutionem clericorum in singulis stadiis suae vocationis.

Antequam incipiant curriculum saltem Philosophiae scholasticae, alumni *habitum clericalem* induant.

IV. *Detur temporis intervallum* (saltem per integrum annum), quo candidati vel ante curriculum theologicum vel hoc curriculo peracto, sed ante ordines sacros, vel saltem ante sacrum presbyteratus ordinem, extra Seminaria degant et applicentur, iudicio Ordinarii, in A. C., in docendo pueros cathechesim, in Institutis, de quibus supra, in exercendo ministerio suo ordini consentaneo, etc. Hoc tempore clerici suas vires ad officia sacerdotalia rite obeunda experiri et « sensim prudenterque in intima populi consilia penetrare » possunt, « ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque additi muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret ».[6]

V. In Philosophiam scholasticam alumni per integrum biennium incumbant, aut saltem per integrum annum, si in curriculo studiorum mediorum classicorum aliquibus tractatis philosophiae scholasticae operam dederint.

Hoc tempore peculiari modo etiam *vitae interiori* informentur.

IV. Ubi conveniens institutio alumnorum nequit haberi, constituantur Auctoritate Apostolica, Seminaria interdioecesana vel regionalia.[7]

C) Conservatio

I. Votum facimus ut quae Summus Pontifex Pius XII in exortatione *Menti nostrae* habet tum circa « Collegia » sacerdotum iuvenum,[8] tum circa « vitam communem » sacerdotum in genere,[9] *vim legis* sortiantur.

II. Ut vita clericorum magis *spiritui evangelico* conformis servetur, desideratur ut simplicitas et humilitas etiam in exteriori fulgeat. Ita, v. g. honores et dignitates mere ecclesiasticae (Monsignori etc.) vel supprimantur vel saltem ne sint affixae cuidam scalae hierarchiae officiorum.

---

[6] *A.A.S.,* 42 (1950), 686-687, Adhortatio Apostolica *Menti nostrae* Pii XII.
[7] Can. 1354, § 3.
[8] *A.A.S.,* 42 (1950), 692, Adhortatio Apost. *Menti nostrae* Pii XII.
[9] *A.A.S.,* 42 (1950), 693, Adhortatio Apost. *Menti nostrae* Pii XII.

D) Ordines Sacros et apostolatus laicorum

Ex uno capite, dinamismus vitae hodiernae et necessitates apostolatus, clericos ita occupant et distrahunt ut saepe eorum ministerium stricte sacerdotale detrimentum non parvum patiatur.

Ex alio capite, numerus in dies maior laicorum, qui spiritu profunde evangelico imbuti sunt, capax est collaborandi cum clericis in muneribus apostolicis.

Videant Patres quousque possit extendi cooperatio laicorum qui servitio Ecclesiae se voverint, et utrum opportunum videatur ut illis ordines minores et forte etiam maiores, subdiaconatus et diaconatus, conferantur.

Hoc modo melius providebitur tum selectioni candidatorum ad presbyteratum, tum efficaciae ministerii stricte sacerdotalis. Nec deerunt, immo augentur vires aptae ad omnes formas apostolatus catholici.[10]

VII
DE CULTU DIVINO

De lingua vulgari in usum liturgicum introducenda

Proponitur ut, serio et obiective consideretur, problema introducendi in usum liturgicum linguam vulgarem, saltem quoad illas actiones liturgicas vel partes actionum liturgicarum in quibus fideles aliquomodo partes habent vel intersunt.

Postulatur ut saltem commoda et incommoda obiective ad trutinam revocentur.

Constat enim fideles, etiam in regionibus latinis, propter defectum intelligentiae et consequentis participationis activae in vitam liturgicam, ab eius essentialibus et ab Ecclesia approbatis formis sensim sine sensu recedere ut animum ad devotiones quasdam converterent quae superstitionem quandoque sapiunt.

Nec videtur introductio sic dicti « commentatoris » huic gravi incommodo satis occurrere cum unio fidelium cum sacerdote actionem liturgicam perficiente illo careat charactere immediato qui a sensu Ecclesiae postulatur quique in vitam christianam formandam et evolvendam primis Ecclesiae saeculis influxum sortitus est mirum.

---

[10] Cf. *A.A.S.,* 49 (1957), 924 ss., Allocut. Pii XII « iis qui interfuerunt conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro laicorum apostolatu, Romae ».

VIII

DE PRAECEPTO PASCHALI

A) Postulatur: modificatio praecepti paschalis.

B) Explicatio: declaretur quod omnis qui communionem sumit, Pascha celebrat; ideoque praeceptum paschale adimpletur communione quovis anni tempore; commendetur tamen semper communio in Pascha.

C) Motiva:

1. Est iam praxis in actu, ut apparet ex tendentia generali in Ecclesia extendendi limites intra quos praeceptum adimpleatur:

a) Codex I. C. (can. 859 § 2) agnoscit facultatem Ordinariis locorum anticipandi praeceptum (non ante dominicam quartam quadragesimae) idque prorogandi (non tamen ultra festum SS. Trinitatis).

b) Aliqui Episcopi facultatem faciunt illud anticipandi inde a die Cinerum.

c) Adest praeterea privilegium in aliquibus Basilicis, quod conceditur etiam religiosis missionariis, extendendi tempus paschale ad integrum annum (a Paschate ad Pascha) (cf. Cappello, *De Sacramentis,* I, n. 478; Iorio, *Theologia Moralis,* vol. III, n. 288).

2. Extat interpretatio authentica Papae Eugenii IV, qui protulit principium « cum dicat canon Ecclesiae: omnis utriusque sexus fidelis etc. ... dicimus expresse non intentionis legislatoris fuisse animas illaqueare fidelium, sub culpa mortali, ad communicandum praecise in die resurrectionis dominicae, sed terminum statuisse a Pascha ad Pascha; cum dicit semel in anno et infra ad minus in Pascha etc. ... Mens enim magis quam verborum sonus est attendenda » (Ep. *Fide digna,* 8 iulii 1440, in Gasparri, *Fontes,* I, pp. 77).

3. Incommoda multa derivantur ex modo quo nunc temporis praeceptum observatur, inter quae praecipua adnumerantur sequentia:

a) Multitudo fidelium ipso die Paschatis, vel diebus proximioribus, ut plurimum impraeparatis, maxima festinatione accedunt ad sacramentum sive paenitentiae, sive eucharistiae; quidam videntur ritum adimplere externum tantum.

b) Cura pastoralis paroecialis hodierna non est apta ad adiuvandos fideles ut praeceptum paschale fideles rite adimplere possint.

4. Ratio suprema praecepti, vivendi scilicet mysticam unionem cum Christo et cum Ecclesia saltem in festo Paschatis, tam essentialis est communioni eucharisticae, ut toties habeatur mystica unio quoties Eu-

charistia sumitur attente et devote, non formalistice, festinanter, sine devotione.

Ideoque se communicare est semper Pascha celebrare, quocumque die « a Pascha ad Pascha ».

IX

DE INDULGENTIIS

Elenchus indulgentiarum videtur restringendus, expurgatis omnibus illis quae, praesertim si tantum rebus et locis inhaereant, periculum formalismi vel alia pericula secum ferant, uti sunt, v. g., indulgentiae plenariae toties quoties.

X

DE MATRIMONIO

Simplificanda videtur forma matrimonii ita ut ad validitatem requiratur sola assistentia duorum testium et sacerdotis *non excommunicati vel interdicti vel suspensi a divinis per sententiam,* qui non invitus *requirat excipiatque contrahentium consensum.*

Reliqua vero quae in cc. 1094-1097 indicantur, praescribantur ad liceitatem, sub gravi et additis, si casus ferat, sanctionibus poenalibus in sacerdotem qui contra praescripta canonum matrimonio assistat.

Ratio est quia non pauca matrimonia invalide contrahuntur et iudicialiter nulla declarantur « ex defectu formae ».

Ad imminuendum numerum talium casuum, doctrina et iurisprudentia canonica extendit institutum erroris communis, seu praescriptum canonis 209, ad formam matrimonii, quamvis assistentia Ordinarii, vel Parochi loci non sit proprie actus iurisdictionis.

Recenter (26 martii 1952) Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos declaravit « praescriptum canoni 209 applicandum esse in casu sacerdotis qui delegatione carens matrimonio assistit » seu « in errore communi ... ecclesiam supplere delegationem qua carebat sacerdos qui unice ex delegatione matrimonio assistere valide poterat ». In *recto* ergo declaratum est ecclesiam supplere *si error communis verificetur.* Quidam autem doctores inde concluserunt errorem communem semper verificari, quasi responsum declarasset errorem communem *verificari.* Si res ita se haberet, nullus certe casus nullitatis ex defectu formae haberetur amplius. Sed cur ad talem effectum ius obiectivum pervenire deberet tam obtorto itinere quando rectior et facilior

prostat via, nempe mutatio ipsius legis de irritante in mere praeceptivam?

Doctrina praevalens, et S. R. Rotae iurisprudentia, responsum anni 1952 aliter interpretatae sunt: errorem nempe communem verificari quidem posse in defectu delegationis, sed tantummodo si pseudodelegatus sit vicarius paroecialis aut alius sacerdos qui in loco matrimoniis assistere soleat.

Et ita casus nullitatis matrimonii ex defectu formae adhuc possibiles sunt et non pauci dantur.

Nec iustificantur ex « bono altiore », seu ex fine legis. Finis enim legis, nempe vitatio matrimoniorum clandestinorum, aeque obtineri potest per reformationem legis in praesenti voto indicatam.

XI

DE TEMPORIBUS SACRIS

Aptandus videtur hodiernis temporibus conceptus requiei festivae et laboris ei contrarii. Distinctio, v. c., laboris in opera servilia et opera liberalia nostris temporibus non congruit.

XII

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

Expurgandus videtur Index librorum prohibitorum, his tantum libris retentis qui alicuius actualitatis sunt.

Facultas autem dandi licentiam legendi singulos libros prohibitos (can. 1402) videtur extendenda ad confessarios, ad parochos et ad superiores locales religiosorum pro suis subditis.

Ratio extensionis est quia saepe urget necessitas legendi librum aliquem et insuper quia confessarii, parochi et superiores locales melius nosse possunt pericula quae pro singulis adesse possunt cum eorum vires spirituales, sive intellectuales sive morales, ipsis melius innotescant

XIII

DE FIDEI PROFESSIONE

Restringendus videtur notabiliter numerus casuum in quibus professio fidei emittenda est sive ex praescripto can. 1046 § 1, nn. 1-9, sive ex concomitantia cum obligatione emittendi iuramentum antimodernisticum de quo in Motu Proprio C. Pii X *Sacrorum Antistitum* (*A.A.S.* 1910, pp. 667-68) et in Declaratione S. Congr. Cons. diei 25 sept. 1910, V-VII; *A.A.S.* 1910, p. 741). Ratio est quia *ab assuetis non fit passio.*

Obligatio emittendi iusiurandum contra modernismum relaxanda videtur cum inducta fuerit ob concreta temporum adiuncta.

XIV

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

I. Votum

Systemati beneficiali sufficiendum videtur aptius systema ad cavendum honestae sustentationi et remunerationi officialium ecclesiasticorum.

II. Voti ponderatio

1. *Beneficii ecclesiastici origo et evolutio.*

Ante saeculum VI nullum invenitur vestigium systematis beneficialis ad clericos sustentandos vel retribuendos. Clerici vitam communem ducebant ad modum religiosorum cum Episcopo ecclesiae, cui per ordinationem irrevocabiliter addicebantur, et ex eiusdem patrimonio alebantur. Qui vero vitam communem non ducebant, ex eiusdem ecclesiae bonis accipiebant per dies vel per hebdomadas « sportulas » seu elargitiones alimentorum et vestium et per menses « mensurnas divisiones » pecuniae (Thomassinus, *Vetus et nova eccl. disciplina circa beneficia* ... Neapoli, 1772, t. 8, pp. 36 ss.).

Nec in divisione sic dicta Gelasiana (c. 27, C. 12, q. 2) inveniri potest vestigium ullum beneficii ecclesiastici.

Saec. VI ineunte inceperunt tradi clericis excolendae « vineolae » vel « terrulae » (conc. Aurelian. I, c. 23). Quae traditio commune habuit cum beneficiis quod fiebat in usumfructum, tamquam donum saepe

remuneratorium et generatim ad vitam donatarii. Sed longe distabat a systemate beneficiali eo quod non coniugebatur cum officio ecclesiastico, immo etiam laicis et peregrinis eadem fieri solebat liberalitas ad eorum egestatem sublevandam. Longe maior pars clericorum sustentabatur distributionibus, sive intra sive extra vitam communem. Qui autem agellos habebant in usumfructum, excludebantur tantum a distributionibus pecuniarum, non autem vestium et alimentorum (Conc. Aquisgr., cap. 120).

Cum tales concessiones agrorum a saec. VI ad IX variis ex causis multiplicarentur, initio saec. IX vocari coeperunt « beneficia ecclesiastica » (Conc. Mogunt., a. 813, cap. 1 et c. 42).

Post annum millesimum, terminus « beneficium ecclesiasticum » invenitur in usu pro officio beneficiato, ita ut symonia stricte sumpta consideraretur emptio beneficii ecclesiastici (c. 9, C. 1, q. 3).

Haec evolutio beneficii in officium beneficiale intelligi nequit absque consideratione influxus iuris feudalis germanici in ius canonicum. Proprium erat imprimis iuris feudalis tendentia ad decentralizationem potestatis ita ut gradus, vel melius personae, superiores alicuius hierarchiae tantum vigilantiam exercerent in gradus inferiores, qui independentes erant, salvo vinculo fidelitatis personalis. Etiam in regimine ecclesiae, sub influxu iuris barbarorum, invaluit, praesertim inde a saeculo VII, decentralizatio sive quoad potestatem et ministerium, sive quoad bona ecclesiastica et eorum administrationem (Zeiger, *Historia istitutorum canonicorum,* Romae, 1942, pp. 90 et ss., 116).

Ius feudale carebat insuper sufficienti distinctione inter ius publicum et privatum, officia iuris publici et obligationes personales iuris privati (praesertim fidelitatis). Conceptus publici officii parum evolutus erat (Zeiger, *ib.,* p. 91) ita ut ipsa potestas publica non traderetur nisi implicata in concessione alicuius rei temporalis seu « feudi ». Mirum inde non est quod etiam in praxi canonica, et paulatim etiam in iure, ita coniungeretur concessio praediorum, oblationum decimarumque ecclesiasticarum cum quibusdam obligationibus ministerii ecclesiastici, ut concessio talium rerum temporalium contineret concessionem veri et proprii officii ecclesiastici.

Saeculo XII beneficium ecclesiasticum ut est systema sustentationis et retributionis officialium ecclesiasticorum iam substantialiter perfectum erat, sed inde evolvi incepit beneficiorum consideratio doctrinalis.

Imprimis emersit consideratio officii, quod implicite in beneficio continebatur. Immo paulatim consideratum est ut elementum principale, et iam ante Concilium Tridentinum, sacrum evasit principium « ius

percipiendi reditus ex bonis ecclesiae dari propter officium » (c. 5, III, 3, in VI).

Elementa tamen non parvi ponderis servata sunt usque ad Codicem I. C. Ita perpetuitas collationis, quae, absoluta in feudis per hereditariétatem, relativa perseverat per commensurationem ad vitam beneficiarii, quam Codex I. C. quasi intactam voluit (cc. 454, 477 § 2, 1438).

Similiter feudalismum sapit personalitas, quam doctrina communis adhuc retinet, obligationis distribuendi pauperibus fructus excedentes honestam sustentationem (Zeiger, *ib.,* p. 93).

Evolutio maximi momenti in doctrina canonica facta est circa personalitatem iuridicam beneficii. Hanc beneficio ecclesiastico primus adscripsisse videtur Sinibaldus de Flisco (Innoc. IV), cum affirmaret beneficiarium stare posse in iudicio « nomine praebendae » contra ecclesiam quia « praebenda potest habere iura sua et possidere, sicut episcopatus, abbatia, hospitale, etc. » (In 5 libros decret., lib. II, tit. *de probat.,* c. 3, n. 2). In definitione apud canonistas communi, haec personalitas non apparet; potius in ea emergit ius subiectivum beneficiarii percipiendi reditus ratione ministerii. Quod tamen non intelligunt doctores ut est in beneficiario, sed ut est quodammodo in seipso. Non enim loquuntur de iure percipiendi reditus ab auctoritate ecclesiastica ad vitam beneficiari *concesso,* sed « ab auctoritate ecclesiastica perpetuo *constituto* ». Constitutio haec perpetua clare manifestat ius percipiendi reditus quodammodo substantializari, cum trascendat eius inhaerentiam subiecto physico, seu beneficiario. Quod aperte explicat F. X. Wernz cum affirmet quod « ius imprimis debet esse obiective perpetuum *in ipso beneficio,* quatenus illud si semel auctoritate ecclesiastica constitutum fuerit, semper maneat, ita ut subiectum ab uno sive voluntate superioris sive morte possessoris, non pereat sed vacet et alteri denuo constanter sit conferendum » (*Ius Decr.,* t. II, n. 240, nota 7). Ipse auctor non obscure personalitatem iuridicam beneficii indicat cum affirmat officium cui adnectitur ius beneficiarii percipiendi reditus *institui* sive *erigi* debere: « Tandem omnino requiritur ut non solum *institutio* sive *erectio* officii spiritualis sed etiam adnexio illius iuris perpetui percipiendi reditus ab auctoritate ecclesastica facta sit » (*ibid.*). Perspicue pariter admittit officium esse subiectum dominii in dotem: « Elementum materiale beneficii ecclesiastici obiective spectatum sunt ipsa bona frugifera ecclesiae quae constituunt dotem propriam et distinctam officio ecclesiastico tamquam *subiecto domini* adnexam et in cuius fructus, non in substantiam exsistit illud ius subiectivum et perpetuum beneficiati » (*ibid.,* nota 8).

Hanc doctrinam Codex I. C. suam fecit, hac tantum discrimina-

tione quod non officium consideravit ut institutum erectum sed pari ratione officium et ius percipiendi reditus: « B. Eccl. est ens iuridicum a competente auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos » (c. 1409).

2. *Beneficii ecclesiastici incongruentiae iuridicae.*

Definitio canonis 1409 ab omnibus laudata est et a nonnullis adhuc laudatur. At quamquam agnoscendum est in statu doctrinae tunc temporis existentis optimam fuisse quae possibilis esset, eius defectus non accidentales magis magisque in dies innotescunt.

Imprimis enim definitio ponit in constitutione personae moralis elementa quae natura sua inepta sunt ad constituendam personam moralem, qualia sunt officium et ius percipiendi reditus. Enimvero, ut res aliquae aptae sint ad constituendam personam moralem, necesse est ut nulli aliae personae pertineant aut conferri debeant, secus sui ipsius esse non possunt. Quod semper verificatur quando persona moralis constituitur ex universitate bonorum: bona illa nec dominum habent, nec domino conferenda sunt tamquam iuri subiecto, sed sui iuris sunt. Officium autem et ius percipiendi reditus sunt ex ipsa eorum essentia conferenda, vel collata subiecto iuris seu beneficiario.

Porro, cum definitio ponat officium tamquam partem constitutivam entis iuris beneficialis, videtur privare sua propria personalitate officium ipsum, vel melius institutionem (v. g. paroeciam). Sic. v. g., cum officium parochi ex una parte ingrediatur essentiam beneficii paroecialis et, ex altera, sit exigentia essentialis paroecia (c. 216) ut est institutio hierarchica quae iura et bona possidere potest independenter a beneficio paroeciali (v. g. bona quae ad scholas vel alia opera paroecialia pertinent), disputatum est utrum paroecia gaudeat personalitate propria, distincta a personalitate beneficii paroecialis (*Questioni attuali di Diritto Canonico,* Roma, 1955, pp. 91-130).

Quod si dicatur non officium parochi gaudere propria personalitate sed paroecia ut est pars territorialis dioecesis ad normam c. 216, et officium parochi non esse nisi exigentiam essentialem eiusdem non effugitur tamen inutilis *entium multiplicatio.*

Officium enim parochi, in quantum est collatum inhaeret parocho tamquam subiecto, in quantum vero est exigentia (conferendum), inhaeret paroeciae tamquam subiecto. Et idem dici potest de iure percipiendi reditus. Unde nec substantializari possunt, nec necessaria est eorum substantializatio.

3. *Beneficii ecclesiastici incongruentiae practicae.*

Quamvis decursu saeculorum institutum iuridicum beneficii ecclesiastici purgatum sit pessimis sequelis ex confusione inter ius publicum et privatum et inter rem spiritualem et temporalem, inconvenientia tamen retinet quae illud suo fini reddunt minus accommodatum in praesentis temporis adiunctis.

Recensenda videntur:

a) Perpetuitas subiectiva, seu collationis, quae, quamvis iam non sit consideranda de essentia beneficii ex generali iuris principio, talis consideratur in peculiaribus iuris praescriptis, ut v. g. in c. 1438, per quem omnia beneficia saecularia conferenda sunt ad vitam beneficiarii, et in c. 477, disponit vicarios paroeciales amovibiles esse ad nutum nisi vicaria sit beneficialis.

Quod autem impedimenta occurrant regimini dioecesium et animarum curae ex hac inamovibilitate officialium, noverunt ecclesiarum Pastores.

Nec hisce difficultatibus satis provisum est per clausulam canonis 454 § 1, secundum quam omnes parochi a paroecia removeri possunt ad normam canonum 2147-2177.

Hoc enim remedio, quod de cetero tantum beneficia paroecialia respicit, solvuntur forte difficultates iuridicae, non etiam psychologicae, quae procedunt ex beneficiorum conceptione et ex inaequalitate dotis singulorum beneficiorum.

b) Defectus aequalitatis in retributione officialium ad eorum honestam sustentationem.

Quidam officiales vere esuriunt, quidam vero superabundant.

Et quamvis reditus excedentes honestam sustentationem piis causis a iure destinentur, nemo est qui non videat hanc destinationem in pluribus casibus frustrari ob humanam infirmitatem vel cupiditatem, quae etiam innititur quibusdam doctrinis nimis late interpretantibus mensuram honestae sustentationis.

Ita ut non sit difficile invenire beneficiarios qui de superfluis nec in favorem pauperum disponunt, nec in favorem pauperrimae ecclesiae beneficialis, qui, immo, vicarios cooperatores forte necessarios recusent aut ita incongrue retribuant ut privato labore famem arcere debeant.

c) Systema beneficiale obest spiritui paupertatis et zelo apostolico, quia beneficiatus, vel candidatus, magis a sponsae dote trahi et occupari contingit quam ab ipsa sponsa eiusque amore et servitio.

d) Administratio bonorum beneficii et redituum perceptio odia parant animarum pastoribus, damna patiuntur tempore vacationis, lites

fovent inter beneficiarios successivos eorumve heredes, maxime si dos beneficii constituatur praediis quae fructus producunt cyclo pluriennali.

III. Voti exsecutio

Systema retributionis quod beneficiali subrogandum videtur est sane systema stipendiorum, sequentibus additis animadversionibus:

a) Stipendium est extendendum ad officia quae hactenus beneficialia non sunt, ut officia vicariorum paroecialium.

Nec stipendium mensuretur ex quantitate redituum dotis sed proportionatum sit officiorum diversis exigentis et locorum adiunctis.

b) Nec officium sacrum, nec ius percipiendi reditus consideretur amplius ut persona iuridica. Magis e contra elucescat persona iuridica institutionum (dioecesis, paroeciae, vicariae etc.) aut collegiorum v. g. capituli.

Bona vero et iura quae ad normam c. 1410 dotem beneficiorum constituunt, adhaereant, tamquam iuris subiecto personae instituti vel collegii singuli (ecclesiae, paroeciae, capituli) aut personae dioeceseos.

Considerentur autem, non tamquam obiectum proprietatis absolutae sed tamquam « piae fundationis » ad normam canonum 1544-1551.

Sicubi tamen certo constet partem aliquam bonorum dotalium, ex voluntate fundatorum, non destinari ministrorum sustentationi sed alii piae causae in loco exsistenti, a reliquis bonis segregetur et diversam piam fundationem constituat.

Quod si huic modo considerandi bona et iura hactenus dotalia difficultates externae occurant ex peculiari aliqua situatione concordataria, non desunt certo iuridica remedia singulis regionibus accommodata. Sic v. g. in Italia nihil prohibet quominus ipsae piae fundationi recognoscatur a Statu personalitas iuridica tamquam cultus fundationi (fondazioni di culto).

c) Sive piae hae fundationes adhaereant personae morali dioeceseos, sive singulorum institutorum aut collegiorum, administrandae videntur *per consortium* dioecesanum, aut, si agatur de parvis dioecesibus, interdioecesanum, sub vigilantia Ordinarii, vel Ordinariorum loci.

Ad hoc dioecesanum consortium, quod distinctum esse convenit a quolibet alio consilio vel officio dioecesano, spectabit non tantum administratio fundationum et redituum perceptio, sed etiam solutio stipendiorum praefinita ab Ordinarii in conferentia episcopali aut ab Apostolica Sede, si agatur de officis concistorialibus.

N. B. - Simile consortium excogitatum fuit pro administratione be-

neficiorum vacantium (Forchielli, *Benefici Vacanti,* in *Nuovo Digesto Italiano,* vol. II, pp. 302-303, n. 17, nota 1).

d) Iura quae « stolae » dicuntur, sive hactenus pertinuerint ad dotem beneficii sive non, conferantur massae ex qua stipendia pro officialibus trahenda sunt.

Idem dicatur de stipendiis missarum ab officialibus celebratarum. Quod multum conferet etiam bono sacerdotum spiritui et fidelium aedificationi.

e) Parochi omnes explicite declarentur amovibiles ad nutum, debitis servatis cautelis pro honesta sustentatione officialium qui non transferuntur ad aliud officium sed simpliciter removentur ob senectutem vel alia impedimenta.

f) Ut proventus ad stipendia destinati sufficientes evadant, restringendus videtur numerus officiorum non curatorum. Immo regimini ecclesiae conferre videtur abolitio Capitulorum, etiam Cathedralium.

Capitulo cathedrali subrogari possunt consultores dioecesani et cultus sollemnitati aliis modis caveri potest.

XV

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

Notabiliter imminuendus videtur numerus poenarum latae sententiae.

Quaedam enim inactuales sunt, aliae non paucae inefficaces demonstrantur. Multitudo ipsa impedit quominus omnes cognoscantur et suam efficaciam exerceant.

XVI

DE THEOLOGIA PASTORALI

DE CATECHISMO BIBLICO ET DOGMATICO

Postulatur ut examinetur problema conficiendi aliquem catechismum biblicum.

Veluti Controreformae tempore opus fuit formulatione catholici catechismi, ad omnium facilem captum accommodati, catholicae fidei veritates explicantis, sic, temporibus praesentibus, idem de factorum et veritatum interpretatione, in Biblia contentorum, faciendum esse videtur.

Postulati rationes:

Haud rarum est sacerdoti quaestiones proponi de interpretatione biblica in genere, nominatim autem de primis Geneseos capitibus. Non agitur de difficultatibus vere « scientificis », sed de illis quae ab ephemeridibus, quas « rotochalchi » appellant, proponuntur vel, arte, ab anticatholica (communistis vel protestantibus auctoribus) divulgatione diffunduntur magno cum detrimento tum fidei catholicae tum ipsius S. Scripturae auctoritatis.

Sic, exempli gratia, quaestionem moveri solent de relatione pomum inter et peccatum, de Eva ab Adami latere educta, de septem creationis diebus et aliis huiusmodi.

Compertum sane est quantum nunc temporis ratio haec S. Scripturae loca interpretandi apud catholicos exegetas profecerit et quo pacto sacerdos his novis criteriis et normis uti satagat, in veritates biblicas iuvenibus tradens, praesertim superioribus studiis vacantibus, qui sobrias explicationes, clara distinctione in scriptis inspiratis proposita formam inter et materiam (substantiam), magni faciunt.

At nonne magis consentaneum et paedagogicum esse videtur expectandum quidem non esse quousque difficultates hae ab ipsis iuvenibus proponantur, omnia quae, pueri, a parentibus vel a catechismum tradentibus didicerint in dubium, aetate provectis, revocantibus? Nonne magis didacticum esse videtur si huiusmodi problemata quadantenus praeoccupentur?

Quam ob rem consentaneum est, usque a primis catechismi lectionibus, claro modo loqui, semper tamen ad puerorum et iuvenum captum accommodato, quomodo Biblia legenda et intelligenda sit.

Postulati exsecutio:

1. Peritorum commissio (coetus) conficere potest catechismi textum, in quo, ratione mentalitati modernae idonea, explicaretur catholicum criterium Bibliae veritates interpretandi modo nostro cogitandi, quantum formam seu genus litterarium spectat, haud consonas apparentes, integrum tamen universalemque valorem servantes.

2. Antequam nova « formulatio » catechismi in lingua vernacula definitive statuatur, postulatur ut per aliquod tempus examini subiiciatur non aliquorum tantum, sed omnium eorum qui aliquam curam pastoralem exercent, et catechismum docere et explicare debent.

Hoc fieri posset vel per ephemerides « Bollettini diocesani » vel alio modo.

Utile quoque videtur, ut serio examini subiiciatur consilium novum catechismum conficiendi quod, abstractione liberatum qua catechismi nunc exsistentes laborare videntur, magis sit concretum elementis mutuatis a S. Scriptura, Liturgia, historia et vita Ecclesiae.

Constat huiusmodi catechismos iam in aliquibus regionibus confectos et usui esse. Deest tamen textus « fundamentum » qui pro omnibus sit dux et norma.

PONTIFICIUM ATHENAEUM POONENSE

PONTIFICAL ATHENAEUM, POONA 6

11 aprilis 1960

Eminentia Reverendissima,

Iuxta placita contenta in epistola ad nos missa ab Eminentia Vestra Reverendissima, quae prae se fert N. 2 C/59-54, huius Athenaei Consilium Academicum convocatum fuit. Placuit Patribus Professoribus adiuncta vota et studia Eminentiae Vestrae Reverendissimae subiicere, ita ut si in illis aliquid ad bonum Ecclesiae reperiatur, ab illis ad quos spectat possit examinari et in praxim reduci.

Eminentiam Vestram Reverendissimam certiorem facere volo nos omnes hic degentes fervidas Deo O. M. preces offerre ut Ipse dignetur gratias et vires Eminentiae Vestrae concedere ad tantum opus feliciter perficiendum.

Profiteor me manere

Eminentiae Vestrae Rev.mae
Servum in Christo

L. MASCARENHUS, S. I.
Vice-Praes. Pont. Athen. Poonensis

DE ECCLESIA CHRISTI

1. Expositio *doctrinae de Ecclesia Christi* a Vaticano facta compleatur distinctius exponendo eius naturam quatenus est populus Dei et Corpus Christi Mysticum.

2. Ut *munus Episcopi* relate ad munus Summi Pontificis clarius definiatur, et ita relatio Ecclesiae localis ad universam Ecclesiam elucidetur.

DE STATIBUS IN ECCLESIA

3. Ut consideretur utrum intuitu conditionum praesertim in Missionibus, *Sacri Ordines* presbyteratu inferiores restituendi sint in locum statuum permanentium sicut fiebat in antiqua Ecclesia.

4. Ut *munus laicorum* in Ecclesia clarius definiatur quoad eorum responsabilitatem pro vita Ecclesiae et quoad apostolatum eiusque media moderna, ut prelum. Praeterea ut status clericorum relatio ad statum laicorum ad vitam religiosam clarificetur.

DE EFFORMATIONE CLERI

5. Si opportunum videtur restituere Sacros Ordines presbyteratu inferiores in locum statuum permanentium, tunc ulterius consideretur quomodo aptae efformationi talium clericorum providendum sit.

6. Recentiores instructiones Sanctae Sedis quae ad aptam *Sacerdotum* efformationem praesertim in re pastorali, catechetica, liturgica et sociali spectant, in breve compendium redigantur.

DE MISSIONIBUS

7. Ut, iuxta doctrinam traditam in recentioribus Encyclicis Litteris Summorum Pontificum, statuantur fundamenta biblica et theologica apostolatus missionarii ut operis totius Ecclesiae; pressius quoque determinetur habitudo inter unicam Religionem revelatam eiusque depositum fidei ex una parte, et alias religiones earumque valores morales et religiosos ex altera; desideratur praeterea adaequatior declaratio dogmatis « extra Ecclesiam nulla salus ».

8. Ut ostendatur Ecclesiam non tantum animae vitaeque supernaturali consulere, exponatur quo pacto iuxta doctrinam traditam in recentioribus Encyclicis Litteris Summorum Pontificum eam promovere oporteat opera caritatis et iustitiae socialis tam nationalia quam internationalia praesertim in regionibus quae nuper vitam independentem adeptae sunt.

DE UNIONE DISSIDENTIUM

9. Ut, in tuto posita doctrina de unicitate Ecclesiae catholicae, magis foveatur collaboratio cum fratribus protestantibus et orientalibus, non tantum quoad praxim attinet sed etiam in colloquiis doctrinalibus.

Item, ut problema de tolerantia erga non catholicos clarius determinetur.

10. Ut selecti iuvenes sacerdotes seligantur, apte efformentur et addicantur huic operi reunionis omnium dissidentium.

11. Cum Christiani extra communionem Ecclesiae catholicae doctrinam Ecclesiae de Sacramentalibus necnon de indulgentiis saepe male interpretentur, optandum est ut Concilium decreta doctrinalia edat de Sacramentalibus (de institutione, efficacia, utilitate eorumdem) et de indulgentiis (de earum natura ac beneficio).

DE MARIOLOGIA

12. Ut, ad unionem dissidentium fovendam, explicetur indoles apprime christologica omnium dogmatum mariologicorum hucusque definitorum et, in universum, ut munus B. M. Virginis in toto opere salutis ut essentialiter dependens a munere Christi melius exprimatur.

DE UNITATE FOVENDA IN IURISDICTIONE

13. In regionibus ubi pluritas rituum obtinet provideatur maiori unioni animorum inter fideles diversorum rituum fovendae eo fine ut tandem unitas Ecclesiae localis etiam per capitis unitatem, qua omnes fideles alicuius regionis uni tantum episcopo subsunt, manifestetur.

DE UNITATE IN LEGISLATIONE ECCLESIAE

14. Ut, iuxta votum manifestatum a Summo Pontifice quando Concilii convocationem primum publice significavit, tam recentia decreta Sanctae Sedis (v. g. de ieiunio eucharistico, de Confirmatione, de investigationibus nuptialibus, etc.) quam authenticae declarationes Ecclesiae (v. g. de sensu can. 1099, 2; de extensione can. 883 ad iter aëreum; de interpretatione can. 1077 etc.) incorporentur in ipso textu Codicis, minime mutatis numeris canonum. Immo optandum ut authentice dirimantur praecipuae disputationes quaedam peritorum (v. g. de vi can. 1045, an nempe possit fieri dispensatio a forma canonica matrimonii) et haec declarationes in eodem Codice publici iuris fiant.

15. Praeterea, ad unitatem inter fideles diversorum rituum fovendam, expedit ut, salva rituum diversitate, uniformes sint leges Ecclesiarum Orientalium et Ecclesiae Latinae.

16. Ad conformitatem et aptationem legum Ecclesiae cum necessitatibus hodiernis fovendam, optatur ut leges quaedam obsoletae (v. g. de censuris quibusdam obsoletis, ut excommunicatio ob venditionem reliquiarum etc.) a Codice amoveantur et aliae leges de rebus socialibus (exponentes principia enuntiata in Encyclicis Romanorum Pontificum), de Actione Catholica, etc. promulgentur; in genere, leges Codicis in libro V magis amplificentur.

DE LITURGIA ET TEXTIBUS SACRIS

17. Ad intimiorem participationem fidelium tam in Sacrificio Missae quam in susceptione Sacramentorum et Sacramentalium fovendam, oportet ut ipsi fideles ritum et verba melius intelligant; quapropter edantur normae quaedam ac decreta pro usu linguarum modernarum in hisce sacris actionibus.

18. Ut eadem participatio in solemni Sacra Liturgia fiat quoque magis reverentialis erga ipsam rem sacram quae agitur quam erga ministros sacros, optatur ut Rubricae de Caeremoniis Pontificalibus simplificentur. (Hinc omitti permittatur pleraque oscula manuum et obiectorum; minuantur salutationes et genuflexiones ad personas; fiat vestitio Episcopi in sacristia, in regionibus calidis usus dalmaticae, tunicellae, chrirotecarum pro Episcopo ad libitum ponatur etc.).

19. Ut clerici omnes assidue unitatem servent in Rubricis Liturgiae, expedit ut multiplicia decreta S. Congregationis Rituum ad modum Codi-

cis in unum redigantur. In hac Rubricarum redactione, passim maior simplificatio et adaptabilitas optatur, v. g. pro caeremonia Baptismi adultorum.

20. Ut amor veritatis ubique superet alias considerationes, praesertim in libris liturgicis, semper textus Scripturae maxime authentici adhibeantur et falsae versiones eliminentur. Item hagiographiae (v. g. in lectionibus secundi Nocturni in breviario et in Martyrologio Romano) realitati historicae conformes reddantur. Eundem ob amorem veritatis, textus authenticus et criticus Sacrae Scripturae praesertim Veteris Testamenti, lingua latina praeparetur; quod erit summi momenti pro studiis theologicis vere scientificis.

PONT. INSTITUTUM TORONTINUM
STUDIORUM MEDII AEVI

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES

Die 27 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

I

In responsionem ad litteras Eminentissimi Praesidis Commissionis pro Concilio Oecumenico mihi die 18 iulii 1959 directas (2 C/59-55), opportunum videtur primum in generali proponere ut, secundum Sanctae Sedis voluntatem mandataque, praesertim in Constitutione Apostolica *Deus Scientiarum Dominus* recolendae memoriae Pii Papae XI die 24 maii 1931 enuntiata, in omnibus universitatibus nostris, auctore ac duce Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus, professores et magistri instructionem quam optimam tradere ac impertire, auditores vero profectum quam maximum ostendere, summa ope indesinenter enitantur. Quoniam autem eadem Constitutio Apostolica mox triginta annos erit instituta, opportunius etiam videtur illud insigne documentum recognoscere, consilia illa sublimia rursus collaudare, quaeque horum triginta annorum usu probata fuerint prudenter accommodare. Hoc itaque nomine haec pauca reverenter proponuntur, quae eorum opinione, qui, ut magistri huius Instituti, iis locis munere funguntur ubi adhuc pauciores in rebus sive academicis sive civilibus causam catholicam sustinent, ad praemissa attinere videntur:

1. Ut catholicarum institutionum normae scholasticae iis quae apud alias vigent sint vel superiores vel saltem aequales.

2. Ut in nostris universitatibus et superioris disciplinae institutionibus et magistri et auditores ad scientias sacras ac studia coniuncta altius inquirenda summa ope incitentur atque ut fructus eorum indagationum typis imprimantur.

3. Ut institutionum catholicarum ratio studiorum collegiis sive privatis sive publicis, si fieri potest, ita approbetur ut iis, qui gradus nostros sint consecuti, studia et gradus superiores ubique locorum pateant.

4. Ut libris in Indice Librorum Prohibitorum nominatim enumeratis ita fidei spectatae personis uti liceat, ut, Fidei integritate semper servata, magistris et auditoribus patentiora sint studiis propriis profutura.

II

Praeterea cum laici doctiores ac cultiores, quorum numerus per opus institutionum catholicarum sed etiam per maiores occasiones ab aliis institutionibus oblatas in dies crescat, nostris temporibus Ecclesiae maioris fiant momenti, maxime interest ut horum fidelitatem sinceram summa ope Ecclesiae vindicetur atque firmetur. Proponitur ergo:

1. Ut cura animarum paroecialis ita exerceatur ut et laicis cultioribus et eorum necessitatibus consulatur.

2. Ut addatur ministrationi quotidianae paroeciali, prout loca et opes permittunt, fidelium instructio religiosa superioris generis (e. g. instructio theologica, cultura religiosa, coetus studiorum causa facti).

3. Ut in seminariis nostris sacerdotes, ad quos pertinebit cura animarum, ex voluntate Sanctae Sedis in praedicta Constitutione Apostolica Pii Papae XI signanter expressa, sic instituantur ac formentur ut cultura doctrinaque liberali sint nullo modo inferiores iis Catholicis, qui bene liberaliterque sint educati; et eo magis praesertim cum, si hi ob sacerdotes minus quam ipsi instructos Ecclesiae minus fiant fideles, causae catholicae harum regionum gravissimo futurum sit detrimento.

III

Cum autem Sanctae Sedis liberalitas, qua a Leone Papa XIII deinceps Bibliothecae Apostolicae Vaticanae thesauri omnibus eruditis patuerunt, apud omnes ubique non modo in rerum scientia litterisque humanioribus colendis sed etiam in existimatione Ecclesiae ac Sanctae Sedis augenda supra aestimationem valuerit, haud inopportunum videtur exspectare Ecclesiam in laude etiam maiore futuram, si Bibliothecae Vaticanae thesauros et per menses aestivos adire liceat, cum tot eruditi vel itineris difficultate ac impensis vel officiorum occupatione aliis mensibus Romam adire plerumque prohibentur.

Pro me meisque collegis velim tibi, Eminentissime Domine, affirmare nos esse promptissimos ad omnia mandata Commissionis exsequenda atque, quantum pro opibus nostris tenuibus possimus, ad illum magnum opus adiuvandum.

Sanctae Sedi nostra pietate denuo promissa, et pro te, Eminentissime Domine, precor et pro eventu Concilii felicissimo.

Filius tuus in Christo devotissimus

EDMUNDUS IOSEPHUS MCCORKELL, C. S. B.
Praeses Instituti Studiorum Medii Aevi

FACULTAS THEOLOGIGA TREVIRENSIS

THEOLOGISCHE FAKULTÄT

Trier, die 21 aprilis 1960

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Honorificae rogationi ab Eminentia Vestra factae (Prot. N. 2 C/59-56) libenter obsecuti professores Facultatis Theologicae Trevirensis collatis consiliis et consociatis studiis vota quaedam de diversis materiis, quae futuri Concilii Patribus proponenda sibi videntur, complexi sunt. Quae vota hisce annexa Sacrae Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae transmitto Eminentiam Vestram humiliter rogans, ut ea benigne accipere dignetur sibique persuasum habeat omnia procedere ex animo et studio erga Apostolicam Sedem Ecclesiamque Catholicam sincero ac devoto.

Sacram Purpuram reverenter deosculans

Eminentiae Vestrae
addictissimus famulus

H. JUNKER
Praeses Facultatis

I - DE RE DOGMATICA

1. Constitutio I de Ecclesia Christi a concilio Vaticano promulgata integretur.

1) Schema Vaticanum de Ecclesia prius patribus datum plura continet, quae in ipsa constitutione I de Ecclesia promulgata desiderantur. Cf. MANSI 51, 543 sqq. Quod schema amplificandum et immutandum patres concilii non pauci observabant. Proinde schematis reformati capitula, quae non inveniuntur in constitutione I, sunt haec: I. De divina Ecclesiae institutione; II. Ecclesiam a Christo institutam esse coetum fidelium; III. Esse in Ecclesia potestatem divinitus ordinatam; IV. De ecclesiastica hierarchia; V. De membris Ecclesiae; VI. Unam esse veram Ecclesiam neque extra eam salutem sperandam; VII. De ecclesiastico Magisterio; VIII. De ecclesiastica iurisdictione; IX. Ecclesiam esse verum regnum, divinum, immutabile et sempiternum.

2) Complementum futurum supponitur in decreto de concilio Vaticano suspenso (20-X-1870). Cf. MANSI 53, 155-158.

3) Ad mentem Summorum Pontificum Pii XII et Ioannis XXIII christianis seiunctis reditus ad Ecclesiam matrem facilior evadet, si de Ecclesia Christi doctrina fidei integra habebitur. Cf. *A.A.S.* 43 (1951) 641; *A.A.S.* 51 (1959) 10.

2. Constitutio exaretur propositionibus, quae tum a terminis apud catholicos theologos tantum florentibus tum ab anathematismis se abstineant, et praeferat verba Sacrae Scripturae et Patrum.

1) Exemplo sint capitula S. Tridentinae Synodi.

2) Patres non pauci concilii Vaticani optabant, ut constitutiones, in quantum fieri possit, servarent modum loquendi S. Scripturae et Patrum.

3) Ioannes XXIII Papa Litteris Encyclicis *Ad Petri cathedram* ordinavit, ut concilium celebrandum « praeberet veritatis, unitatis caritatisque spectaculum, quod etiam christiani seiuncti invitamentum acciperent ad illam unitatem quaerendam assequendamque, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus rogavit precibus ». Cf. *A.A.S.* 51 (1959) 511. Advocans illos ad unitatem Ecclesiae eos non in alienam, sed in propriam, sed in communem paternamque domum invitat (*ibid.* 515). Huic autem desiderio maxime proderit modus loquendi, quo usi sunt auctores biblici et Patres.

4) Formula « anathema sit » sat clara non est; nam sententia errori condemnato contradicens non in unoquoque canone e. gr. concilii Tridentini est veritas divina revelata et ad credendum (fide divina) proposita. Cf. DENZ. 889, 891, 928, 935, 953-956, 962, 975, 976, 979, 981. Praeterea *C.I.C.* can. 2317 supponit eos, qui sententiam ab universali concilio condemnatam pertinaciter docent vel defendunt, ipso facto non esse ob haeresim excommunicatos.

3. Ecclesia manifestetur esse populus Dei sanguine Christi acquisitus et in novo foedere constitutus.

1) Quamvis Pius XII Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* doctrinam de Ecclesia elucidissime declaraverit et profundissime exposuerit et auctoritative proposuerit, tamen non omnino praetermittenda videntur dubia quaedam a patribus concilii Vaticani contra usum praevalentem conceptus « corporis mystici Christi » prolata. Cf. MANSI 51, 736 A-B; 737 D; 738 A-D; 739 A; 740 D; 741 C; 744 B; 751 B; 752 C; 753 C; 754 A; 755 A-B; 757 C; 758 B-D; 760 A-D; 761-762 A. Quibus dubiis permotus Ios. Kleutgen S. I. in relatione de schemate reformato habita haec verba fecit: « Multis reverendissimis patribus in priore schemate displicuit, definitionem ecclesiae symbolicam, qua corpus Christi dicitur, tamquam caput doctrinae et fundamentum eorum quae sequuntur proponi » (MANSI 53, 319 D).

2) Sacra Scriptura utriusque Testamenti Ecclesiam nominat populum Dei. Qui laudabilis usus, non obstantibus annotationibus schemati Vaticano et priori (MANSI 51, 553 B) et reformato (MANSI 53, 319 D) additis, respicit fundamentum, scilicet foedus divinitus cum hominibus electis initum. Cf. ex *V. T.*: *Ex.* 8, 17. 19; 19, 4-7; *Deut.* 4, 20; 7, 6-12; 14, 2. 21; 26, 18; 32, 8 sqq.; *Is.* 41, 8-10; 62, 12; *Ier.* 7, 23; 24, 7; 31, 33; 32, 66; *Ez.* 11, 20; 14, 11; 36, 28; 37, 23; *Os.* 1, 9; *Zach.* 2, 14; *Ps.* 134, 4; 148, 14. Cf. ex *N. T.*: *Act.* 15, 14; 18, 10; *II Cor.* 6, 14-16; *Rom.* 9, 25; *Tit.* 2, 14; *Hebr.* 4, 6; 8, 10; 10, 30; 13, 12; *I Petr.* 2, 9; *Apoc.* 18, 4; 21, 3.

Ceteri autem conceptus ad describendam Ecclesiam in sacris litteris usitati aut innuunt aut supponunt Ecclesiam esse populum Dei divino foedere constitutum e. gr. ecclesia (synagoga) regnum Dei (coelorum), civitas Dei, regnum Christi, corpus Christi, sponsa Christi.

3) Liturgia sacra Romana Ecclesiam nomine populi aut plebis aut familiae frequentissime designat. Sabb. IV temp. Adventus or. n. 5; or. dominicae 1 post Epiphaniam; or. dom. 2 post Epiph.; or. dom. 5 post Epiph.; or. dom. in Septuag.; or. fer. 5 et postcom. fer. 6 post Cineres; or. dom. I in Quadrag.; or. fer. 3, 4, 5, 6 post dom. I in

Quadrag.; or. fer. 2, 4, or. super pop. fer. 6 et sabb. post dom. II in Quadr.; secr. fer. 4 et or. postcom. fer. 5 post dom. III in Quadr.; or. super pop. fer. 3 et 5 post dom. IV in Quadr.; or. dom. I de Pass.; or. super pop. fer. 2, 3, 5 post dom. I de Pass.; or. sabb. post dom. I de Pass.; or. super pop. fer. 4 maioris hebd.; secr. dom. Resurr.; or. fer. 2 et or. postcom. fer. 6 in oct. Paschae; or. fer. 2 post Pent.; secr. dom. 6, 13 – or. dom. 17, 21 – secr. dom. 24 post Pent.; or. 2 fer. 4 et or. 3 sabb. IV temp. Sept.

Ex proprio missarum de Sanctis censeantur: or. 7 Dec.; or. postcom. 13 Dec.; secr. com. s. Pauli 18 Ian.; or. s. Marii etc. 19 Ian.; sec. 25 Ian.; or. ante proc. 2 Febr.; or. 4 Febr.; secr. 2 Apr.; or. 18 Maii; secr. 13 Iunii; or. 23 Iunii; secr. 28 Iunii; secr. 30 Iunii; secr. s. Nab. etc. 12 Iulii; or. 25 Iulii; or. s. Fel. 29 Iulii; secr. 11 Aug.; secr. 13 Aug.; or. Postcom. s. Agap. 18 Aug.; secr. s. Fel. etc. 30 Aug.; or. postcom. 9 Sept.; or. s. Nicom. 15 Sept.; secr. s. Euph. etc. 16 Sept.; or. postcom. 27 Sept.; secr. s. Dion. etc. 9 Oct.; secr. 25 Oct.; secr. s. Felic. 23 Nov.

Or. commune doctorum; secr. com. virg. non mart.; or. postcom. sanctae nec virg. nec mart.; or. dedicationis eccl.; versus cant. *Te Deum*: *salvum fac populum tuum*.

4) Patres saeculi II-V Ecclesiam habent populum Dei novo foedere constitutum. Cf. IUST., *Dial. c. Tryph.*, c. 11, 116, 119, 123, 135 (*PG.* 6, 500 A, 745 A, 752 B-C, 753 A, 761 A, 764 A, 788 D). Cf. AUG., *En. in Ps*. 85, 14 (*PL.* 37, 1092); *Ep.* 187 (*PL.* 33, 838); *De bap. c. don.* 4, 21, 28; 4, 24, 31 (*PL.* 43, 173 sq.); *C. ep. Parm.* 2, 4, 8-9; 2, 7, 14; 2, 8, 17 (*PL.* 43, 55-56. 59. 61); *C. litt. Pet.* 2, 59, 134; 2, 72, 162; 2, 105, 241 (*PL.* 43, 304. 309. 343 sq.); *De civ.* 16, 41 (*PL.* 41, 519).

5) Conceptus « populus Dei » praesto fuit et schemati Vaticano de Ecclesia Christi tum priori (MANSI 51, 540 A) tum reformato (MANSI 53, 308 C) et patribus (MANSI 51, 754 A; 756 A; 757 B; 865 B; 879 B. D; 886 B; 894 B; 905 B; 911 A; 912 B).

6) Conceptus « populus Dei novo foedere constitutus » non solum notas et proprietates Ecclesiae e. gr. unitatem, sanctitatem, catholicitatem, apostolicitatem, singularitatem, indefectibilitatem, necessitatem in se comprehendit, sed etiam generis humani salutarem historiam, qualis divinitus patrata et gubernata est, respicit; quem respectum patres concilii Vaticani nonnulli expressis verbis desideraverunt (cf. MANSI 51, 736 A-B; 742 C; 743 D; 745 C; 754 A; 756 A. C; 757 A-B; 758 B; 759 A; 760; 761; 762 B; 763 B; 863 C; 866 C; 878 C; 893 C-D; 911 A; 923 C-D) necnon schema reformatum et ipse Kleutgen S.I. in

relatione de schemate reformato habita huic desiderio favit (cf. MANSI 53, 308 B-C = schema reformatum; 317 B = relatio).

7) Denique Ecclesiam secundum morem Sacrae Scripturae et Liturgiae romanae et Patrum nominantes populum Dei novo foedere constitutum, christianis separatis viam ad reditum parare et hominibus nonchristianis, dommodo dispensationem salutis divinam vetere foedere factam teneant, e. gr. Iudaeis et Mohamedanis, tramitem salutis ostendere possumus.

4. Pronuntietur sana doctrina de Ecclesia tamquam populo Dei super terram ad coelos peregrinate, quod significat:

a) Ecclesiam non se profiteri terrestrem paradisum de quo fabulantur communistae necnon variae sectae hodiernae.

b) Ecclesiam, quamquam recte praedicetur sponsa Christi sine macula aut ruga (*Eph.* 5, 27), in membris suis semper posse deficere et revera saepius defecisse et ita ansam dedisse non paucis dissidiis, opprobriis et schismatibus.

Quae doctrina patet ex:

1) Sacra Scriptura: *Rom.* 5, 2; *II Cor.* 5, 4-6; *Phil.* 3, 20 s.; *Col.* 1, 27; *Hebr.* 6, 19 s.; 9, 28; 10, 35-11, 1; 12, 1 s.; 13, 14; *I Petr.* 4, 12-14.

Populus Dei Veteris Foederis per desertum in terram promissionis proficiscens praenuntiat et praefigurat secundum S. Paulum Apostolum populum Christi Novi Foederis in patriam caelestem peregrinantem (*I Cor.* 10, 1-6).

2) Auctoritate S. Augustini, qui dicit in *Epistola* 187 n. 16: « Si enim populus Dei nondum factus aequalis Angelis eius adhuc in ista peregrinatione dicitur templum eius, quanto magis est templum eius in coelis, ubi est populus Angelorum, quibus aggregandi et coaequandi sumus, cum finita peregrinatione, quod promissum est sumpserimus » (*PL.* 33, 838). « Civitas sancta, civitas fidelis, civitas in terra peregrina, in coelo fundata est » (*Sermo* 105, cap. 7; *PL.* 38, 622). Cf. *De civitate Dei,* lib. 16, cap. 41 (*PL.* 519); *De sancta virginitate,* cap. 24 (*PL.* 40, 409). Cet.

3) Sententiis theologorum: S. Thomas: « Ecclesia secundum statum viae est congregatio fidelium; sed secundum statum patriae est congregatio comprehendentium » (*S. Th.* 3 q. 8 a. 4 ad 4).

Cf. *Super Epistolam Eph.* 3, 3; *S. Th.* 3 q. 60 a. 3 c. D. Thomas unumquodque sacramentum a Christo Domino Ecclesiae suae traditum dicit « signum prognosticum, idest praenuntiativum futurae gloriae ».

Richardus a S. Victore: « Et ipsa quidem sancta Ecclesia est in coelo, partim in mundo. Hic velut in patria, hic ut in exilio. Hic regnans, hic peregrinans. Et celebrantur nuptiae utrobique; hic in fide, ibi in contemplatione. Hic in spe, ibi in re » (*Sermone centum,* sermo 44; *PL.* 177, 1015).

4) Sacra Liturgia: Exspectans Adventum D. N. I. C. sancta Mater Ecclesia perducit nos « per liturgicum iter, quod denuo singulis annis nobis patet ad " Sacerdotem Magnum ", ut cum eo vivamus et consentiamus, ac possimus per ipsum penetrare " usque ad interiora velaminis ", ibique caelestem per omne aevum honorare Patrem » (Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39, 1947, 583).

5. Contra opprobria haereticorum iterum atque iterum repetita, aperte et presse doctrina catholica de necessitate Ecclesiae ad salutem aeternam consequendam ita pronuntietur, ut clare appareat eos a salute non excludi, qui ignorantia invincibili Ecclesiae Christi laborant. Altera ex parte reprobetur indifferentismus.

Huius pronuntiationis rationes:

1) Ex Sacra Scriptura: *I Tim.* 2, 4; *I Io.* 2, 2.

2) Ex doctrina Pii PP. IX: Quam proposuit in Allocutione *Singulari quadam* 9 dec. 1854 habita: « Tenendum quippe ex fide est, extra apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse... sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini (DENZ. 1647); necnon in Epistola Encyclica *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: « Notum Nobis vobisque est, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam » (DENZ. 1677).

3) Ex schematibus concilio Vaticano propositis: Schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi patrum concilii Vaticani examini propositum, caput VII (MANSI 51, 541 s.; cf. adnotationes 568-571 et observationes 797-807).

Schema constitutionis dogmaticae secundae de Ecclesia Christi secundum patrum animadversiones reformatum, capite sexto: « Fidei catholicae dogma esse definimus, extra unam Ecclesiam Christi nullam esse sperandam salutem. Hunc vero sensum dogmatis esse declaramus: ... Quod si qui nullo suo vitio Ecclesiam ignorant, non solum propter hanc ignorantiam a iusto Deo poenis non subiiciuntur, sed etiam si

legem scriptam in cordibus Deo iuvante custodierint, eique obedire in omnibus parati sunt, divinae gratiae operante virtute per Iesu Christi merita iustificationem vitamque aeternam consequi possunt. Quod si contigerit, non hi extra Ecclesiam salvi fiunt; quippe ad quam spiritu pertinere possint, qui ab externa communione praeter voluntatem suam impediuntur » (MANSI 53, 312 C-D; cf. relationem Iosephi Kleutgen de schemate reformato *l. c.* 323 s.).

4) Ex sententiis theologorum: Qui tenent: Homines, qui non *re*, tamen *voto* Ecclesiae coniuncti sunt, mediante gratia Christi salvos fieri posse, simili modo quo quis « sine baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium baptismi » (*S. Th.* 3 q. 68 a. 2 c.).

Cf. S. Robertus Bellarminus, *Disputationes de controversiis christianae fidei adversus huius temporis haereticos* 3, 16.

Franciscus Suaresius, *Defensio fidei catholicae et apostolicae* 3, 1.

5) Reprobationis rationes: Permulti catholici inter acatholicos vivunt, qui religionem parvi aestimant et omnes confessiones et ritus eiusdem valoris esse affirmant. Damno autem est veritati et etiam unioni Christianorum, si differentia inter confessiones negatur vel obscuratur.

6. Praedicetur Episcoporum potestas tum ordinis tum iurisdictionis. Quod fiat eo sensu quo docent:

1) Sacra Scriptura: *Act.* 20, 28.

2) Sancti Patres, praesertim S. Ignatius Antiochen., « doctor classicus episcopatus ».

3) Concilium Tridentinum (DENZ. 960) et Vaticanum (DENZ. 1828).

4) Leo PP. IX Epistola Encycl. *Satis cognitum*: Episcopi... « non tamen vicarii Romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam » (*A.S.S.* 28, 1895-96, 732). Pius PP. XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis* (*A.A.S.* 35, 1943, 211 s.); Allocutio *Si diligis* (*A.A.S.* 46, 1954, 314); Litt. Encycl. *Fidei donum*: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba, quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " » (*A.A.S.* 49, 1957, 237).

7. Agatur de Episcopis titularibus tamquam testibus fidei eminentioribus:

1) Unusquisque Episcopus vi ordinis oportet « ea, quae ex divinis Scripturis intelligit » et « traditiones orthodoxorum Patrum verbis docere et exemplis » ac « anathematizare etiam omnem haeresim, extol-

lentem se adversus sanctam Ecclesiam catholicam » (Ordo consecrationis).

2) Ius Canonicum constituit: Episcopos titulares ad Concilium Oecumenicum vocari posse et « Vocatos suffragium obtinere deliberativum, nisi aliud in convocatione expresse caveatur » (*C.I.C.* can. 223 § 1).

3) Pius PP. XII etiam Episcoporum titularium opinionem de Assumptionis B. M. V. in caelum dogmate fidei definiendo quaesivit, et Praeses Commissionis Antepraeparatoriae pro futuro Concilio Oecumenico ab iis postulavit, ut consilia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio tractari possint, communicent.

8. Unanimis consensus totius fidelium coetus in rebus fidei et morum argumentum et criterium divinae Traditionis est.

Declaretur:

1) Ex doctrina SS. Patrum:

S. Athanasius, *Epistola de synodis Arimini in Italia et Seleuciae in Isauria celebratis,* 4 (*PG.* 26, 686 s.).

S. Gregorius Nazianzenus, *Epistola II ad Cledonium contra Apollinarium* (*PG.* 37, 199).

S. Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione,* lib. 1, cap. 24 (*PL.* 44, 128 s.).

Sermo 294, cap. 13 et 17 (*PL.* 38, 1343 et 1345 s.).

Contra Iulianum lib. 1, cap. 7 (*PL.* 44, 662).

De dono perseverantiae, cap. 23 (*PL.* 45, 1031).

2) Ex dictis et factis Summorum Pontificum Pii PP. IX et Pii PP. XII.

Praedicti Pontifices tantum aestimant consensum fidelium, ut exspectent ab Episcopis orbis testimonium non solum proprium sed etiam cleri et populi; hic ante definitionem fidei dogmatis de Immaculata Conceptione B. M. V., ille ante pronuntiationem dogmatis fidei de Assumptione B. M. V. in coelum. Iis Pontificibus « singularis catholicorum Antistitum et fidelium conspiratio » manifestat illas veritates a Deo revelatas esse. (Bulla *Ineffabilis Deus, Acta* Pii IX, p. I vol. I, pag. 615; Constitutio Apostolica *Munificentissimus Deus, A.A.S.* 42, 1950, 756).

3) Ex sententia theologorum: Vincentius Lerinensis, *Commonitoria* cap. 2 (*PL.* 50, 640); cap. 33 (*PL.* 50, 684-686).

Gregorius de Valentia, *Analysis fidei catholicae,* pars VI et VIII.

4) Ex rationibus theologicis:

a) Spiritus Sanctus, anima Ecclesiae, est « totus in Corpore totus in singulis membris » (Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi, A.A.S.* 35 (1943) 216 et 218-220.

b) « Baptismatis enim lavacro, generali titulo christiani in My-

stico Corpore membra efficiuntur Christi sacerdotis, et " charactere " qui eorum in animo quasi insculpitur, ad cultum divinum deputantur; atque adeo ipsius Christi sacerdotium pro sua condicione participant ». (Litt. Encycl. *Mediator Dei, A.A.S.* 39, 1947, 555).

Qualis participatio perficitur per sacramentum Confirmationis, quae « ita se habet ad baptismum, sicut augmentum ad generationem » (*S. Th.* 3 q. 72 a. 6 c; cf. *S. c. G.* IV, 58, 60).

Ergo christifideles suo modo consortes fiunt magisterii Christi Summi Sacerdotis, pleni gratiae et veritatis (*Io.* 1, 14).

9. Laicorum dignitas, iura ecclesiastica, auxilia officiaque, quibus fungi possint, statuantur.

Inter « actus legitimos ecclesiasticos », de quibus can. 2256 § 2 *C.I.C.* enumerentur alia munera, quippe quae olim clericis reservata decursu temporis laicis commissa sunt, imprimis munus inserviendi et respondendi sacerdoti sacrosanctum Missae sacrificium offerenti, item alia recentius in Ecclesia exorta quibus laici funguntur:

1) Pius XII Litt. Encycl. *Mediator Dei, A.A.S.* 39 (1947) 552-556, docet dignitatem baptizatorum praecipuam esse participationem sacerdotii Christi, qua fideles redduntur capaces, qui officio fungantur, offerendi una cum sacerdote sacrificium eucharisticum.

2) Character sacramentalis Baptismi et Confirmationis secundum doctrinam S. Thomae Aq. (*S. Th.* 3 q. 63) est deputatio ad cultum christianae religionis et participatio sacerdotii Christi. E textibus S. Scripturae, quibus regale sacerdotium christianorum praedicatur (*I Petr.* 2, 5-9; *Apoc.* 1, 6; 5, 10) una cum doctrina S. Thomae supra laudata concludere licet, charactere sacramentali christianis participationem etiam regiae dignitatis Christi conferri. Quae duplex dignitas baptizatorum principium est, quo derivantur iura, quibus membra Ecclesiae gaudent et uti possunt, et auxilia, quae praestare debent, et officia, quibus fungi possunt.

3) Ut illa participatio actuosa, quam ipsi Summi Pontifices iterum atque iterum postulaverunt, tum in sacra Liturgia celebranda tum in munere apostolico Ecclesiae implendo magis eluceat atque efficacius promoveatur, expedire videtur ea officia, quae in lege indirecte tantum laicis permittuntur — cf. cann. 813 § 2; 2259 § 2 *C.I.C.* et Instructio S. Congregationis Rituum, 3 sept. 1958 n. 93 c., *A.A.S.* 50 (1958) p. 656 — directe eis demandare, quaeque adhuc in *C.I.C.* non sat clare censentur, expresse laudentur et accurate describantur.

10. Verbi divini in Ecclesia praedicati virtus salutifera extollatur.

Non solum de verbo Dei inspiratione Spiritus Sancti scripto hic agitur, sed de omni et toto verbo divino, quod Christus dilectae sponsae tamquam vivum et efficacem sermonem (*Hebr.* 4, 2) tradidit et quod Ecclesia assistente et suggerente Spiritu Sancto (*Io.* 14, 26) ex auctoritate Christi proponit:

1) Non desunt testimonia Sacrae Scripturae (*Is.* 55, 11; *Eph.* 6, 17; *Hebr.* 4, 12), immo ipsius Christi (*Io.* 15, 3) efficacitatem salutiferam verbo divino attribuentia. Dicente Domino: « Qui vos audit, me audit » (*Luc.* 10, 16) simile quid de verbo Dei in Ecclesia praedicato affirmare licet.

2) Quodsi verbis Sacrae Scripturae in seipsis lux et virtus propria inest, ut merito Augustinus Card. Bea defendit (Cf. Actus congressus internationalis I pro liturgia pastorali Assisiensis nr. 2, 2; 3, 2; 4, 1), virtutem sacramentalium superans, haec efficacitas abundat, cum in celebratione sacrifici eucharistici lectio S. Scripturae cum hoc sacrificio intime se coniungit.

3) Liturgia Romana utitur formulis sequentibus: « Per evangelica dicta deleantur nostra delicta ». « Evangelica lectio sit nobis salus et protectio ». Formula iuramenti est haec: « Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

4) S. Thomas Aq. significationem salutarem et sacramentis et verbis S. Scripturae attribuit dicens (*S. Th.* 3. q. 60 a. 5 ad 1): « Deus autem est, qui nobis significat spiritualia per res sensibiles in sacramentis et per verba similitudinaria in Scripturis ».

5) Praedicatio verbi divini communiter a theologis connumeratur inter gratias externas.

6) Cum verbum divinum magni aestimare proprium non sit Protestantibus, Concilium futurum docendo virtutem salutiferam verbi divini opprobria adversariorum obmutescere faciet et animadvertentiam ignorantium excitare poterit.

11. Spiritus Sancti inhabitatio tum in Ecclesia universali tum in singulis membris iustificatis magnificetur:

1) Textus S. Scripturae et Patrum de inhabitante Spiritu Sancto et de dono eiusdem clare affirmant non solum effectus Spiritui Sancto appropriatos sed ipsum personaliter inhabitantem.

2) Theologi (praesertim explanantes Symbolum dictum apostolorum) in Ecclesia Spiritum Sanctum inesse docent. (Cf. HUGO A S. VICT., *De sacr.* 1, 2 pars 2 c. 1-2 (*PL.* 176, 415-417). ALBERT M.., *De incarn.* tr. 5 q. 2 a. 1 (ed Colon. 26, 213-214). THOMAS AQ., *Expos. symb.*

De singulis iustificatis theologi realem distinctionem inter « gratiam increatam » et « gratiam creatam » docent.

3) Pius XII Litt. Encycl. *Mystici Corporis* Spiritum Sanctum tamquam animam in Ecclesia praedicat. Cf. *A.A.S.* 35 (1943) 206-207, 219-221.

4) Obiectio adversariorum, quod doctrina catholica parvipendat relationes personales inter iustificatum vel Ecclesiam et Deum trinum, repellatur.

12. Connexus cultus ecclesiastici cum unico sacrificio Christi manifestetur:

1) Ep. ad Hebraeos multifariam loquens de uno sacrificio Christi et eiusdem sacerdotio (*Hebr.* 7, 25-27; 9, 24-26; 10, 10-12-14) incitat fideles, ut per Christum offerant Deo semper hostiam laudis (13, 15).

2) Pius XII Litt. Encycl. *Mediator Dei* celebrat sacrificii eucharistici et ceterorum sacramentorum immo totius cultus ecclesiastici coniunctionem intimam cum unico sacrificio Christi. Cf. *A.A.S.* 39 (1947) 512-522, 527, 550, 573.

3) Hac de re S. Thomas Aq. sic docet: « Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi » (*S. Th.* 3 q. 63 a. 3) « Illi qui deputantur ad cultum christianum, cuius auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurentur » (*ibidem*).

« Per suam passionem initiavit ritum christianae religionis, offerens seipsum oblationem et hostiam Deo, ut dicitur *Eph.* 5. Unde manifestum est, quod sacramenta Ecclesiae specialiter habent virtutem a passione Christi, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionem sacramentorum » (*S. Th.* 3 q. 62, 5).

4) Contra eos qui cultum catholicum Christo derogare dicunt, iuvat non solum una cum Tridentina synodo ss. Eucharistiam ab hoc opprobrio defendere, sed etiam aperte declarare Deo Patri per Filium ab Ecclesia in Spiritu Sancto congregata cultum acceptum deferri omni actu liturgico, cuius virtus derivetur ex uno sacrificio Christi.

II – DE RE MORALI

13. Concilium refutet errores Razzismi, quem vocant, Individualismi, Collectivismi et Totalitarismi, quia hoc tempore maxime perturbant animos etiam Christifidelium.

Haec systemata contradicunt veritati revelatae de natura hominis, quae a Deo ad finem supernaturalem creata eiusque solius regimini tota-

liter subiecta est. Praxis errorum nostro tempore crescit et paci inter homines gravissimum periculum affert.

14. Inculcetur fidelibus poenitentiam et abnegationem sui necessarias esse non solum ex lege ecclesiastica dispensabili, sed etiam ex lege evangelica.

Ii qui poenitentiam et abnegationem sui necessarias esse negant, Materialismo practico favent, qui res creatas propter utilitatem magis aestimat quam religionem et virtutem. Doceantur fideles, se obligationi poenitentiae sola observatione legis ecclesiasticae non satisfacere, sed lege evangelica se teneri, quae conscientiam astringit et a qua nemo dispensari potest.

15. Concilium damnet doctrinam et praxim abusus matrimonii et tutetur abstinentiam periodicam tamquam moraliter honestam:

1) Abusus matrimonii repugnat naturae actus coniugalis et doctrinae catholicae. Hodie tamen propagatur a multis etiam christianis, praesertim ab Anglicis et sectis, qui ei indulgent tamquam medio apto, quo coerceatur incrementum generis humani. Ex Materialismo orta et existimatione publica propagata haec praxis etiam vitam Christifidelium a via Dei avertere studet.

2) Usus matrimonii tempore ageneseos (abstinentia periodica) in Encyclica *Casti connubi* a Pio XI quibusdam condicionibus licitus et honestus docetur, *A.A.S.* XII, 539 ss. Optandum est, ut a Concilio haec sententia explicite approbetur eum in finem, ut coniuges, qui hanc methodum certis condicionibus in usu matrimonii adhibent, tuta conscientia vivere possint.

III – DE RE OECUMENICA

16. Constituatur in Urbe Institutum Pontificium, in quo de omnibus religionis christianis acatholicis scientifice disseratur. In omnibus Facultatibus catholicis et Seminariis maioribus lectiones de eadem materia habeantur:

1) Necessitas elucet ex verbis Pii Pp. XII in Litt. Encycl. *Humani Generis*: « Iamvero theologis ac philosophis catholicis, quibus grave incumbit munus divinam humanamque veritatem tuendi animisque inserendi hominum, has optationes plus minusve ex recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet. Quin immo ipsi easdem opinationes perspectas habeant oportet, tum quia morbi non apte cu-

rantur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnumquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum denique quia eadem animum provocant ad quasdam veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutandas ac perpendendas » (*A.A.S.* 35, 1943, 211 s.).

2) Instituta haereticorum ad investigandas religiones christianas condita exigunt centrum catholicum, quod operam det studiis societatum christianarum.

17. Constituatur Commissio Pontificia ad tractandas quaestiones quas vocant oecumenicas, cui competat sermonem conferre cum gremiis et personis acatholicis, praesertim cum spectatoribus sic dictis in Concilio Oecumenico. Huic Commissioni Concilio dissoluto mandatum detur, ut secundum normas generales a Patribus Concilii statutas decreta res oecumenicas spectantia in specie conficiat, uti v. g. in rebus liturgicis et catecheticis factum est a Pontificibus insinuante concilio Tridentino (Ed. Goerres. 9, 1106, 10-17).

18. « Ordo ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel haereticum » (Pontificale Romanum, pars III) abbrevietur et conditioni spirituali aetatis nostrae adaptetur.

a) Quia pro haereticis materialibus, quorum numerus minime parvus est, nimis grave videtur tractari tamquam haereticos formales.

b) Ipso Summo Pontifice Ioanne XXIII instigante S. Rituum Congregatio liturgiam feriae sextae in Passione et Morte Domini immutavit eliminans verba Iudaeis offensiva. (Cf. Prot. U. 4/959 die 19 maii 1959).

Eadem S. Congregatio decrevit abolendas esse formulas falsas religiones horrescendas in Rituali Romano, tit. II, cap. IV, n. 10: Ordo Baptismi adultorum, et cap. VI n. 7: Supplenda super adultum baptizatum. (Prot. H. 10/959 die 27 novembris 1959).

Ad quod decretum Ephemerides Liturgicae (74, 1960, 134) adnotant: « Adulti qui bona fide per tot annos in propria religione vixerunt, christianam militiam amplectentes aegre ferunt de paterna religione tam cruda verba sibi esse proferenda ».

IV - DE RE CANONICA

19. Mutato praescripto can. 81 Ordinariis locorum ius sit, dispensandi a legibus ecclesiasticis generalibus, a quibus Sedes Apostolica dispensare solet, nisi aliud in ipsa lege expresse caveatur:

1) Quae ordinarie contingunt, in potestate ordinaria Episcopi

tamquam « iudicis ordinarii » esse debent. Atqui concessio facultatum hucusque Episcopis per delegationem facta non iam res extraordinaria habenda est, uti ex praxi S. Sedis elucet, quippe quae istas facultates Ordinariis regulariter tribuit.

2) Dubitandum videtur, num quaedam rationes, quae historia teste ad reservationes introducendas iuverunt (v. gr. taxarum ad sustentationem S. Sedis comparandam), hodie adhuc magni aestimandae sint.

3) Potestati supremae S. Sedis satisfieri videtur eo quod 1° reservationes expresse statuendae praevidentur, 2° praxis S. Sedis tamquam norma dispensandi habetur, 3° decreta particularia S. Sedis eximuntur.

20. Can. 979 *C.I.C.* § 1 mutetur hoc modo: Pro clericis saecularibus titulus canonicus est titulus servitii dioecesis resp. missionis. Gravi de causa Ordinarius titulum beneficii vel patrimonii pro casu admittere potest. Can. 981 § 1 deleatur.

Inculcandum est illud principium genuinum et fundamentale, quod ipse *C.I.C.* sat clare exprimit nempe clericos divinis ministeriis esse mancipatos (can. 108 § 1) et ordine suscepto ad ministerium exercendum destinatos (can. 948). Ratio econtra utilitatis privatae, quae in « titulo beneficii » et in ipso instituto beneficii (ex iure germanico ecclesiarum propriarum orta) praevalet, non nisi secundaria haberi potest.

21. Optandum, ut parochi et alii sacerdotes officium curatum habentes, qui annum aetatis 70 compleverunt, tum ab Episcopo revocari possint ab officio, quin formae iudiciariae cann. 2147 sqq. servari debeant, tum ipsi parochi renuntiare queant nulla causa canonica requisita praeter aetatem provectam. Ordinarius renuntiationem acceptare debet, nisi propter penuriam sacerdotum necessitas dioecesis aliud postulet.

Cum ius canonicum multas restrictiones, quae potestati Episcoporum ex instituto beneficii ortae sunt, iam aboleverit, v. gr. ius patronatus acquirendum, convenienter etiam lex inamovibilitatis parochorum denuo mitigatur, quippe quae maxime saluti animarum obstare potest. Iuri tamen Episcopi hoc modo adaucto correspondeat una ex parte obligatio ipsius consulendi aptis mediis sustentationi sacerdotum aetatis provectioris, altera ex parte ius sacerdotis exigendi, ut tempus sibi praebeatur, quo liberius saluti propriae animae vacare possit.

22 Obligatio fructus superfluos impendendi pro pauperibus aut piis causis (cf. can. 1473 *C.I.C.*) extendatur ad omnes sacerdotes quodlibet ministerium ecclesiasticum exercentes.

Cum propter exiguitatem dotis aliisque ex causis permulti sacerdotes sustentationem non iam ex beneficio habeant, praescriptum can. 1473 applicari vix potest. Attamen legem, qua sacerdotes saeculares obstringuntur, ut pro suo modo paupertatem evangelicam foveant, minime oblitterari fas est, uti traditio ecclesiastica necnon exhortationes Summorum Pontificum indefesse postulant, cf. Litteras Encycl. Ioannis Papae XXIII *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959.

23. Matrimonium contra praescriptum can. 1094 initum coram sacerdote potestate matrimonio assistendi non munito validum habeatur (etiamsi illicitum), dummodo

a) Sacerdos assistens nec irregularitate nec poena ministerium divinum prohibente notorie sit innodatus.

b) Matrimonium celebretur in Ecclesia vel oratorio publico aut semipublico a iure non excluso.

c) Parochus competens investigationes praescriptas (cf. can. 1021 § 1) fecerit et nihil celebrationi matrimonii obstare constiterit.

Finis decreti « Tametsi » Concilii Tridentini erat, ut impediantur matrimonia clandestina seu dubia. Tamen lex ista in determinanda persona sacerdotis assistentis multis dubiis ansam dedit, quod tam mutatio normae ab Ecclesia introducta quam numerosae interpretationes authenticae in hac re a S. Sede factae probant. Non raro accidit, ut nupturientes catholici, Ecclesiae obedientes et confidentes, Sacramento priventur, citra suam culpam et postea, de hac re infelici certiores facti, cognoscant se in matrimonio invalido vixisse. Nec suppletio iurisdictionis (cf. can. 209 *C.I.C.*) efficax remedium fuit, uti multae quaestiones, quae hac de re moventur, demonstrant.

Itaque validitati matrimoniorum melius consulendum videtur, eo quod sacerdotes potestate assistendi carentes non iam (a iure) delegentur ex titulo erroris communis, sed ex solo titulo facti notorii et in lege determinati, de quo error oriri nequit.

24. Norma can. 1399 *C.I.C.* restringatur ad eos libros, qui solo iure ecclesiastico prohibentur, ita ut solummodo numeri 1 et 5 referantur ceteris demptis aut ad suos locos in *C.I.C.* remissis. In n. 5° post verba « sint privatae » inserantur sequentia: « necnon imagines sacrae, de quibus in can. 1385, § 1, n. 3 ».

1) Lex canonica, a qua Ecclesia dispensat, bene distinguenda est a lege naturali indispensabili, ne periculum oriatur, de quo can. 1405 § 1.

2) Lex ecclesiastica, ne inefficax evadat, tam clare et distincte

scripta esse debet, ut priusquam quis librum legere incipiat, constet, num liber prohibitus sit necne. Atqui can. 1399 multa dubia relinquit.

3) Ecclesia quoad res cinematographicas aliaque nova media huius generis nonnisi normis Theologiae moralis nititur, quas immediate ex voluntate Dei conscientiam uniuscuiusque ligare ipsa docet et insinuat. Qui modus agendi etiam quoad libros legendos principaliorem locum habeat necesse est relictis paucis tantum legibus ecclesiasticis pro causis maximi momenti, cuius v. gr. sunt editiones Sacrae Scripturae.

25. Sententia, qua liber catholici auctoris in indicem librorum prohibitorum inseritur, ne feratur, quin prius causa damnationis cum auctore communicetur eique occasio praebeatur, ut coram Ordinario proprio sensum a se intentum declaret seque defendere possit.

Summopere curandum est, ne auctor machinationibus calumniosis obnoxius sit. Si auctor se subiciat et mandatis iniunctis obediat, immunis sit pro prima saltem vice a quolibet damno accipiendo:

1) Votum nititur imprimis celebri Constitutione Apostolica Benedicti Papae XIV *Sollicita ac provida,* 9 iulii 1753, de qua clarissimi Wernz-Vidal scribunt: « Si quoad litteram et spiritum semper observata fuisset, vix querelae de procedura ecclesiastica in damnatione librorum catholicorum ortae essent » (Ius. Can. IV, 2 Romae 1935, p. 152). Insuper ipse *C.I.C.* in can. 1398 § 2 admittit, quod liber prohibitus rursus cum licentia Superioris in lucem edatur « factis correctionibus », quod tamen non audito auctore fieri impossibile esset.

2) Illud « audiatur et altera pars » non est negligendum, ubi non solum de fato libelli, sed etiam de fato hominis, scl. auctoris, agitur. Valde suadendum videtur, ut auctor in defensione, de qua sermo est, lingua vernacula uti possit ideoque coram proprio Ordinario audiatur.

26. Poena interdicti abrogetur.

Interdictum de excommunicatione derivatum est, et cum directe in personam applicatur, fere eosdem effectus producit ac excommunicatio, ideoque superfluum esse videtur.

Cum vero excommunicatio ex natura rei cadat in solos contumaces, quamdiu contumacia perdurat, interdictum locale plectit etiam innocentes, ut nocentes corrigantur. Talis « excommunicatio ligans omnem terram » (Concilium Lemovicen. 1031, MANSI 19, 541) hodie iniusta habetur, cum tangat iura spiritualia, quae fidelibus uti singulis conveniunt; insuper interdictum locale efficaciter non iam ferri potest, cum structura politica et socialis inde a medio aevo, quo interdictum ortum habuit, funditus sit immutata.

27. Numerus legum, quae poenas latae sententiae statuunt, minuatur. Censurae reservatae ad duas tantum species reducantur, ita ut habeantur nonnisi censurae aut Apostolicae Sedi aut Ordinario reservatae demptis ulterioribus specificationibus.

Censurae nemini reservatae non habeantur.

Systema iuridicum, quod poenis latae sententiae utitur, debet esse mite et simplex et perspicuum, ne inefficax evadat, praesertim si etiam delicta occulta talibus poenis plectuntur. *C.I.C.* tamen aliquas poenas latae sententiae continet, quae nimis rigorosae videntur, v. gr. praescriptum can. 2405. Ad tutanda bona temporalia Ecclesiae aliaque iura ecclesiastica ordinis publici solummodo adhibeantur poenae ferendae sententiae, cf. cann. 2345 et 2346. Ius poenale *C.I.C.* multiplicitate distinctionum maxime laborat, quae attenta hodierna praxi ecclesiastica vix necessariae sunt quaeque impediunt, ne disciplina ecclesiastica ab iis ad quos pertinet cognoscatur et percipiatur.

V – DE RE LITURGICA

28. Generalizentur permissiones pro Hebdomada Sancta datae i. e. generaliter permittantur:

a) Missa cum diacono.

Missa cum diacono inter formas Missae « presbyteralis » est antiquissima (cf. Chrysostomus, in *Act.* 18, 4 s.: *PG.* 60, 147 s.) et iam inde instauratione digna. Apud Orientales usque hodiedum, apud Occidentales usque in medium aevum in usu erat; postea in Occidente in desuetudinem venit, sed in quibusdam familiis religiosis (e. g. in Ord. Cist.) venerabilis traditio usque ad hodiernum diem interrupta non est.

b) Omissio confessionis et absolutionis ante distributionem S. Communionis infra Missam.

Confessio et absolutio ante S. Communionis distributionem historia teste originem habent in ritu Communionis infirmorum; exeunte medio aevo etiam pro Communione intra Missam assumpta sunt, ubi minus feliciter repetunt formulas iam in initio Missae a sacerdote ante gradus altaris prolatas.

c) Omissio ultimi Evangelii i. e. Prologi Evangelii S. Ioannis

Lectio initii Evangelii S. Ioannis in fine Missae ex privata pietate medievali originem duxit, quae hunc textum considerabat tamquam formulam efficacissimam benedictionis. Qua conceptione non iam vigente melius videtur omittere ultimum Evangelium, quod insuper minuit momentum « primi » Evangelii.

d) Omissio — inter textus a Celebrante in Missa pontificali et

sollemni recitandos — « eorum omnium, quae diaconus vel subdiaconus aut lector vi proprii officii cantant vel legunt » (Decr. gen. S. C. R. 16 nov. 1955: Bugnini 68: II, 6). Permissio similis detur — et quidem pro missis in cantu generaliter — quoad omnes textus, quos — similiter « vi proprii officii » — schola cantorum vel quos fideles co-offerentes latine cantant salvis canticis Sanctus et Benedictus, qui semper et a Celebrante cantandi vel recitandi sunt.

Antiquitus Missa recte considerabatur tamquam sacrum quoddam drama; inde vigebat sanum illud principium: « Quod ab uno dicitur vel fit, haud duplicatur ab altero » (Bugnini). Obligatio sacerdotis recitandi omnes textus Missae, quamvis ab aliis sacri dramatis actoribus iam prolatos vel adhuc proferendos, est innovatio minus felix Missalis quod S. Pius Pp. V anno 1570 edidit, qua quasi devalorizantur omnia, quae in Missa non ab ipso Celebrante fiunt vel proferuntur. Decr. gen. S. C. R. 9. febr. 1951 sustulit pro Hebdomada Sancta hanc obligationem quoad partes s. ministrorum (Bugnini 68, 48); auferenda insuper esset — et quidem pro toto anno et pro quavis Missa in cantu — quoad partes scholae et populi salvis cantibus Sanctus et Benedictus, qui et ad populum et — tamquam Praefationis conclusio — ad Celebrantem pertinent; adhuc s. XII hi duo cantus a sacerdote simul et populo cantabantur; cf. e. g. Honorius Augustodun., *Gemma animae* I, 42 (*PL.* 172, 556).

Scholae cantorum in celebratione Missae proprium officium convenire inculcat Instr. S.C.R. 3 sept. 1958 (Bugnini, 84, 93 c); eadem Instr. participationem laicorum Missae adstantium « liturgicam » vocat (*ibid.* 93 b), quod correspondet doctrinae a Pio Pp. XII in Encycl. *Mediator Dei* noviter inculcatae (cf. praesertim Bugnini 41, 91).

29. Rubricarum simplificatio et adaptatio per recens decretum de Rubricis ad simpliciorem formam redigendis (Bugnini 65) feliciter inchoata continuetur. Statuatur e. g.

a) Dominicam nunquam cedere Festo Sancti cuiusdam occurenti. Minus conveniens videtur Dominicam, quae est antiquissimum inter festa Domini, quod etiam festum Paschatis antiquitate antecellit, ulli festo ex Proprio Sanctorum cedere. Revalorisatio et consolidatio Dominicae a S. Pio Pp. X feliciter inchoata (cf. Bugnini 10) tali regula ad finem perduceretur.

b) Missam votivam pro sponso et sponsa gaudere privilegio Missae votivae sollemnis.

Missam votivam pro sponso et sponsa iuxta Rubricas vigentes celebrari debere more et tono feriali minus conveniens videtur ex duplici ratione. Dignitas sacramenti, cum cuius celebratione haec Missa intime

connexa est, et momentum quod consuetudines populorum christianorum huic Missae nuptiali recte attribuunt, postulare videntur ritum et tonum festivum.

c) Revideantur Rubricae, quibus Adventus Quadragesimae aequiparatur.

Verum quidem est, tempus Adventus considerari posse quodammodo tamquam alterum tempus poenitentiae in circulo anni recurrens; tamen poenitentia, ad quam quotannis hoc tempore recollectionis et exspectationis Domini venturi invitamur, non est eadem ac poenitentia quadragesimalis. Hoc inter alia probatur ex facto, quod varia tentamina medii aevi introducendi legem ieunii etiam in Adventum successum non habuerint (cf. can. 1252). Characteri potius gaudioso, quem praesertim Adventus antiquae Liturgiae Romanae praeseferabat, minus convenire videtur inter alia omissio cantus Gloria in Missis dominicalibus per Adventum.

30. Revideatur Kalendarium Ecclesiae universalis eo sensu, quod illorum tantum Sanctorum in eo festa retineantur, quorum veneratio revera toti orbi catholico commendanda videtur, ceteris cultui locali et regionali vel cultui singularum familiarum religiosarum commissis:

1) Qui in re liturgica « pristinam sanctorum Patrum normam » vult sequi quam S. Pius Pp. V sibi in reformando Missali Romano proposuerat (cf. Bullam introd. 14 iulii 1570), inculcare debet characterem funditus localem vel regionalem venerationis servorum Dei. Cuius origo historica est in cultu fidelium ad eorum sepulcra recurrente die natali congregatorum. In quo charactere locali vel regionali specialis vis residet; multo vehementius enim movet memoria et exemplum hominis quem inter compatriotas connumerare licet. Concedendum est, praeter B. Mariam Virginem, Praecursorem Domini et Apostolos, quos ab antiquo universus orbis christianus veneratur, quosdam alios sanctos (e. g. S. Iosephum, S. Franciscum de Assisi aut S. Theresiam de Iesu Infante) propter specialem indolem recte meruisse venerationem totius orbis, ex qua veneratione uberes fructus spirituales provenerunt. Tamen non omnes Sancti, quorum nomina hodie in Kalendario universalis Ecclesiae continentur — multo minus omnes Sancti canonizati —, venerationi totius orbis commendandi videntur. Revisio talis Kalendarii urgens videtur, ne Ecclesia per totum orbem diffusa Europaeismi quem vocant reprehendatur.

2) Demum illud attingi debet, quod iam S. Pius Pp. V reformando Kalendarium universale appetivit, scilicet praevalentia Proprii de tempore supra Proprium Sanctorum; cf. permissionem ex anno 1956 feliciter vigentem, vi cuius in feriis Quadragesimae etiam Officium sem-

per dici potest de feria, nisi festum occurrens sit primae vel secundae cl. (Bugnini 65, 22).

31. Plenius admittatur etiam in celebratione eucharistica « vulgati sermonis usurpatio » quam « in non paucis ritibus valde utilem apud populum existere posse » Pius Pp. XII in Encycl. *Mediator Dei* affirmavit (Bugnini 41, 59).

a) Extendantur privilegia quibusdam territoriis iam benigne concessa (de quibus Pius Pp. XII in Encycl. *Musicae Sacrae*: Bugnini 69, 22) ad totum orbem: i. e. liceat ubique terrarum in missis in cantu usus linguae vernaculae pro cantibus Ordinarii et Proprii non exclusis translationibus litteralibus), salvo monito Pii Pp. XII, « ut ubique terrarum faciliores gregoriani moduli a fidelibus addiscantur » (Instr. S. C. R. 3 sept. 1958: Bugnini 84, 25 b, resumens monitum Encycl. *Musicae Sacrae*: Bugnini 69, 22):

1) Quod tempore Concilii Tridentini revera « non expediebat » (Denz. 946), sub hodiernis condicionibus expedire videtur. « Pauperes evangelizandi » (*Lc.* 4, 1), non raro ex familiis minus christianis orti et in mundo magis magisque materialistico viventes saepe aliud nutrimentum spirituale praeter Missam dominicalem non habent, quod nutrimentum multo efficacius esse patet, si plenior admissio linguae vernaculae fidelium participationem magis immediatam reddit et inde magis « consciam et actuosam » (Instr. S. C. R. 3 sept. 1958: Bugnini 84, 22 d).

2) Proponitur hac in re admodum delicata non revolutio sed evolutio, quae a privilegiis iam datis initium sumit. Elenchum horum privilegiorum vide Quest. Litt. Par. 41 (1960) 52 s. Quae privilegia — simul cum concessionibus Ritualium bilinguium: cf. Bugnini 42, 47, 50, 62, 67 — clare demonstrant Ecclesiam Romanam salvo iure linguae latinae in Liturgia occidentali etiam aliis idiomatibus dignitatem linguae liturgicae iam attribuisse, adhuc tenet, quod Ioannes Pp. VIII scribens de lingua slavonica in Liturgiam admittenda expressit: « Qui fecit tres linguas principales, Hebraeam scil. Graecam et Latinam ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam » (Mon. Germ. Ep. VII, 224).

3) Experientia dioecesium Germaniae, quae tali privilegio (nuper a S. Officio denuo confirmato: Bugnini 87) ex saeculis gaudent, probat non solum effectum salutarem frequentis et actuosae participationis, praecipue virorum, sed etiam falsitatem obiectionis, quod cantus Gregorianus quasi necessario talibus privilegiis destrueretur. Dioeceses, in quibus « Missa cantata cum populi cantu in lingua vernacula » floret, nunquam neglexerunt « faciliores Gregorianos modulos » qui in libris precum ab

Ordinariis editis (Diözesan-Gesangbücher) impressi saepius a choro — in non paucis ecclesiis alternatim cum populo — cantantur.

4) Pro extensione privilegii ad cantus Proprii et ad translationes litterales exempla iam habentur; cf. in elencho supra sub 2) citato nn. 17 a et 13 b.

b) Secundum declarationem Pii Pp. XII (*Alloc.* 22 sept. 1956: BUGNINI 72, 36) retineatur sermo latinus — extra territorium Missionum — pro omnibus textibus Missae, qui ad sacerdotem tantum pertinent, i. e. pro Oratione, Praefatione, Pater Noster et Postcommunione necnon pro omnibus textibus, qui a sacerdote submissa voce dicuntur:

1) Unitas Ecclesiae latinae ex his elementis constitutivis semper et ubique a sacerdotibus latine recitandis satis eluceret.

2) Fideles clarius recognoscerent, quae elementa celebrationis eucharisticae ad solum sacerdotem pertineant.

3) Contra obiectionem ex usu diversarum linguarum in eadem celebratione oriri quandam inelegantiam respondetur: talem inelegantiam (si quae est) Ecclesia propter salutem animarum ex misericordia erga « parvulos, qui petunt panem » (cf. DENZ. 946) supportare potest et debet et in Oriente iam antiquitus supportabat; cf. Litanias arabicas in Liturgia syriaca. De cetero nemo nescit Missale Romanum ex antiquissimis temporibus continere elementa graeca et hebraica.

4) Pius Pp. XII, qui « ex gravibus causis » (BUGNINI 72, 36) pro textibus sacerdoti tantum in Missa Romana destinatis linguam latinam conservandam esse postulavit, sub hoc principio territoria Missionalia subsumere noluit testibus concessionibus admodum largis, quas ipse anno 1949 pro territorio Sinensi et paucis annis post pro quibusdam sacerdotibus in statu Israel degentibus impertivit extendendo admissionem linguae vernaculae in Missa ad omnia quae a sacerdote clara voce dicenda sunt (cf. in elencho supra sub 2 citato nn. 4 et 8). Reapse historia teste Liturgia latina nimis difficulter in cordibus radices agit, ubi nullus omnino nexus cum lingua et cultura (quam vocant) latina existit. « Noi abbiamo tentato di far passare l'Oriente (estremo) attraverso una Gerarchia estera e attraverso il latino, e l'Oriente non è passato » (CELSO Card. COSTANTINI in *Alloc.* mense ian. 1940 Romae habita; cf. *Oss. Rom.* 25 ian. 1940.

c) Privilegia, de quibus supra, non extendantur ad Missam sollemnem et pontificalem.

Quae restrictio corresponderet limitationibus, quae S. Officium quoad privilegia Germaniae dioecesibus data expressit per Ep. 1 iun. 1955 (BUGNINI 66). Quandocumque Missa sollemniter celebratur, etiam in futuro eluceret quod « Latinae linguae usus, ut apud magnam Ecclesiae

partem viget, perspicuum est venustumque unitatis signum » (Pius Pp. XII in Encycl. *Mediator Dei*: BUGNINI 41, 59).

d) Sacras lectiones liceat immediate et sine praevia vel simultanea recitatione textus latini in lingua materna fidelium adstantium proferre, et quidem in Missis cuiusvis sollemnitatis, non exclusis lectis, dummodo sint Missae populares.

Argumentum supra sub a 1) allatum de nutrimento fidelibus immediate praestando praesertim valet de lectionibus. Iam recognitum est hoc argumentum ab ecclesiastica auctoritate, ut indulta recentiora probant, vi quorum licet « Epistolam et Evangelium latine primum, deinde lingua vernacula proclamare » (Ind. pro dioecesibus Galliae 12 oct. 1956: BUGNINI 72; similis permissio data est dioecesibus Germaniae 11 febr. 1959: BUGNINI 88).

Recitatio praevia latina — saepe nonnisi ab ipso sacerdote intellecta — non videtur indispensabilis, praesertim cum duplicatio ambarum lectionum Missam nimis longam reddat. Ne audientes nimia morositate illo taedio afficiantur, de quo in Rubr. gen. Missalis sub n. XVI, 2, tollatur obligatio recitationis praeviae latinae.

32. Instaurentur in Missis et Vesperis popularibus preces, quibus Ecclesia publice et explicite secundum monitum Apostoli intercedit « pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt » (*I Tim.* 2, 1 s) necnon pro necessitatibus mundi et Ecclesiae. Quae preces fiant in lingua vernacula, et quidem in Missa post Homiliam vel post « Oremus » in initio Offertorii:

1) Tales preces teste S. Iustino (*Apol.* I, 65: *PG.* 6, 428) ex antiquissimis temporibus in Missa post lectiones et homiliam respondente populo recitabantur, et quidem in Occidente pariter ac in Oriente; saepe honorifico nomine « Orationis fidelium » nuncupabantur. Dum Oriens eas usque hodiedum conservat, in Occidente in desuetudinem venerunt (salva Feria VI in Parasceve, in cuius Liturgia semper recitantur in forma antiquissima). Primis temporibus detrimentum non erat ita grave, quia loco illarum precum praesto erant et Litania in initio Missae cum populo respondente « Kyrie eleison » recitata et preces intercessoriae Canoni insertae, tunc temporis adhuc audibiliter coram populo recitatae. Cum hodie submissa voce proferuntur, nullibi iam patefit Ecclesiam sacrificium Christi offerentem intercedere pro necessitatibus humanitatis.

In talibus precibus (inclusis Orationibus Sollemnibus Feriae VI in Parasceve) Mahometanorum specialis fieri deberet mentio sicut usque ad recentem mutationem specialis formula pro iis praesto erat in ritu Bapti-

smi adultorum (*Rit. Rom.* Tit. II, Cap. IV 10); aegre enim ferunt — et non sine causa —, si sub paganis subsummuntur. Altera ex parte speciali modo intercessione Ecclesiae indigent, quia experientia teste tam difficulter viam ad Evangelium Christi inveniunt.

2) Pro usu linguae vulgaris in hac Oratione fidelium instauranda habetur exemplum in legitimis consuetudinibus plus quam centenariis populorum christianorum Europae et Canadae. Incipiendo a s. IX (cf. REGINO PRUM., *De syn. causis et disc.* 190: *PL.* 132, 224 s.) per totum medium aevum Gallia, Anglia et Germania concionem dominicalem precibus vernaculis pro magnis causis mundi et Ecclesiae concludere solebant, quae consuetudo in non paucis locis praesertim Germaniae (ubi S. Petrus Canisius his precibus novam formam dedit) usque ad hodiernum diem perdurat.

3) Ex temporibus S. Chrysostomi (cf. *Hom.* 6 in *I Tim.*: *PG.* 62, 530) et Laudes et Vesperae cotidianae versus finem tales preces intercessorias continebant, in quibus fideles respondendo participabant. Etiam hic mos Orienti et Occidenti christiano erat communis et apud fratres orientales — etiam separatos — usque hodiedum perdurat. Reliquias huius consuetudinis etiam Occidens conservabat, nempe sic dictas « Preces » certis diebus in Laudibus et Vesperis recitatas. Sed per errorem Amalarii tamquam « preces flebiles » consideratae diebus tantum poenitentialibus assignatae sunt (cf. Decr. de simplificatione Rubricarum, 23 mart. 1955, quod usum talium precum ad dies poenitentiales i. e. Fer. IV et VI in temporibus paenitentialibus restringit: BUGNINI 65, IV, 7). Ut etiam in horis canonicis patefiat Ecclesiam secundum monitum Apostoli intercedere pro humanitate, in Breviario « secundum pristinam normam Patrum » reformato preces talis generis (nostris temporibus adaptandae et de die in diem variandae) denuo cotidie proferantur et quidem melius in Vesperis tantum, quia mane preces similes in Missa (reformata) locum suum habebunt.

33. Missale Romanum praeter ea, quae sub 1-5 iam dicta sunt, in his saltem capitibus reformetur:

a) Augeatur numerus Praefationum, addendo formulas pro Dominicis per annum, pro tempore Adventus, pro festis Martyrum.

Evolutio liturgica saeculi nostri iam feliciter mitigavit nimis strictam limitationem Praefationum introducendo novas formulas pro Missis defunctorum (1919), pro festis S. Ioseph (1919), pro Festo Domini Nostri Iesu Christi Regis (1925), pro Missa de Ss. Corde (1928).

Desiderantur adhuc formulae novae, et quidem praesertim pro Dominicis per annum loco formulae minus appropriatae, quia nimis didac-

ticae et non satis dominicalis, de Ss. Trinitate, sed et pro tempore Adventus et pro festis Martyrum.

Ex Praefatione dominicali patefiat Dominicam esse festum hebdomadale resurrectionis Christi necnon redemptionis nostrae, ex Praefatione Adventus Ecclesiam novo ardore exspectare Dominum venturum, ex Praefatione pro festis Martyrum nexum intimum interesse inter Regem Martyrum et eos, qui sanguinem pro eo fuderunt.

Formulae pro Dominicis et pro festis Martyrum seligi possent ex vetustis Sacramentariis.

b) Fiat revisio ordinis pericoparum, quae in Dominicis intra Missam coram populo leguntur, et quidem hoc sensu. Attribuantur denuo feriis IVis, VIis et Sabbatis temporis per annum, temporis Adventus et temporis Paschalis pericopae propriae. Quae pericopae hebdomadales simul cum serie hodierna pericoparum dominicalium cyclo quadriennali coram populo legi et explanari possent. Revideatur series hodierna.

1) Hodierna series pericoparum infimam tantum partem ex divitiis biblicis populo christiano dispertit; totus fere thesaurus S. Scripturae ei aperiri deberet.

2) « Consueta homilia », de qua in can. 1344, et « brevis Evangelii... explanatio », de qua in can. 1345, ditiores et variabiliores evadent, si non quotannis eaedem lectiones explanandae sunt.

3) Instruendo saltem tres dies inter hebdomadam recurrentes lectionibus specialibus vitatur taedium, quod oritur ex formula Missae dominicalis frequenter (post Kalendarium reformatum frequentius quam antea) per hebdomadam invariatim repetita.

Simul resumitur venerabilis traditio medii aevi, quam hac sub forma (tres lectiones hebdomadales) iam Commissio post Tridentinum Concilium pro re liturgica constituta instaurare conata est (cf. *Cod. Vat. Lat.* 12607, 8-11, citatum apud H. Jedin in periodico « Liturgisches Leben » 1939, p. 54, n. 82).

4) Seriem hodiernam reformatione quadam indigere iam clare vidit Marcellus Pp. II, tunc temporis tamquam Card. Cervini praeses Concilii Tridentini; cf. Ed. *Goerres,* 1, 506.

c) In distributione S. Communionis permittatur praeter formulam usitatam formula brevior: Corpus Christi.

Admissione huius formulae declaratoriae revivisceret usus primaevus omnium Ecclesiarum; evitaretur simul recitatio indecenter praecipitata formulae hodiernae, si numerus communicantium est magnus.

Permissio proposita clero Milanensi a Card. Schuster impertita est.

34. Mitigetur lex, qua can. 803 concelebrationem eucharisticam (sa-

cramentalem) ad Missas ordinationis presbyterorum et consecrationis episcoporum restringit. Detur Ordinario facultas permittendi in suo territorio in casibus specialibus concelebrationem sacramentalem, pro qua ritus novus simplicior et aptior illo, quem Pontificale Romanum pro concelebratione neopresbyterorum cum episcopo providet, exarandus esset.

Nimis durum videtur tam venerandam consuetudinem in ritibus orientalibus licitam, in ritu latino illicitam esse (salvis casibus rarissimis, de quibus supra).

1) Quaestionibus dogmaticis de concelebratione eucharistica demum in tuto positis (cf. *Alloc.* Pii Pp. XII 22 sept. 1956: Bugnini 71, 19 s. et Resp. S. Officii 28 maii 1957: Bugnini 79) via aperta videtur ad concelebrationem iuxta exemplum antiquitatis christianae et Ecclesiae Orientalis largius admittendam.

2) Qua admissione sacerdotibus ex multimodis causis in unum convenientibus vel simul viventibus mysterium Eucharistiae tandem aliquando elucere posset tamquam magnum signum unitatis et fraternae caritatis.

3) Difficultates speciales locorum, ubi plurimi sacerdotes fere cotidie conveniunt (e. g. peregrinandi causa), tali permissione auferrentur. Celebratio praecipitata innumerabilium missarum quas vocant privatas, tanto mysterio indigna est.

4) Iam ex concelebratione mere caeremoniali episcoporum ad Concilium Provinciale collectorum Pius Pp. IX sibi fructum magnae aedificationis promisit (*Coll. Lac.* 6, 27); maior erit aedificatio — etiam populi — si sacerdotes circa altare stantes simul sacrum mysterium conficiunt.

5) Minus conveniens vivetur forma concelebrationis tardius in Pont. Rom. introducta, secundum quam neopresbyteri — inde ab Offertorio — omnia et singula cum episcopo recitant post tergum eius genuflexi. Sufficeret, si praeter verba Domini (et textum « Qui pridie », cui inserta sunt) ad inculcandam Epiclesin et Anamnesin simul recitarentur orationes « Quam oblationem » et « Unde et memores ». Concelebrantes deberent altare sacris vestibus induti circumstare. De concelebrantibus ad S. Calicem admittendis cf. infra sub 35 c.

35. Liceat, ut laicis (si desiderant) in quibusdam casibus bene circumscriptis S. Calix porrigatur, et quidem

a) Neoconiugatis intra missam pro sponso et sponsa;

b) neobaptizato adulto et neoconverso in Missa, quae baptismum vel reconciliationem sequitur.

A fortiori calix concedendus videtur:

c) neopresbyteris cum episcopo in Missa ordinationis concelebrantibus necnon omnibus qui mitigata lege can. 803 sacramentaliter concelebrabunt;

d) sacerdotibus, qui secundum normam Ordinis Hebdomadae Sanctae instaurati superpelliceo et stola induti Missae sollemni vespertinae in Coena Domini assistunt (nn. 3, 4);

e) subdiaconis et diaconis in Missa ordinationis necnon, quando in Missa sollemni vel Missa cum diacono munere suo funguntur;

f) neoprofessis utriusque sexus in Missa cum professione coniuncta.

1) Traditio communicandi sub utraque specie est traditio originalis et venerabilis in tota Ecclesia catholica a temporibus Apostolorum per primum millennium et in toto Oriente christiano (separato et nobiscum coniuncto) usque ad hodiernum diem vigens. Usus in Occidente non formaliter abolitus tamen durante s. XIII multis ex rationibus fere ubique in desuetudinem venit. Constat ipsos Romanos Pontifices adhuc s. XV exeunte laicis calicem porrexisse.

2) « Graves et iustae causae », ex quibus Conc. Trid. consuetudinem recentiorem communionis sub una tantum specie distribuendae « approbavit et pro lege habendam decrevit » statuendo quod eam « reprobare aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet » (DENZ. 931), non iam eodem sensu perdurant. Doctrina fidei in eodem Concilio definita, quae dicit, « etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt » (Sessio 21, cap. 3: DENZ. 932, 936), omnino hodie est in tuto posita; « calix laicorum » non longius alicubi tamquam symbolum tendentiarum acatholicarum consideratur, ut temporibus Hussitarum vel sic dictorum Reformatorum.

3) Ecclesia auctoritate qua antiquum usum instaurare potest, in bonum fidelium usa iam est tempore, quo « graves et iustae causae » de quibus in Tridentino, non iam cessaverant. Mox post Concilium Pius Pp. IV anno 1564 per Brevia ad Archiepiscopos et Episcopos Germaniae directa laicos ad calicem admitti permisit (quae permissio propter difficultates illius temporis mox retrahi debuit). Eandem maternam condescensionem Ecclesia monstravit, quando nostro saeculo cuivis laico catholico permisit, « pietatis causa » (can. 866 § 1) sacramentum Eucharistiae orientali ritu confectum i. e. sub utraque specie suscipere.

4) Ratio praecipua pro instauratione pristini usus (in limitibus stricte determinatis) est haec. Plenitudinem fructus sacramenti sub una

suscipi de fide est; plenitudo significationis non patefit, nisi sub utraque sumitur. Salutare esset et certo multum ad aedificationem et ad pleniorem intelligentiam huius mysterii iuvare, si et laicis tandem aliquando per communionem sub distinctis speciebus (secundum illud Domini: Bibite ex eo omnes) intimus nexus inter hoc sacramentum et sacrificium Christi patefieret. Etiam hac in re valet principium a Pio Pp. XII in re eucharistica in Encycl. *Mediator Dei* expressum, « non facile esse spernendum, quidquid sacra Liturgia *suadeat* » (BUGNINI 41, 120).

5) Ratio altera non minus urgens pro instauratione pristini usus est haec. Magnae et continuae obiectioni fratrum separatorum in Oriente et Occidente, qui omnes in suis ritibus antiquum usum aut conservarunt aut instaurarunt, fundamentum subtraheretur; « optatiora » iis apparerent « maternae domus limina » (IOANNES PP. XXIII in *Epistola ad Ep. Trev. occasione expositionis S. Tunicae,* 22 febr. 1959).

6) Proponitur porrectio ipsius calicis et non intinctio hostiae, sicuti ex saeculis apud Byzantinos in usu est, primo quia bibendo ex S. Calice clarius patefit significatio sacramenti sub distinctis speciebus instituti, secundo quia panis azymus in Occidente usitatus minus aptus videtur ad intingendum, tertio quia intinctio ante introductionem consecrationis in azymo in Occidente non quidem ignota fuit, sed minus placuisse videtur; cf. prohibitionem Concilii Bracarensis anno 675 habiti (MANSI 11, 154).

Verum est talem porrectionem ipsius Calicis non possibilem esse, nisi numerus communicantium sit parvus, sed pro magno numero iam ex rationibus hygienicis et technicis (quas vocant) non proponi potest.

Specialis ratio ad *f*:

Conc. Trid. subdiaconis et diaconis inculcavit « maxime decere, si saltem diebus dominicis et sollemnibus, quum altari ministraverint, sacram communionem perceperint » (Sessio 23, *De reform.,* cap. 13: Ed. Goerres. 9, 482; cf. CAER. Ep. II, 31, 5). Teste Benedicto Pp. XIV (*De sacrificio Missae* I, 369) haec communio adhuc s. XVIII in quibusdam ecclesiis Occidentis cristiani sub utraque porrigebatur; usque ad hodiernum diem sub utraque porrigitur in Missa papali.

36. Mitigetur lex can. 857, secundum quam non licet nisi semel per diem communicare, et quidem hoc tantum sensu:

a) Sacerdotibus et fidelibus, qui in Vigilia Paschali hora competenti i. e. infra noctem communicaverunt, celebratio Missae seu altera Communio in die Paschatis sint permissae.

Nimis durum videtur sacerdotes in die Paschatis celebraturos a plena participatione Missae Vigiliae Paschalis, quae quodammodo culmen

totius anni ecclesiastici est, secludi. Desiderium fidelium, qui et Missae in nocte et Missae in die paschali assistentes in ambabus secundum mentem Ecclesiae et monita Summorum Pontificum plene participare volunt, videtur legitimum, praesertim cum multae horae inter duas illas Missas intercedant, quarum secunda non est repetitio prioris, sed vere nova celebratio alterius indolis.

b) In Feria V in Coena Domini mutetur ordo pro Missa chrismatis nuper introductus; saltem presbyteris, diaconis et subdiaconis in consecratione ss. oleorum concelebrantibus distribuatur s. communio, quin inde prohibeantur in Missa vespertina denuo communicare.

Rationes sub a allatae valent his quasi a fortiori. Nullum exemplum ex historia Liturgiae afferri potest Missae, quae nonnisi communionem Celebrantis permittit.

37. Revocetur n. 4 Decreti generalis S. C. R. 1 iun. 1957 (BUGNINI 76), secundum quem « in ecclesiis, ubi unicum exstat altare, hoc nequit ita aedificari, ut sacerdos celebret populum versus », salvo praescripto, quod « super ipsum altare, in medio, poni debet tabernaculum ad asservandam S. Eucharistiam ». Declaretur etiam tabernaculum potius parvum « tanto Sacramento omnino dignum » esse posse, dummodo valde conspicuum et pretiosum sit, oculos intrantium alliciens.

1) Quaestio, quomodo tabernaculum possit poni supra altare, quin impediat celebrationem versus populum, denuo libero iudicio eruditorum relinquatur, cui Pius Pp. XII eam in Alloc. 22 sept. 1956 commiserat (BUGNINI 71, 31).

2) Ex ratione pastorali dolendum esset, si pro semper vi legis generalis parvis ecclesiis aedificandis, uno tantum altari instruendis, forma celebrationis impossibilis redderetur, quae adhuc in Rubricis Missalis Romani praevisa experientia teste multum iuvat ad profundiorem et magis actuosam Missae participationem, ad oculos demonstrando intimum nexum inter ultimam Cenam Domini et celebrationem eucharisticam.

38. Breviarium Romanum non tantum in omnibus suis partibus — praesertim didacticis — reformetur, sed restringatur obligatio, quae adhuc viguit, pro omnibus, qui horas canonicas extra chorum recitant, et quidem hoc modo:

a) Matutino liceat substituere lectionem biblicam per quadrantem horae protractatam; quantum et in qua lingua legatur, non determinetur. Ex ceteris horis obligatoriae remaneant solummodo Laudes et

Vesperae; recitatio parvarum Horarum et Completorii clero saeculari nonnisi enixe commendetur.

1) Tranquilla recitatio Officii Divini, quam inter « varia novaque in dies apostolatus officia » fere impossibilem evasisse auctoritas ecclesiastica nuper publice admisit (Decr. gen. S.C.R. 23 martii 1955: BUGNINI 65, al. 1), post restrictionem obligationis hic propositam semper fere et ubique possibilis esset.

2) Horae, quae secundum hoc propositum simpliciter obligatoriae remanent, nempe Laudes et Vesperae, sunt illae, ex quibus in initio officium saecularium (« Officium cathedrale ») constitisse indagationes recentiores probarunt. Exemplo sint decreta synodi Vasensis II (529) Bracarensis (563) et Toletani IV (633), quae de ordine Divini Officii legiferentia non loquuntur nisi de duabus horis canonicis cotidianis, quarum una mane, altera vespere populo participante in ecclesiis paroecialibus celebratur; cf. MANSI 8, 727; 9, 777; 10, 616.

3) Facultativas vult propositum horas, quae inter monachos ortae sunt. In Officium cathedrale assumi potuerunt, quia etiam inter saeculares tunc temporis vita communis praevalebat. Postquam haec forma vitae cleri saecularis magis magisque — praesertim ex tempore eversionis Gallicae — evanuit, officium per singulas diei horas repartitum pro sacerdotibus singulariter viventibus et cura animarum de die in diem difficiliore oneratis vix iam possibile est. Horae quidem persolvuntur, sed non « horis » suis, ita ut elementum fictitium, pietati minus favens, in Officium saecularium intraverit (de quo eliminando in Breviario reformato vide sub b). Remanet certo obligatio sanctificandi diem et horas eius; sed huic obligationi satisfieri potest modo conditionibus hodiernis magis adaptato per decades Rosarii per diem repartitas seu per orationes iaculatorias.

4) Vigilia (quae recentius Matutinum nuncupatur) pariter ac Horae parvae tardius ex Officio monastico in Officium cathedrale assumpta est; pro Hispania e. g. constat, adhuc s. VI, Officium cathedrale vigiliis caruisse. Tamen Vigilia facultativa reddi nequit, quia continet elementum pro vita spirituali etiam sacerdotis cura animarum occupati indispensabile, nempe sacram lectionem. Quam liberiore quoque modo fieri posse votum proponit, ut « onus diei » allevietur et meditationi sacerdotali (saepius hodie inter tot occupationes neglectae) efficacius consulatur. Iam in Conc. Vat. sermo erat de quibusdam parochis tantum occupatis « ut nihil aliud nisi Breviarium legere possint » (MANSI, 50, 638) et de periculis vitae spirituali sacerdotali imminentibus, si haec sola oratio diei « propere et perfunctorie persolvitur » (*ibid.* 637).

Quod periculum post nonaginta annos ingens invasit et solutiones etiam audaciores iustificare videtur.

Libertas quoad quantitatem lectionis biblicae Matutino substitutae proposita aequivalet invitationi ad meditativum genus lectionis; libertas quoad linguam, in qua legitur, multum iuvabit ad reddendam lectionem magis gaudiosam et fructuosam.

5) Reformatione obligationis Breviarii hic proposita redintegraretur idea primitiva orationis publicae Ecclesiae secundum quam non necessario omnes omnia recitant, sed quisque participat in una adoratione et laude ab Ecclesia Deo oblata secundum modum suum. In hanc unam orationem publicam Ecclesiae, quam monachi (ad hoc ab ipsa Ecclesia constituti) die ac nocte persolvunt, clerus saecularis intraret illis temporibus, quibus revera orare potest et debet, id est mane et vespere. Breviarium privatim a clero saeculari recitatum non eiusdem longitudinis esse posse quam Divinum Officium in choro recitatum iam quidam Patres Concilii Vaticani clare viderunt (cf. Mansi, 50, 627. 638. 665).

6) Solveretur problema iam a Patribus Concilii Vaticani discussum (cf. locos sub 4 citatos), quod secus fere insolubile videtur, quomodo nempe diebus festivis, quibus onus curae animarum multo gravius esse solet, pensum orationis abbreviari posset sine laesione officiorum, quae propter venerandam antiquitatem et pulcherrimam compositionem mutationes non facile admittunt. Propositum viam aperit ad integre conservandam venerabilem traditionem.

7) Introduceretur in campum Divini Officii momentum liberae electionis et recommendationis, sicut nuper feliciter introductum est quoad ieiunium eucharisticum (restrictio obligationis simul cum monito pristinam legem, si fieri potest, libere implendi: cf. Const. *Christus Dominus,* 6 ian. 1953: Bugnini 57, 30. (Ne commendatio vana evadat, vetetur impressio Breviariorum, qui parvas horas et Completorium non continent). Momentum libertatis in re Breviarii valde consentaneum est ideis, quae in Ecclesia Orientali de Divino Officio vigent; sine dubio multum alliciet omnes fratres separatos.

8) Demum pro solutione hic proposita certo haec ratio potest afferri: sine ulla mora introduci potest. Tranquillius postea reformatio singulorum elementorum Breviarii praeparari posset.

b) Obligatio Matutini urgeat a meridie ad meridiem, obligatio tamen lectionis ei substitutae a media nocte ad mediam noctem. Laudes — sublata permissione eas anticipandi — non obligent nisi mane usque ad meridiem; obligatio Vesperarum urgeat a meridie usque ad mediam noctem.

Qua regula fictioni continuae de qua supra sub *a* 2) demum finis imponi posset. Consuetudo et permissio praeter Matutinum et Laudes anticipandi minus feliciter horam, quae natura sua diem orientem vult salutare et sanctificare, in horas vespertinas relegari sinit.

c) Laudes et Vesperae necnon Matutinum (si ei lectio non substituitur) latino sermone recitentur; sed statuatur « officium valere pro officio », quandocumque Laudes et praesertim Vesperae cum populo in lingua populi publice celebrantur.

1) Monitiones Pii Pp. XII de Vesperis dominicalibus, in quibus laicos « recitando vel canendo actu participare » vult, ut « pro viribus omnes eas formulas retineant, quae in precibus ad Vesperam habitis concinuntur eorumque significatione suos imbuant animos » (Encycl. *Mediator Dei*: Bugnini 41, 148) saltem in conditionibus cisalpinis videntur postulare Vesperas in lingua fidelium cantatas. Nimis durum esset, si tales Vesperae cum populo cantatae non caderent sub sanum illud principium: Officium valet pro officio, praesertim cum Officium in choro cum populo christiano cantatum semper dignitate praevaleat officio privatim recitato.

2) S.C.R. nuper relate ad Litanias omnium Sanctorum, quae diebus Rogationum post Laudes tamquam pars integralis Divini Officii talium dierum latine recitandae sunt, simile quid iam respondit. Pro territorio Bavariae declaravit huic obligationi satisfieri Litaniis cum populo inter processionem in lingua vernacula recitatis (Resp. 27 nov. 1959: Amtsblatt München-Freising 1959, 314).

39. Ordines minores aboleantur, ita ut primus inter ordines post Tonsuram suscipiendos sit Subdiaconatus. Iis, qui reapse hodie muneribus, quae olim minoristis committebantur, funguntur, detur a sacerdote benedictio specialis, noviter pro singulis officiis (salvo exorcistatu, de quo munere in ordine presbyteratus sermo fieri deberet) exaranda. Similis benedictio impertiatur etiam iis, qui officiis recentius in Ecclesia ortis funguntur, et quidem et viris et mulieribus.

Concilium Tridentinum conatum est, ordinibus minoribus, de quibus unus ex Patribus recte dixit: « Videntur functiones amisisse et nuda nomina retinuisse » (Ed. Goerres. 9, 558), vitam reddere « ne ab haereticis ut otiosae traducantur », et quidem permittendo eos, si opus sit, etiam « coniugatis vitae probatae » conferre (Decr. *de ref.*, can. 17: Ed. Goerres 9, 628). Hi conatus successum non habuerunt; officia olim minoristis commissa magis magisque laicis (aedituis, pueris acolytis et lectoribus) demandata sunt, ita ut ordines usque ad hodiernum diem — salva gratia, quam super ordinandos implorant — per-

manserint, quod ante Concilium Tridentinum erant: nuda nomina. Exercitium ordinum minorum, de quo in can. 978 § 1 sub hodiernis conditionibus quoad ostiariatum et exorcistatum impossibile, quoad lectoratum et acolythatum difficile est. Etiamsi in Seminario talia officia solis lectoribus et acolytis ordinatis demandarentur, elementum fictitium remaneret, quia iam multis annis ante tamquam pueri officiis in ecclesia functi sunt, quae nunc sollemniter iis demandantur.

Impossibile videtur sub conditionibus multo magis evolutis hodiernis conatum Conc. Trid. renovare; altera ex parte impossibile videtur statum hodiernum (monita sollemnia Episcopi, de quibus ordinandi sciunt, quod iis nihil in ordine rerum correspondet) conservare. Ergo nil remanet nisi abolitio organi, quod non longius verae vitae capax esse videtur.

Verum est, ascensum seminaristae ad S. Presbyteratum semper sacro quodam charactere indigere; sed huic legitimo desiderio per triplicem passum: Tonsura (sollemnius et tantum infra Missam conferenda) — Subdiaconatus — Diaconatus satisfieri videtur.

Qui ex laicis munere sibi demandato in Ecclesia fungitur, certo benedictionem huius Ecclesiae meretur. Qua benedictione nullatenus clero aggregaretur, sed in officium suum modo digniore ac hucusque, nempe modo liturgico introduceretur. Post reviviscentiam servitii mulierum in Ecclesia (iuxta exemplum diaconissarum antiquitatis) etiam iis talis benedictio impertienda videtur.

40. Ritus ordinum reliquorum in Pontificali Romano ex integro reformetur:

a) Aboleantur omnia elementa, quae decursu temporum significationem suam amiserunt vel tardius introducta ritum potius obscuriorem reddunt quam ditiorem.

E. g. aboleri deberent in ordinatione presbyterorum monitio episcopalis de addiscendo ritu Missae. (Quia res quam tractaturi estis, satis periculosa est...) necnon secunda impositio manuum, quae momentum primae impositionis sacramentalis minuit.

b) Ritus Subdiaconatus non taceat de obligatione Breviarii.

Ritus de hac obligatione non loquitur, quia tempore, quo ortus est, adhuc omnes clerici cuiusvis Ecclesiae ad Officium persolvendum obligati erant. Nunc temporis haec obligatio, quae est tanti momenti in vita sacerdotis, non incipit nisi Subdiaconatu suscepto; inde certo mentionem in ritu meretur.

c) In Rubricam, quae admonitiones in ritu ordinationum ante-

cedit, inserantur verba: (ordinandos admonet) sic fere (dicens), data licentia, ut admonitio populo praesente fiat in lingua vernacula.

Consuetudo felix fere ubique terrarum invaluit, secundum quam fideles numerosissimi ad ordinationes accurrunt. Cum fere omnes latini sermonis sint ignari, multum iuvaret, si episcopo liceret eos in eorum lingua et (si libet) propriis verbis rerum adiunctis potius adaptatis in ritum, cui assistent, introducere. Experientia teste talis sermo introductorius pro celebratione matrimonii in Ritualibus bilinguibus praevisus multum iuvat ad aedificationem adstantium.

Allocutiones in Pont. Rom. inventae tardius — a Guilelmo Durand († 1296) — insertae sunt et in non paucis locis morem loquendi potius medievalem sequuntur; in Pont. Curiae Romanae s. XII adhuc desiderantur.

41. Post principia reformationis generalis liturgicae a Concilio statuta remittatur executio ad Commissionem pro generalis Liturgiae instaurationе iam a Pio Pp. XII constitutam (cf. Decr. S. C. R. 16 nov. 1955: BUGNINI 68, 9), quae Commissio aggreget viros in re liturgica peritos ex toto orbe, quibus vel scripto vel in reunione ad hoc convocata schemata iam elaborata submittantur.

Hoc fere modo post conatus ipsius Conc. Trid. reformandi libros liturgicos res et acta S. Pontifici tradita sunt. Pius Pp. IV Commissionem pro reformatione librorum liturgicorum instituit, quam successor S. Pius Pp. V confirmavit et auxit. Quamvis non omnia nomina membrorum huius Commissionis nobis sint tradita, scimus inter hos « eruditos delectos viros » (Bulla introd. Missalis Romani, 12 iul. 1570) tres antistites fuisse, qui Romae non residebant, nempe archiepiscopos Zarensem et Lancianensem et episcopum Mutinensem (cf. E. S. CYPRIANUS, *Tabularium Ecclesiae Romanae,* Francoforti-Lipsiae 1743, 356). A fortiori hodie — auxiliantibus modernis mediis communicationis — formatio Commissionis largioris possibilis est, in qua periti ex toto orbe in re liturgica viri iis pretiosum adiumentum afferre possent, qui Romae habitantes quasi nucleum Commissionis formarent.

FACULTAS THEOLOGIAE CATHOLICAE
IN UNIVERSITATE BONNENSI

KATHOLISCH-THEOLOGISCHE FAKULTÄT
DER UNIVERSITÄT BONN

Bonn, den 13 iunii 1960

I – QUOD DOGMATA FIDEI ATTINET

1. Concilium tractet doctrinam de Ecclesia Christi, quatenus a Concilio Vaticano nondum tractari potuit.

Primum enim magna necessitate posci videtur, ut clarius monstretur ac definiatur, quem locum munus episcopi in hierarchia iurisdictionis teneat.

Deinde, ut diligentia attenta et nostris temporibus consentanea ad varias et inter se cohaerentes quaestiones convertatur, quid sit homo laicus, si ex essentia Ecclesiae consideratur, et quibus iuribus et officiis in Ecclesia fungatur, quoniam status seu condicio cuiusvis hominis christiani fundamento sacramentali innititur (cf. can. 87 *C.I.C.*). Quare danda videtur opera, ut discrimina, quae sunt inter can. 87 *C.I.C.* et ea, quae in Litteris Encyclicis *Mystici Corporis* Pii Pp. XII de notione membri Ecclesiae dicta sunt, tollantur.

Minus vero urgere videtur necessitas omnia iura laicorum, quod multi postulant, funditus et ampliore modo, quam usque ad hoc tempus praeceptis Codicis Iuris Canonici factum est, in unum redigendi, cum res nondum satis processerint.

2. Examinetur quaestio, quo sensu ea, quae sancta Tridentina Synodus de vulgata editione Latina sacrorum librorum decrevit, retinenda sint, habita ratione eorum, quae de hac re in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu* Pii Pp. XII declarata sunt.

3. Optandum denique videtur esse, ut Concilium decernat atque definiat, qua ratione Sacra Scriptura et traditio Ecclesiae inter se coniunctae sint.

II – QUOD SACRAM LITURGIAM ATTINET

1. Optandum videtur esse, ut in Breviario Romano reformando lectio Sacrae Scripturae sic instituatur, ut Novum Testamentum lectione continua legatur, quibusdam partibus Veteris Testamenti insertis.

2. Praeterea deliberandum videtur esse, utrum obligatio preces a Summo Pontifice Leone XIII praescriptas post missam privatam recitandi abrogetur.

III – QUOD IUS CANONICUM ATTINET

In Codice Iuris Canonici Latini ad nostrorum temporum condiciones adaptando magni esse momenti videtur haec perpendi:

1. Utrum leges communes post promulgationem Codicis Iuris Canonici conditae et interpretationes authenticae ab Apostolica Sede datae ordine ac ratione in Codice Iuris Canonici inserantur.
2. Utrum tempus advenerit Codicem Iuris Canonici denuo pertractandi, quod attinet sermonem iudicialem usumque uniformem terminorum et dispositionem materiae iuris ecclesiastici.
3. Utrum impedimenta matrimonialia magis, quam iam in Codice Iuris Canonici factum est, et specie et numero restringi possint.
4. Utrum ex rebus et condicionibus hodiernis appareat saluti animarum utile et consentaneum esse ius poenale, imprimis poenas latae sententiae, reformari.
5. Utrum optabile sit, ut modus in libris scriptisque proscribendis procedendi reformetur.
6. Utrum et in quantum laici specialiter exculti, qui etiam vita et moribus omni exceptione maiores sint, ad iudicia ecclesiastica in rebus contentiosis agendis admittantur.

FACULTAS THEOLOGICA
UNIV. FRIBURGENSIS HELVETIORUM

FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS
HELVETIORUM

Friburgi Helvetiorum die 26 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Hisce adnexis transmitto propositiones Facultatis theologicae Universitatis Friburgensis Helvetiorum pro Concilio Oecumenico mox celebrando sicuti a diversis professoribus huius Facultatis mihi traditae sunt.

Eminentiae Vestrae deditissimus

J. F. GRONER
Decanus

DE REBUS MORALIBUS

Cum nostris temporibus moralium problemata multa tum apud acatholicos cum apud catholicos auctores et theologos agitentur, cumque eorum solutiones atque de moribus in genere doctrinae tam novae proponantur ac divulgentur ut sint revera extra traditionem Ecclesiae et vel ipsi fidelium sensui adversae evidentissime appareant, opportunum videri potest ut Concilium Vaticanum II de novo, intuitu periculorum permagnorum sive singulis hominibus sive societati universae imminentium, mentem Christi et Ecclesiae atque contentum morale nostrae fidei clare determinet exponatque, memor R. P. D. Ioannis Simor Archiep. Strigoniensis et Primatis Hungariae in Vaticano Concilio I moniti dati, nempe, quo « essentialis forma omnis conciliaris constitutionis in primis est, ut doctrina catholica sub sua etiam speciali catholica ratione vere, genuine et sincere proponatur » (*Acta et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani, Coll. Lacensis,* col. 85).

Divulgantur quippe hodie doctrinae vel ipsa vitae supernaturalis et christianae fundamenta nedum tangentes modificantesque verum et illa radicitus labefactantes. Ita de ipsa nostra ad participandam vitam Dei vocatione gratuita sat multi erroneas videntur explicationes proponere quae vel in dubium tamquam ridiculum totum istum amoris Dei erga nos mysterium vertunt, vel ita explanatur quod contentum eius gratuitatis ex toto evacuant. De ipsa quoque legis Dei vel positive manifestatae (exempli causa, in Decalogo) vel naturalis in nostra natura imbibitae obligatione falsa et perniciosa atque ad populi Christiani morum corruptionem potius quaenam aedificationem apta multi, qui vel sic dictam « ethicam situationis » sine addito suis scriptis commendant vel quae illam sapit doctrinam propagant moralem, defendunt divulgantque. Deinde etiam vel ipsa notio obligationis verae moralis seu responsabilitatis corrumpitur et consequenter doctrina de finali vel remuneratione vel punitione falsa proponitur.

Ut omnibus notum est, Concilium Vaticanum I, quamvis ibi per longum et latum de praecipuis nostrae fidei veritatibus discussum est (cf. *Acta et Decreta, Coll. Lac.,* col. 1658-1678, idest, inde a Sessione X die 11 martii habita usque ad diem 26 aprilis eiusdem anni; etiam J. Vacant, *Etudes Théologiques sur les Constitutions du Concile du Vatican,*

t. I, p. 34 sqq.), numquam pervenit ad edendam de his veritatibus constitutionem dogmaticam, quam tamen examussim praeparaverat atque in quinque capita ordinatim diviserat, nempe, de SS. Trinitate, de hominis creatione et natura, de hominis elevatione et lapsu, de Mysterio Verbi incarnati, de gratia Redemptoris (cf. *Acta et Decreta, Coll. Lac.*, col. 553-567).

Procul omni igitur dubio peropportunum esse tandem huic nostrae vitae cristianae veritatum fundamentalium propositioni et determinationi extremam manum ponere; illa scilicet mysteria de novo funditus indagare eaque clare et nitide ceu fundamenta nostrae fidei et vitae christianae proponere, ita ut populus fidelis ea quae fidei firmitate tenet, etiam rationis luce conspiciat. « Absit namque, monet S. Augustinus, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. *Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus;* cum etiam credere non possumus, nisi animas rationales haberemus » (Epistola 120, *PL.* 33, 453). Proponi etiam deberent cum speciali insistentia — propter necessitatem huius praecise temporis — in tria doctrinae capita modo indicata:

1. *De relatione gratiam inter et naturam,* ubi ex una parte genuina gratiae et ordinis supernaturalis notio exarari et proponi posset ad dissipandas omnes ambiguitates, et quidem secundum theologorum principis, S. Thomae Aquinatis, mentem. Ita hic status supernaturalis secundum mentem et verba Aquinatis in Concilio Vaticano I definitur: « tamquam participatio boni divini, h. e. boni, quod soli Deo naturaliter competit » (*Acta et Decreta, Coll. Lac.*, 555 ad caput 3; cf. etiam S. THOMAS, in *IV Sent.* dist. 49, q. 2, art. 6 ad 7; III *CG.* 147, IV *CG.* 21; I-II, 3, 8 obi 2 et resp.; et passim in eius operibus). Ex altera parte vera naturae conceptio elaborari et proponi posset, et iterum in sensu Angelici Doctoris, qui profunde insimul et nitide scribit quod « natura nihil aliud est quam ratio cuiusdam artis, scilicet divinae indita rebus, qua ipsae res moventur ad finem determinatum: sicut si artifex factor navis posset lignis tribuere quod ex se moverentur ad navis formam inducendam » (in *II Phys.* lect. 14, n. 520; cf. etiam optimum studium J. WEISHEIPL O. P., *The Concept of Nature,* in: *The New Scholasticisme* 28 [1954] 377-408).

2. *De universali legis divinae* vel naturalis vel supernaturalis et revelatae hominibus *obligatione,* et quidem aut quantum ad naturalia stricte dicta aut quantum ad illa quae naturam excedunt hominemque ordinant ad Deum, sc. in quamdam spiritualem societatem cum Deo Creatore. Hic caute esset distinguendum inter universalem et immutabilem legis divinae naturalis vel supernaturalis mores hominum respi-

cientis obligationem eiusque *applicationem,* non scilicet accommodationem (sicut quidam perperam volunt), ad vitam uniuscuiusque, ad sic dicta « exsistentialia » et concreta; quae applicatio fit uno et primo quasi stadio in ipsa morum scientia, in secundo et ultimo momento quasi per prudentiam et rationem rectam uniuscuiusque agentis fidelis.

3. *De ipso ultimo iudicio,* quod in traditione Ecclesiae et in multis documentis officialibus duplex semper apparet et apparuit, unum sc. particulare, alterum generale et commune. Intime quippe cum praecedentibus cohaeret haec de iudicio ultimo doctrina. Agitur enim de motu libero et voluntario entis rationalis et spiritualis in finem ipsi ab auctore suo atque factori praestitutum; de illo suo motu ergo responsabilis est, ei scilicet vel in bonam vel in malam partem imputatur. Et consequenter coram tribunali naturae humanae Institutoris et Elevatoris de suis actibus necessario ex ipsa rei natura personaliter (et si vultis, privatim) respondere debet. Sunt autem hodie qui realitatem iudicii particularis subrumpere conantur tanquam doctrinam nullatenus in Sacris Litteris contentam, quique exinde toti sunt in monstrando tale personale iudicium nihil esse aliud quam momentum quoddam iudicii generalis cum quo in nexu quodam dynamico staret. Nemo est autem qui non videt talem doctrinam vel evertere iudicium particulare ex toto, vel etiam sensum realem iudicii generalis totaliter destruere. Ad Sacrae Scripturae doctrinam quod attinet: innumerabiles fere inveniuntur textus qui signanter docent animam statim post mortem praemium aut poenas recipere. Ita in libro Ecclesiastici legimus: « Timenti Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suae benedicetur » (l. 13). Et iterum: « facile est coram Deo in die obitus, retribuere unicuique secundum vias suas. Malitia horae obliviorem facit luxuriae magnae et in fine hominis denudatio operum illius » (11. 28). Et verbum Domini in cruce latroni bono dictum afferri potest: « Hodie eris mecum in paradiso » (*Luc.* 23, 43). Poena quoque *statim* irrogatur diviti, qui sepelitur in inferno (*Luc.* 16, 22) et Iudae proditori, qui « in locum suum abiit » (*Act. Ap.* 1, 25).

Documenta etiam Ecclesiae magisterii explicita adduci multa possunt. Ita citari possunt Constitutio Apostolica *Benedictus Deus* Benedicti Pp. XII (Denz. 530); concilium quoque Florentinum idem expresse docet (Denz. 693). Deinde verba formalissima ipsius primi Vaticani Concilii in prima forma decreti *De Doctrina Catholica* proferri licet: « Sacrarum Scripturarum et sanctorum patrum doctrinae et ipsius Ecclesiae catholicae consensui inhaerentes docemus et definimus, post viam huius vitae, quando homines iam ad terminum retributionis pervenerunt, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive

malum, pro nulla lethali culpa relictum esse locum salutaris poenitentiae et expiationis, sed cuivis peccato mortali, quo maculata anima mox *post obitum* coram sancto et iusto iudice Deo comparuerit, poenam constitutam perpetuam, sicut ipse aeternus iudex testatur: vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur » (MANSI, t. 50, col. 72). Istud documentum, uti omnes norunt, non est concipiendum tanquam mere privatum verbum, sed formaliter *ad magisterium ipsum ordinarium Ecclesiae* pertinet tanquam communis sententia et mens omnium episcoporum, et etiam communis sententia theologorum: secus enim numquam proponi posset in tali synodali schemate. In huic textui adnexis adnotationibus clarius adhuc docetur, hic agi de ipso facto iudicii particularis, quamvis non de modo eius exsecutionis (MANSI, t. 50, col. 116). Et demum verbum Catechismi Tridentini valorem specialem in hac re habet: « Cum unusquisque nostrum migrat e vita... statim ad Dei tribunal sistitur, ibique de omnibus iustissima quaestio habetur... atque hoc iudicium *privatum* vocatur » (pars I, cap. 8, n. 3). Ad hanc nostrae fidei veritatem de ultimo scilicet iudicio, sive personali et privato sive communi et generali, explorandam prae oculis profecto tenenda esset doctrina S. Thomae de duplici poena, una scilicet concomitanti, altera vero inflicta vel infligenda (cf. *II Sent.* dist. 5, q. 2, art. 2 ad 1; *IV Sent.* dist. 18, q. 1, art. 2, qla. 1, corp. et ad 4; *Quaest. Disp. de Malo,* q. 1, art. 4, ad 5; videatur etiam L. BILLOT, *De Personali et Originali Peccato,* edit. 6ª p. 76 sqq.). Sicut enim animal rationale, homo scilicet, in motu suo in Deum et in propriam in bonitate supernaturali completionem (cf. *De Veritate,* q. 22, art. 7) suae voluntati et rationi ab Auctore suo commissus sicut navis committitur gubernatori ad dirigendum (cf. I-II, q. 2, art. 5) sese movet, sese format et perficit et sua propria vita praemium concomitans adipiscitur et effective causat, quod a Deo tamen sub alio aspectu gratuite obtinebit repromissum (cf. *II Sent.* dist. 27, q. 1, art. 5 ad 5, et alibi pluries); ita homo peccator suis malis actibus se deformat atque diminuit (cf. S. THOMAM in *Ad Rom.* cap. 1, lect. 8, edit. Marietti, n. 151; *II Sent.* dist. 34, q. 1, art. 3: « operationes morales non sunt factiones ut per eas aliquid in materia constituatur, sed sunt actiones in ipsis agentibus permanentes, et eos perficientes aut corrumpentes »), et talis deformatio sui sub uno aspectu vere dici potest et debet poena concomitans, sub alio autem merito et iure considerari debet tanquam poena a Deo iustissimo iudice infligenda.

DE REBUS SIC DICTIS « OECUMENICIS »

Duo imprimis tamquam opportuna atque utilia rogare libet, ut nempe Concilium:

1. Curet de institutione alicuius *Organi specialis pro quaestionibus « Oecumenicis »* et quidem, si possibile est, cum aliquo hac de re officio Curiae Romanae adnexo:

a) Propter ponderosam evolutionem theologicam « motus Oecumenici » *extra Ecclesiam*, qui multis in casibus relativismum dogmaticum (in annis 1920-30 vigentem: Söderblum, Life and Work) superavit et haud raro ad doctrinas fidei catholicae propinquiores (eversio liberalismi theologici, apparitio sic dictae theologiae « theonomicae », progressus dogmatici exegetarum, e. g. K. L. Schmid, O. Cullmann) perduxit.

b) Quia tam multi *catholici* studiis « Oecumenicis » vel etiam theologiae, quam « Oecumenicam » appellant, vacant, quibus directiones authenticae nonnullae ab auctoritate ecclesiastica competente sine pretio ac commodo non fuissent.

c) Quoniam SS. Congregationes S. Officii, pro Propaganda Fide et pro Ecclesia Orientali nonnisi *partim* et *indirecte* de hacce materia agunt.

d) Notatu etiam dignum est, quod Associatio mundialis Lutherana (Lutherischer Weltbund) Institutum speciale pro studiis « Oecumenicis » circa Ecclesiam catholicam opportunum erigere duxit.

Summa: — Duo ergo desiderantur: primo unum alterumve pontificia recognitione auctum Institutum pro rerum « Oecumenicarum » studiis instar Instituti Pontificii pro studiis rerum orientalium provehendis — secundo aliquod Officium in Curia Romana pro negotiis Unitatem respicientibus (i. e. pro relationibus cum acatholicis, studiis ac activitate « Oecumenicis »).

2. Emittat aliquas declarationes ad *« motus Oecumenici » statum hodiernum* spectantes. E. g.

a) Sequendo « Instructionem » S. Officii diei 20 decembris 1949 agnoscatur *operatio Spiritus Sancti* in activitate non-catholicorum pro Unitate inter christianos promovenda (praesertim cum talis motus crebro nunc solidioribus sacrarum litterarum investigationibus innitatur et ad Unitatem a Christo intentam, i. e. visibilem et ecclesiasticam, aperte conspiret).

b) Contexendo « Monitum » S. Officii diei 5 iunii 1948 asseveretur Ecclesiam catholicam dialogo ac conventibus « Oecumenicis » *minime officere,* immo studium ponere, ut theologi pro hoc negotio particulariter apti ac praeparati in promptu sint.

c) Delineentur *principia* pro aliqua catholicorum activitate « Oecumenica » fructuosa (primatus veritatis contra « sentimentalismum », — observatio traditionis catholicae integrae ac vitae contra « minimalismum », — notitia historiae doctrinarum religiosarum acatholicorum ad aequivocationes vitandas et contra optimismum vix litteris imbutum, — animus benevolus, caritativus ac religiose apertus contra indifferentiam et rigorismum).

d) assumendo ac complendo Epistolam S. Officii diei 8 augusti 1949 ad Archiepiscopum Bostoniensem (circa adagium « extra Ecclesiam nulla salus ») accuratius determinetur *relatio non-catholicorum ad Ecclesiam* (explicite distinctionem instituendo inter illos qui sunt bona fide sine vel cum baptismate valide suscepto, — extollendo momentum Sacrae Scripturae pro generatione ac conservatione vitae fidei christianae, — considerando citra aspectum stricte individualem etiam collectivitates seu coetus christianorum acatholicorum — et in ipsis praeter erroris semina destructiva agnoscendo aliqua elementa vere christiana vel « vestigia Ecclesiae » aedificationem spiritualem iuvantia; de hoc ultimo egregie Pius XI in allocutione diei 11 ianuarii 1927, textus apud Irenikon 3 [1927] 20, et Pius XII in muntio radiophonico diei 24 decembris 1955, *A.A.S.* 47 [1955] 25).

DE ANTISEMITISMO A CHRISTIANIS IMPUGNANDO

Cum antisemitismus, volventibus saeculis iterum iterumque reviviscens, temporibus nostris formam genocidii acceperit et huic multi etiam christiani sive re sive intentione aliquo modo collaboraverint, cumque notum sit, instructionem religiosam non solum apud pueros sed etiam apud adultos certas veritates, quae populum Iudaicum spectant, non sat clare elucidare et sic christianos non sufficienter muniri contra periculum falso vel male cogitandi et sentiendi de Iudaeis, opportunum esse videtur sequentia in mentem revocare praesertim illis, quibus incumbit instructio religiosa.

A) NON POTEST AFFIRMARI SINE DISTINCTIONE QUOD « IUDAEI IESUM REIECERUNT ET OCCIDERUNT ».

Sed docendum est:

1) Filium Dei in sinu Virginis Iudaeae hominem factum esse;

2) Apostolos maximamque partem credentium Ecclesiae primaevae e populo iudaeo fuisse ortos;

3) quamvis duces religiosi et politici populi iudaici Iesum reiecerint et condemnaverint, tamen maximam partem gentis Israeliticae consciam non fuisse huius criminis;

4) in filios hodiernos populi iudaici culpam transferri non posse huius sceleris ab aliquibus eorum maiorum commissi;

5) in reiectione et condemnatione populi iudaici ex parte Domini nostri culminare praelium universale inter lucem et tenebras, ita ut, etiam hodie, omnis homo, inquantum lucem salutis accipit aut recipit, participet acceptione aut reiectione Salvatoris ex parte istorum vel illorum membrorum populi Eius.

B) NON POTEST AFFIRMARI QUOD « CREDENTES E GENTIBUS SUNT ELECTI IN LOCUM POPULI ISRAELITICI ».

S. Paulus enim credentes e gentibus sic admonet: « Tu ex naturali excisus es oleastro et contra naturam insertus es in bonam olivam (scl. populi Israël) » (*Rom.* 11, 24) « et socius radicis et pinguedinis olivae factus es » (*Rom.* 11, 17). « Quod si aliqui ex ramis (olivae populi Israël) fracti sunt (*Rom.* 11, 17), radix sancta est » (*Rom.* 11, 16). « Israelitarum (enim) adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa; quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem » (*Rom.* 9, 4-5).

Non licet ergo ei, qui per gratiam Dei « insertus est » in patrimonium spirituale populi Israël « gloriari adversus ramos » (*Rom.* 11, 18) « propter incredulitatem fractos » (*Rom.* 11, 20). « Non tu radicem portas, sed radix te » (*Rom.* 11, 18), « noli altum sapere, sed time » (*Rom.* 11, 20).

Ut inter iudaeos et Christianos existant relationes benevolentiae et caritatis valde optandum est ergo, ut omnes christiani diligenter introducantur in Vetus Testamentum, quod est commune patrimonium et Ecclesiae et populi iudaici.

C) NON POTEST AFFIRMARI QUOD « POPULUS ISRAELITICUS A DEO IN PERPETUUM REIECTUS EST ».

S. Paulus enim de futura sorte excaecatae partis populi Iudaici hisce verbis nos docet: « Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sel illorum delicto, salus est gentibus ut illos aemulentur » (*Rom.* 11, 11). Praeterea sollemniter affirmat: « Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc — ut non sitis vobis ipsis sapientes — quia caecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret » (*Rom.* 11, 25-26). « Secundum electionem carissimi sunt

propter patres. Sine poenitentia enim sunt et vocatio Dei » (*Rom.* 11, 28-29).

Non licet ergo in instructione christiana praetermittere, sicut saepissime fit, mentionem supraedictae prophetiae S. Pauli, quae optime exprimit significationem facti, quod populus Insraeliticus supervivit usque ad hodiernam diem. Debent etiam omnes Christiani ferventes orationes effundere ante Deum, ut haec prophetia impleatur et sic populus Israël ponatur in locum electum in Ecclesia Christi ei reservatum.

DE LIBRIS PROHIBITIS

Cum nostris temporibus labor scientificus praesertim in disciplinis biblicis et historicis sine cognitione librorum et periodicorum acatholicorum fere impossibilis sit, cumque in bibliothecis Universitatum Facultatumque libri acatholicorum separatim collocari sine gravi incommodo nequeant, inspectis praescriptionibus Codicis Iuris Canonici (can. 1395-1405) necnon « Ordinationum » (art. 45) Constitutioni Apostolicae « Deus scientiarum Dominus » adnexarum proponitur ac petitur:

1) ut professoribus sacrae theologiae ratione officii licentia legendi et retinendi libros ab Ecclesia prohibitos concedatur inquantum scilicet id iis in munere obeundo utile videtur;

2) ut iidem professores abhibitis cautelis eandem licentiam suis auditoribus concedere valeant, iis praesertim, qui investigationibus scientificis operam dant.

DE UNITATE CHRISTI ONTOLOGICA ET PSYCHOLOGICA

Anno 1931, in Litteris Encyclicis *Lux veritatis,* quintidecimi centenarii Ephesini Concilii datis, summus Pontifex Pius XI recoluit doctrinam traditionalem de unitate Christi:

« Etenim sacro edocemur eloquio, divinaque traditione, Dei Patris Verbum non cuidam homini, in se iam subsistenti, se coniunxisse, at unum eumdemque Christum Dei Verbum esse, in Patris sinu aevo sempiterno perfruens, atque hominem in tempore factum. Siquidem divinitatem humanitatemque in Christo Iesu, humani generis Redemptore, mirabili illa vinciri unione, quae hypostatica iure meritoque dicitur, ex eo luculentissime evincitur, quod in Sacris Litteris idem unus Christus non modo Deus et homo vocatur, sed etiam ut Deus itidemque homo operari, ac denique qua homo operari, ac denique qua homo mori, qua Deus e mortuis resurgere praeclare perhibetur » (*A.A.S.* 23 1931 p. 506).

Item expressis verbis declaravit Nestorium in hac materia fuisse haereticum, et S. Cyrillum Alexandrinum « strenuum extitisse catholicae fidei defensorem » (*ib.* p. 505).

Non desunt tamen hodie theologi qui, modernis investigationibus, tam in historia controversiarum inter S. Cyrillum et Nestorium, tam in exegesi textuum evangelicorum ad modum loquendi agendique Salvatoris in terris relatorum, tam denique in psychologia humana, suffulti, vellent quod agnoscatur in Christo aliquod subiectum humanum, distinctum a Verbo, et quod reintegraretur in Sacra Theologia expressio: « homo assumptus », qua utebantur aliquando Patres veteres. Vellent etiam, propter hoc, Nestorium haeresim non docuisse, sed institisse in plena et perfecta humanitate Christi quam in plena luce positurum erat Concilium Chalcedonense.

Contra hos videtur summus Pontifex Pius XII scripsisse in Litteris Encyclicis *Sempiternus Rex*:

« Quamvis nihil prohibeat quominus humanitas Christi, etiam psychologica via ac ratione, altius investigetur, tamen in arduis huius generis studiis non desunt qui plus aequo vetera linquant, ut nova astruant, et auctoritate ac definitione Chalcedonensis Concilii perperam utantur, ut a se elucubrata suffulciant.

Hi humanae Christi naturae statum et conditionem ita provehunt ut eadem reputari videatur subiectum quoddam sui iuris, quasi in ipsius Verbi Persona non subsistat. At Chalcedonense Concilium, Ephesino prorsus congruens, lucide asserit utramque Redemptoris nostri naturam « in una personam atque subsistentiam » convenire vetatque duo in Christo poni individua, ita ut aliquis « homo assumptus » integrae autonomiae compos, penes Verbum collocetur » *A.A.S.* 43, 1951, p. 638).

Cum res ita sint, magni pretii esset, ut videtur, si sacrum Concilium totam istam quaestionem de unitate Christi vellet reassumere, ratione habita investigationum modernorum, sed denuo affirmando, et in tuto ponendo:

Iesum Christum esse omnino unum, etsi duas naturas distinctas habeat, ita ut hic homo, qui miracula patravit et iudaeos docuit, qui mortuus est in cruce et resurrexit, sit ipsum Verbum aeternum, secunda Persona Sanctissimae Trinitatis, non per solam coniunctionem, etiam strictissimam, sed per identitatem personalem. Et ideo Verbum fuisse quod loquebatur, agebat, patiebatur, in ista natura humana assumpta.

Item controversiae modernae in luce posuerunt munus et momentum in psychologia humana Christi visionis beatificae qua Iesum gavisum esse iam in terris communiter docetur in Ecclesia, et in memoriam theologo-

rum revocatum est a Decreto S. Officii diei 5 iulii 1918, dumvero contra hanc doctrinam, etsi certam, traditionalem et theologice necessariam, haud parvae insurgunt difficultates ex exegesi textuum evangelicorum in quibus apparent progressus in cognitione Christi, et forsitan etiam aliqualis ignorantia.

Unde perutile videretur esse si Sacrum Concilium sua auctoritate sanciretur id quod communiter docetur in Ecclesia, nempe:

Animam Christi gavisum esse visione beatifica iam in terris, ita ut Christus, ante mortem et resurrectionem suam, et iam a conceptione sua mirabili in sinu Beatae Verginis, fuerit simul viator et comprehensor,

ita tamen ut licentia detur admittendi istam transcendentalem et perfectissimam scientiam visionis non exclusisse, tamdiu Christus in terris vigebat, imperfectiones, et perfectibilitatem per viam experientiae et auditus, aliae scientiae, experimentalis nempe, sub cuius influxu Iesus loquebatur et agebat inter homines.

DE NOVO SYMBOLO FIDEI COMPONENDO NECNON DE « PROFESSIONE FIDEI »

Proponitur, ut Concilium componat breve symbolum fidei — praesertim in usum populi — correspondens statui evolutionis fidei sicuti hodie est et satisfaciens situationi pastorali temporis nostri.

Semper fuit officium nobile Conciliorum formulare « symbola » pro necessitatibus populi christiani (cf. DENZ., n. 1 sqq.), tamen hodie duae rationes compositionem symboli « popularis » specialiter suadere videntur, quarum prima est ipsa evolutio fidei. Sunt tempore nostro « Oecumenismi » quidam dicentes, non opportunum esse, explicite pronuntiare, quae « separant » et « separabunt » ab aliis christianis. Tamen quomodo veritates et praesertim veritates dogmatizatae « inopportunae » esse possunt? Estne insuper bonum et iustum excludere a conscientia catholicorum — etiam simpliciorum —, quae a magisterio Ecclesiae de facto proponuntur? Omnes enim pro posse omnia explicita explicite credere debent, et non solum credere, sed etiam confiteri et confitendo magis credere.

Accedit et alia ratio. Conscientia vivida fidei praesertim in civilisatione nostra moderna magni et maximi momenti est, quia permulta in mundo nostro, superabundante bonis terrestribus, sunt, quae interesse hominum valde excitant, implent, explent, quaeque ex altera parte periculum inducunt removendi in conscientia fidelium realitates superna-

turales, ita ut debiles debilioresque fiant et ultimo evanescant. Quare hodie magis quam temporibus anteactis necessitas se imponit, actus explicitos fidei elicere et, occasionibus datis, fidem explicitam confiteri.

Insuper et alia ratio id roborare videtur. Vivimus tempore « Oecumenismi » et « Interconfessionalismi » et infiltrationis « confessionum » acatholicarum in regiones catholicas. Quae cum ita sint, catholici clare, breviter et succinte scire debent, quae hodie explicite credenda sunt et imprimis illa, quibus catholici ab aliis distinguuntur.

Hisce omnibus consideratis compositio concreta novi symboli veritates de septem sacramentis, de Ecclesia Romana ut vera ecclesia Christi, de infallibilitate Papae necnon de eius suprema potestate in Ecclesia regenda, de dogmatibus mariologicis omnino aliquo modo continere debere videtur.

In hac connexione et alia quaestio exsurgit. Secundum praescripta ecclesiastica post unumquodque examen academicum « Professio fidei » et « Iusiurandum antimodernisticum » dicenda sunt. Quidquid nunc sit de quaestione, an talia, et praesertim « Iusiurandum antimodernisticum », hodie adhuc ubique terrarum necessaria sint an non, — problema, quod ponitur in facultatibus theologicis est multiplicatio « Professionum fidei » et « Iurium iurandorum antimodernisticorum ». Secundum praescripta enim post unumquodque examen academicum talia emittenda sunt. Difficulter autem necessitas huius in regionibus nostris intelligi potest. Vix enim Studens theologiae inter Baccalaureatum et Licentiatum, inter Licentiatum et Doctoratum a fide, quam antea iam per multos annos habuit, deficiat nec habebit occasionem falsa docendi ratione sui tituli academici. Insuper repetitio iurium iurandorum inter brevia intervalla, sicut regulariter in universitate accidit, ipsi iuramento derogare eiusque dignitatis « devalorizationem » secum ferre videtur. Iusiurandum natura sua valet pro semper, ergo, per se loquendo, semel emissum sufficit. Conceditur quidem, actum iurandi fieri ad roborandam voluntatem fragilem in bono et hac de causa posse iterari quia voluntas continue in periculo deficiendi existit. Tamen practice in plurimis casibus Studenti non imminet periculum extraordinarium peccandi contra fidem.

Quibus perpensis proponitur, ut, saltem post examen Baccalaureatus et Licentiae, abrogetur et « Professio fidei » et « Iusiurandum antimodernisticum », et liceat insuper propositionem addere, ut praedicti actus — ad augendam eorum sollemnitatem et aggravandum eorum pondus morale — nonnisi ante munus publicum in Ecclesia suscipiendum (e. g. quando quis nominatur « Professor » etc.) exigantur.

FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS OENIPONTANAE

FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS OENIPONTANAE

Innsbruck, die 10 aprilis 1960

VOTA

Liturgia, quatenus diebus dominicis et festis cum populo celebranda est, ita reformetur, ut vere sit cultus quem plebs sancta cum sacerdote Deo exhibet. Ideo linguae vernaculae usus tum in lectionibus tum in cantibus Missae (Ordinario et Proprio) concedendus videtur.

Ritus Missae in formam magis perspicuam redigatur (cf. Pius X: « ad pristinam sanctorum Patrum normam ac ritum »). Examinetur quaestio Concelebrationis in coetibus sacerdotum adhibendae.

Breviarium ita reformetur, ut vere sit alimentum pietatis et non onus quod aegre tantum portetur. Nempe ratio habeatur illius facti, quod a tempore saecularisationum (saec. 18-19) vix amplius existunt illa Collegia Canonicorum olim florentia et partem longe maiorem complectentia, quorum unicum officium erat more Monachorum Horas canonicas cantare, cum Clerus hodiernus fere integer vix non supra vires occupetur in Cura animarum. Ideo redeatur ad pristinum rerum statum, ut eae tantum Horae canonicae a Clero universo obeundae sint sub peccato, quae solae teste historia ante Medium Aevum in ecclesiis cathedralibus (et parochialibus, inquantum existebant) persolvendae erant: Laudes et Vesperae. Insuper autem obligatio imponatur quotidie, v. g. per semihoram, lectioni divinae sive orationi mentali incumbendi (cf. can. 126).

Ordines Minores ita reformentur, ut indigentiis Ecclesiae realibus respondeant — aut ita ut ii qui nunc nihil sunt nisi gradus ad sacerdotium refundantur, aut ita ut iis Benedictiones ecclesiasticae quaedam addantur quae ad vera officia introducant.

Sacra Congregatio S. Rituum ita reorganizetur, ut separata sit ab Officio Canonizationum et sublimi suo muneri vere possit incumbere.

IOS. A. JUNGMANN, S. I.

* * *

Cum errores moderni circa vitam coniugalem etiam inter Christianos praesertim inter Protestantes semper latius spargantur et multi sacerdotes in reiciendis ac impugnandis his erroribus deficiant, ad firmandam doctrinam catholicam necnon ad docendas gentes paganorum, quae hodie in difficultatibus procurandae prolis fundamentaliter errant, et ad roborandos confessarios magnopere conferret, si Concilium capita respectiva doctrinae Litterarum Encyclicarum *Casti connubii* de novo confirmaret ac proponeret.

IOSEPHUS MILLER, S. I.

FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS MONASTERIENSIS

KATHOLISCH-THEOLOGISCHE FAKULTÄT
DER UNIVERSITÄT MÜNSTER

Münster/Westf., den 12. März 1960

Eminenz!

Der hochwürdigste Herr Bischof von Münster, Dr. Michael Keller, hat der Fakultät den Wunsch Ew. Eminenz übermittelt, sie möge « Wünsche und Anregungen » zu dem angekündigten Konzil vorlegen.

Die Fakultät hat in mehreren Sitzungen solche erarbeitet. Sie dankt für die ihr gegebene Möglichkeit, sich zu äussern und legt ihr Votum durch den hochwürdigsten Herrn Bischof in die Hände Ew. Eminenz.

Ew. Eminenz ergebenster
VOLK, *Dekan*

I. DE FIDE IN DEUM

Concilium Oecumenicum a S. Pontifice Ioanne XXIII indictum, ut fideles confirmet orbique terrarum testimonium praebeat, fidem christianam in Deum vivum gravi, nervoso et vere religioso modo testetur et, quae theologia christiana de homine et universo docet, praecipuis lineamentis adumbret, speciatim:

1. Deum esse totius creaturae Dominum et in Christo universum mundum, peccato perditum, salvandi causa, misericorditer et amanter in perpetuum amplecti;

2. universum — qua creatum et redemptum — ad Deum referri ideoque nec evolutione nec progredientibus rerum naturae inquisitionibus et artibus technicis e dominio divino elabi posse. Mundum itaque se ipso perfici non posse, sed tantum si Deo vel potius Christo se subiciat. Potestates negationis et destructionis omnes non posse impedire, quin Christus, in fine temporum, dominium suum obtineat ac creatura aeternae perfectionis particeps fiat;

3. quae Concilium Vaticanum sess. III, cap. 4 de relationibus inter fidem et rationem vigentibus constituit, secundum nostri temporis exigentias explanentur (e. g. evolutio mundi; progressus spirituum historicus, qui dicitur « geistesgeschichtliche Entwicklung »; quaestiones de miraculo).

II. DE ECCLESIA CHRISTI

A) Condicio praecipua, ut Ecclesia efficacem operam exerceat — etiam quoad unionem omnium christiani nominis hominum cum Ecclesia catholica — videtur esse, ut eiusdem ratio ac fines completiore quodam modo explicentur et ad vitam actuosam deducantur. Ad quod obtinendum utile fore videtur, ut:

1. Ecclesiae natura describatur, quae nempe non est tantum corpus Christi mysticum, sed et populus Dei et sponsa Christi;

2. Episcoporum, qui a Spiritu Sancto positi in apostolorum locum successerunt (Conc. Trid. sess. XXIII, cap. 4; Conc. Vatic. sess. IV, cap. 3) munera, iura, officia exponantur necnon, quomodo ad rem traducantur;

3. quaestio deliberetur, utrum diaconatus ordo ut munus proprium redintegrari possit;

4. sacramentum confirmationis, imprimis eiusdem gratia sacramentalis, penitus describatur;

5. laicorum spiritualis dignitas eorumque iura (cf. IV, 1), officia, facultates (per characteres sacramentales donatae) illustrentur;

6. Verbum Dei esse vivum et efficax (cf. *Hebr.* 4, 12), seu — ut dicunt — « realitatem salutis », magnopere extollatur, eo quidem fine et effectu, ut Verbum Dei in Ecclesia plus aestimetur, vita spiritualis foecundetur, cura pastoralis — quod in votis est — directionem ac auxilium accipiat et facilius cognoscatur, etiam Sacram Scripturam Ecclesiae catholicae esse concreditam ipsamque vere esse in Sacris paginis descriptam Ecclesiam Iesu Christi.

B) Quo melius Ecclesia munus suum coram acatholicis et gentilibus praestare valeat, optandum est, ut:

1. attendatur ad vestigia Ecclesiae, quae inter Christianos acatholicos reperiri possunt;

2. erigatur primaria (vel ut aiunt « centralis ») quaedam sedes, quae:

a) condiciones theologicas et religiosas in societatibus christianorum dissidentium reapse vigentes pervestiget;

b) cum iisdem res rationesque iungat;

3. fundentur institutiones similibus muneribus ac facultatibus praeditae relate ad religionem iudaicam, mahumedanam (seu islamicam) aliasque;

4. studeatur humanos civilesque cultus aliarum gentium (earumque valores, modos cogitandi loquendique) mundo catholico integrare, quatenus apti videntur, qui fidem catholicam et vitam exprimant;

5. mollietur character « latinitatis » Ecclesiae;

6. promoveatur in populis missionum cultus divinus ac pietas, quae iisdem accomodata videntur.

III. DE CULTU DIVINO

Cultu divino Ecclesia, quae Deum colit ac salutem communicat, seipsam repraesentat ideoque cultus eiusdem praecipuum munus, tum pro fidelibus tum pro mundo praestandum, considerari debet. Quapropter deliberetur, quomodo et quousque fieri potest, ut:

1. a mysteriis pericula violationis (ut dicunt « profanationis ») imprimis per media divulgationis moderna (oborta e. g. « televio ») arceantur;

2. linguae populorum adhibeantur:

a) in missarum sollemnibus;

b) in sacramentorum administratione;

c) in precum horariarum recitatione;

3. pericopae Missarum augeantur, e. g. cyclum trium vel quattuor annorum constituendo;

4. Oratio fidelium pristina ad mentem S. Pauli (*1 Tim.* 2, 1-3) redintegretur;

5. canon Missae, ab additamentis non genuinis exoneratus (cf. III, 4), alta voce proferatur;

6. ritus sacramentorum, imprimis baptismatis, ab elementis liberentur, qui solummodo evolutione historica perspecte intelligi possunt

7. in calendario liturgico, quo magis festa Domini et Dominicae dies tueantur, numerus dierum festorum, qui potius ad ecclesias particulares vel ordines pertinent, minui, ex altera parte martyrum et confessorum laicorum ratio maior haberi queat.

IV. DE IURE CANONICO

Ius canonicum, secundum quod suprema auctoritas iam significavit, mutatis rerum temporumque conditionibus accommodandum appareat:

A) In « Codice repetitae praelectionis » undique reformato et terminologice quoque melius limato.

B) In materiis quae sequuntur:

1. in iure laicorum magis exculto;
2. in censura praevia librorum eorumque indice vere reformatis;
3. in iure matrimoniali:

a) generaliter accommodetur illi pro Ecclesiis Orientalibus noviter iam collecto;

b) forma (nimis stricta) promissionis matrimonii remittatur, saltem quoad forum conscientiae;

c) impedimentum « impotentiae » determinetur modo, qui aequalis est et omni maior exceptione;

d) error circa servitutem contrahentis valde obsoletus suppleatur errore, qui in praxi summi est momenti: circa qualitatem personae (imprimis: quod ad valetudinem prosperam), si dolo excitatus causam dederit contractui;

e) statuatur: Matrimonium sub conditione aut sub exclusione « bonorum » matrimonialium contrahi nequit;

f) si, ut proponitur in litt. *e,* statui minus conveniat, coniugis, qui « impedimenti » ideoque nullitatis assertae causa fuit culpabilis,

inhabilitas ad accusandum matrimonium, quae ad animarum salutem minus conducibilis videtur, apte auferatur;

4. in iure processuali:

a) evolvatur ordo administrativo- iudiciarius;

b) necessitatibus adaptetur et organisatio et administratio iudicii ordinarii;

c) causae imprimis matrimoniales expeditiores fiant; propterea:

aa) iudices synodales in iure canonico vere periti et forensi experientiae totam dantes operam tot sint oportet, quot sufficiant ad causas rite conficiendas matureque definiendas;

bb) prudenti iudicis arbitrio iam ante processus publicationem relinquatur partes et testes conferre, vulgo « confrontare »; quod in quantum fieri potest, coram collegio fiat;

cc) instructio causarum per « commissarios », nisi sint in iure canonico periti, regulariter nequaquam fiat;

dd) facultas Ordinario concedatur, ut laicum in iure canonico vere peritum adhibeat, qui officio iudicis instructoris (non: definientis) fungatur;

5. ius poenale: generaliter adaptetur Ecclesiae conditionibus hodiernis; speciatim:

a) poenae latae sententiae restringantur;

b) breviter atque perspicue exarentur effectus poenae cuiusvis medicinalis (censurae).

V. DE THEOLOGIA MORALI

1. Caritatem erga Deum et proximum esse principium fundamentale seu dominans christianae moralitatis et praecipuum christianae educationis munus Concilium inculcet.

2. Apte Concilium curet, ut conclusiones certae scientiae anthropologicae (de processu humanae personae psychico; de integratione τοῦ esse, posse et debere) in doctrina, imputatione morali et usu sacramentorum (imprimis Paenitentiae et Eucharistiae) adhibeantur.

VI. DE THEOLOGIA SOCIALI

Conditiones sociales ac industriales revolutione industriali immutatae peculiaria munera imponunt doctrinae sociali catholicae. Ut eadem recta via se teneat, Concilium inculcet:

1. Doctrina socialis catholica ius naturae categoriis specifice theo-

logicis ad hoc evolvendis (creatio, peccatum originale, foedus Deum inter et hominem, populus Dei, Ecclesia, oeconomia salutis) transcendat. Quod etiam sub aspectu oecumenico non parvi momenti esse videtur, cum Protestantes in doctrina sociali aspectum theologicum premant. Attamen, cum error cuiusdam spiritualismi et exsistentialismi « supernaturalis » non negligendus sit, ius naturae parvipendere nefas esset.

2. Notiones ac fines vitae christianae peculiares pro hodierni temporis industriali societate proponantur; e. g. pro:

a) matrimonio et familia;

b) labore et professione;

c) officiis versus alias, grandiores societates;

d) usu ac moderatione bonorum fortunae;

e) iusta proportione inter privatam singulorum navitatem ac securitatem, quae ex institutis collectivis provenire potest;

f) usu temporis a laboribus liberi;

g) sanctificatione diei dominicae.

3. Emolumenta ac pericula, quae ex sociologia et sociographia religionis evenire possunt, circumscribantur, ut curam pastoralem agentes utantur disciplinis praedictis, quin methodo sociologistica seducti a recta via declinent, id est in determinismum sociologicum ac ethicam « situationis », specie sociologiae praetextam, labantur.

FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS ARGENTINENSIS

UNIVERSITÉ DE STRASBOURG
FACULTÉ DE THÉOLOGIE CATHOLIQUE

Strasbourg, le 29 avril 1960

Eminence Révérendissime,

Vous avez bien voulu me demander quels sujets la Faculté de Théologie catholique de Strasbourg souhaiterait voir retenus par la Commission anté-préparatoire du Concile Œcuménique.

Comme j'ai eu l'honneur de l'écrire à Votre Eminence le 18 octobre 1959, j'ai fait part à mes Collègues du désir que vous nous aviez communiqué et nous avons rédigé un mémoire que je vous prie de trouver ci-joint. Nous avons fait notre possible pour nous conformer aux recommandations contenues dans votre lettre du 18 juillet 1959, en formulant nos vœux avec briéveté sur des points précis.

Nous tenons à vous exprimer notre profonde gratitude pour la confiance qui nous est témoignée. Nous y ajoutons nos souhaits les plus fervents pour le travail de la Commission que vous présidez et nous prions la Divine Providence à toutes vos intentions.

Daigne Votre Eminence agréer l'assurance de mes sentiments très respectueusement dévoués en Notre Seigneur.

MAURICE NÉDONCELLE
doyen de la Faculté de Théologie catholique
de l'Université de Strasbourg

I. *In rebus ad dogma spectantibus,* opportunum videtur imprimis Concilii Vaticani de constitutione Ecclesiae opus, belli causa interruptum, ad perfectum duci. Convenienter fiat ad mentem Patrum qui suum propositum declararunt in *Constitutione dogmatica secunda de Ecclesia Christi,* quae his incipit verbis: *Tametsi Deus* (MANSI, t. 53, col. 308-317). Cuius praecipuae definitiones spectant:

— ipsam primo divinam Ecclesiae institutionem;

— divinam dein collegii apostolici institutionem necnon inde manantia consectaria;

— tandem et laicorum in Ecclesia partes, divinitus assignatas.

Cum prae caeteris falsae de Ecclesia opiniones unioni diversarum confessionum christianarum obstent, nova inde spes orietur, votis Summi Pontificis valde consentanea, quaedam saltem dissidia componendi. In huiusmodi labore magni pendendi sunt theologi rei biblicae et historicae periti necnon difficultates rei oecumenicae experti. Facilius enim sequentur Summum Pontificem Pium IX, bene monentem formulas quaerere moderatiores.

Ceterum, optandum putamus ut, data coaevorum, etiam fidelium, praesertim magis excultorum indole, quoties diiudicandae sunt alicuius momenti quaestiones theologicae, philosophicae seu historicae, ecclesiasticis auctoritatibus praesto sint viri catholici, diversa diversi forsan opinantes, sed scientifica auctoritate aeque pollentes. Non una sic de medio tolletur difficultas apologetae et gratius patebit mentibus aditus ad fidem.

II. Similiter censemus *in re morali,* praesertim coniugali, cuius multimodis implicata sunt problemata, consulendos esse laicos, scientia non minus quam fide praestantes, sive medicinae artis sive psychologiae sive sociologiae studio deditos.

III. *In re proprie pastorali,* gratanter exspectamus ut in mentem omnium revocetur, nemini licere nec pueros nec adolescentes de Revelatione tali modo instruere, quo falso exsurgat conflictus inter doctrinam et inconcussa hodiernae scientiae acquisita; et ideo Ecclesiae doctrinam clericis ipsis in Seminariis tradendam esse ea ratione quae hodiernis exigentiis impar non sit.

Lugendus certe, nec tamen tacendus presbyterorum casus, qui sta-

tum sacerdotalem dereliquerunt. Illorum numerus, ob hodierni mundi instabilitatem, potius augetur. Liceat nobis rogare, ut remedia benigne provideantur quibus infelices illi, si ad statum pristinum redire nequeunt, in vitam christianam saltem more laicorum restituantur, ne prorsus desperent. Forsitan ab oneribus ordini maiori adnexis saepius eximi possint.

Pari cura moti sumus erga laicos, quibus, ob status eorum irregularitatem, quae supersunt religiosi frequentatus possibilitates ita sunt imminutae, ut practice saepius evanescant. Nonne, praeter sacramenta quorum usu privantur et remoto scandalo, certa vitae christianae poenitentis remedia eorum statui accomodari possint, quorum ope pastorum zelus eos in fide sustentare et ad spem erigere valeat? Timendum ne secus paulatim Ecclesiae abalienati, grassantibus se addicant sectis, harum inanibus promissis famem suam expleturi.

Nihil in his propositis quod excedat Ecclesiae potestatem; nihil quod non respondeat maternae eius sollicitudini erga peccatores.

Ultimo, relate ad Indicem librorum prohibitorum, exoptatur: primo, ut licentia huiusmodi libros legendi, in casu particulari concedi possit a confessario, utpote magis idoneo ad iudicandum de dispositionibus talem licentiam poscentis; secundo, ut ius et onus Sedi Apostolicae noxias deferendi publicationes reservetur Episcopis, utpote divino mandato fidei morumque puritati invigilantibus.

IV. Quod vero *ad rem liturgicam* attinet, fervide desideramus opus Renovationis liturgicae a Pio XII feliciter inceptum ampliari et promoveri. Qua in re quinque proponenda retinuimus:

1° ut usus linguae latinae servetur in omnibus cultui essentialibus;

2° ut partes didacticae (verbi gratia missa catechumenorum, necnon illa quibus in liturgia sacramentorum sacerdos directe plebem alloquitur) possint a sacerdote patrio sermone proferri, quin illa eadem latina lingua recitare teneatur; insuper ut initio missae, pro collecta et lectionibus sacris, uti fit pro homilia, sacerdos iam non stet ad altare, sed versus populum, in choro aut in loco quo aptius ab omnibus audiatur;

3° ut modus novas applicandi liturgiae normas authenticam populi christiani et personalem pietatem non impediat, sed foveat. In specie, ut intra missam suas « commentator » non excedat partes; ut praesertim, ad mentem Encyclicae *Mediator Dei,* post communionem gratiarum actioni etiam, ut aiunt, privatae suus retineatur honor et suum tempus, maxime apud pueros, quos constat inde saepissime haurire vocationem ad altiora; ut in caeteris celebrationibus religiosi cuiusdam silentii intervalla serventur;

4° ut pro baptismi collatione:

a) in rituali baptismi parvulorum, elementa sibi vere cohaereant (dum, exempli gratia non appareat quomodo ultima pars orationis *Preces nostras* parvulis applicari possit);

b) in rituali adultorum, denuo ritus liturgiae catechumenorum, ad nutum Ordinarii, certis temporum intervallis devolvi possint, quemadmodum optime provisum erat in rituali a Cardinali Santori exarato;

5° ut in revisendo Breviario, restituatur distinctio inter officium a clero saeculari et a regulari absolvendum: eo vel fine ut sacerdotes animarum cura onerati horis recitandis minoribus non teneantur. Qua occasione expungi possint narrationes non historicae.

V. *Iuri canonico renovando* haec forsan inservirent:

1° Opportune, ni fallimur, quaedam praescriptiones tollantur, quas iam nonnisi supervacaneo retineri constat; inter quas indubitanter nonnullae iuris dispositiones a quibus Sedes Apostolica regulariter, sive directe sive mediante Ordinario, dispensare solet.

2° Quaedam potestatis extensio, locorum Ordinariis concessa, et hos ipsos et Curiam romanam in exercendo eorum munere iuvaret. Ita, prae caeteris, perutiliter Ordinario loci tribui possent potestatis ordinariae titulo iura illa quae communiter dantur vi Indulti concessi.

3° Ieiunium eucharisticum, simplicitatis causa, sed et respectu habito sacerdotis qui plures missas celebrare tenetur, sic accommodari exoptamus, ut hora praecedens non minus pro sacerdote quam pro fidelibus computentur ab ipsa communione.

4° Maioris efficacitatis causa, ius poenale quasdam exigere videtur attenuationes. En brevis, ex his excerptus desideratis, elenchus eorum quae canonistarum examini subiicimus: Minus numerosae censurae reservandae; effectus excommunicationis, imo ipsa excommunicationis notio revisenda; doctrina reservationis simplicius explananda; facultates in poenis absolvendis Ordinario largius concedendae.

INDEX

UNIVERSITAS CATHOLICA ANDEGAVENSIS

PAGG.

Rectoris litterae 9
De quaestionibus ad doctrinam pertinentibus
Facta 11-12
Aliquae ex periculosis opinionibus recensentur 12-13
Quomodo mederi possit 13-14
De praevia librorum censura 14
De legibus Indicis 14-15
De frequentatione Universitatum et scholarum civilium a catholicis 15-17
Circa doctrinam de Ecclesia 17-18
Laici in Ecclesia 18
De quibusdam quaestionibus ex praesentibus vitae rationibus catholicis propositis
Laicizatus mundus 19
De diei dominicae sanctificatione 19-20
De paenitentiae modis 20-21
De vitae Deo consecratae modis 21-22
De liturgicis quaestionibus 22
Quomodo, temporibus Concilii, Ecclesia inter res humanas se habeat
Non in primis agitur haeresis quaedam aut schisma novum . . 23-24
Homines sine Ecclesia mundum aedificant 24
Pars christianorum unitatem sine Ecclesia romana quaerunt . . 24
Catholicitas Ecclesiae magis manifestanda 25-27
De catholico Ecclesiae munere
Evangelium omni creaturae annuntiandum 27
Nonobstante peccato creatio « bona » proclamanda 27-28
Populus christianus ut « principium vitale societatis humanae » 28-29
Ecclesia bono omnium hominum favet 29-30
Quibus conditionibus internis catholicitas Ecclesiae semper clarius fulgere poterit
Compleatur doctrina primi Concilii Vaticani ampla expositione de « Apostolicitate » Ecclesiae 30-32
Pressius proinde definiatur natura et munus collegii episcopalis in communione cum Summo Pontifice 32
Augeatur cooperatio Summi Pontificatus et Episcopatus . . . 32-34

PAGG.
Indoles sacerdotii hierarchici in mentem revocetur 35-36
Ostendatur dignitas et munus totius populi christiani 36-38

UNIVERSITAS BERYTENSIS SANCTI IOSEPH

De Episcopis 41
De obicibus ad Orientalium reditum mitigandis 41-42
De unitate iurisdictionis 42-45
De Orientalibus rite colendis 46

PONTIFICIA UNIVERSITAS XAVERIANA

De re dogmatica 49
De re morali 49-50

PONTIFICIA UNIVERSITAS COMILLENSIS

Rectoris litterae 53
Schemata Concilii Vaticani 55-56
Summorum Pontificum Litterae Encyclicae 56-57
Ex doctrina dogmatica
Relate ad doctrinam theologicam ab omnibus omnino tenendam 57-61
Relate ad ea quae viam sternere possent ad unionem dissidentium 61-63
Ex iure canonico
Propositiones generales 63-64
Propositiones speciales 64-81
Ex philosophia
Pro perenni philosophia tutanda 82-84
Pro sana libertate in philosophia perenni 84
De libertate inter scholas catholicas iuxta Romanos Pontifices . 84-86
Appendix
De revisendo Codice Iuris Canonici 87-88
Propositiones generales 88
Propositiones speciales 89-159

UNIVERSITAS CATHOLICA « LOVANIUM »

Rectoris litterae 163
Vota spectantia doctrinam Ecclesiae
De natura, hierarchia et membris laicis Ecclesiae 165-168
De reunione christianorum a S. Sede separatorum 168-169
De religionibus non christianis 169
De libertate conscientiae non-catholicorum in re religiosa . . . 169
Vota renovationem liturgiae romanae et praxim pastoralem spectantia
De lectione divina et praedicatione 170

PAGG.

De renovatione liturgiae romanae 170-171
Vota disciplinam ecclesiasticam spectantia
De Ecclesia orientali 171
Vota disciplinam Ecclesiae occidentalis spectantia 172-174
A) De studio theologico peragendo in genere 174-175
B) Vota particularia relate ad clericorum institutionem in Seminariis maioribus in regionibus Missionum 175
C) Vota relate ad clericorum institutionem speciatim in Africae Seminariis maioribus 176-178

UNIVERSITAS CATHOLICA INSULENSIS

Rectoris litterae 181
De Ecclesia 183-192

UNIVERSITAS CATHOLICA LUGDUNENSIS

Rectoris litterae 195

FACULTAS THEOLOGICA
Declaratio 199-201
Vota 201

FACULTAS IURIS CANONICI
De re morali 205-206
Circa prohibitionem librorum 206
In re disciplinari
De maiori concordantia statuenda inter leges disciplinares tum Ecclesiae latinae tum Ecclesiae orientalis 207
Circa revisionem seu correctionem C.I.C. 207
Circa sacerdotum in Ecclesia penuriam 207-208
Quoad habitum seu vestem clericalem 208
Ad statum religiosum quod attinet 209
Quoad Matrimonii sacramentum 209
Circa ieiunium eucharisticum 209-210
De studiorum cura in utroque clero omnino promovenda . . . 210-211
In re liturgica
Quoad novum Psalterium 211
Quoad libros liturgicos edendos 211-212
Pro ieiunio eucharistico in quantum liturgiam spectant 212
De codice liturgico conficiendo 213
Calendarii ecclesiastici reformatio 213

FACULTAS PHILOSOPHICA
Vota 217-219

UNIVERSITAS CATHOLICA LOVANIENSIS

PAGG.

FACULTAS THEOLOGIAE ET IURIS CANONICI

Rectoris litterae – Vota 223-231

FACULTAS PHILOSOPHICA

Rectoris litterae 235
Vota 237-238

UNIVERSITAS CATHOLICA LUBLINENSIS

Rectoris litterae 241-242
Res ad theologiam pertinentes 243
Res ad ius canonicum spectantes
Vota ad disciplinam cleri et populi christiani pertinentia . . . 244-247
Desiderata 247-248
Res ad rationem docendi et instituendi pertinentes 248-251

PONTIFICIA UNIVERSITAS MANILENSIS S. THOMAE

Rectoris litterae 255

SECTIO THEOLOGICA

De authentica Bibliorum sacrorum versione e fontibus originalibus conficienda
Praefatio 259
Indoles textus Vulgatae 261-268
Unitas doctrinae nova versione clarescet 268-274
Lex poenalis in conscientia obligans declaranda 274-275
Lex poenalis obligat in conscientia 275-278
Uniformitas quaerenda
In administratione sacramenti Poenitentiae 279-283
Relate ad institutionem atque divulgationem devotionum erga Christum Iesum, B. Mariam V. et alios Sanctos 283-286
De convenientia urgendi praedicationem verbi Dei uti obligatoriam in omnibus Missis coram fidelibus cuiuscumque conditionis diebus dominicis et festis de praecepto celebratis 286-289
Amplior facilitas adimplendi praeceptum dominicale postulatur . . 289-290

SECTIO CANONICA

Reformetur textus can. 132 § 1 Codicis Iuris Canonici, ita ut appareat clare obligationem coelibatus clericorum in sacris provenire non ex voto, sed ex lege ecclesiastica
Quaestio 293-300
Praesupposita 300-316
Discussio quaestionis 317-330

PAGG.

Conclusio 331-334
De studiorum ratione in clericorum Seminariis hodiernis necessitatibus accommodanda
Pro Seminario minori 334
Curriculum philosophicum 335-336
Curriculum theologicum 336
In iure 337-341
Curriculum philosophicum 341-343
Curriculum theologicum 343-347
In facto
Curriculum medium-classicum 347-348
Curriculum philosophicum 348-349
Curriculum theologicum 349

SECTIO PHILOSOPHICA

Doctrina novae physicae de identitate materiae et energiae, luce principiorum philosophiae scholasticae perspecta, aequivoca est et in aliquibus casibus reiicienda 353-363
De functionibus et limitibus proprietatis privatae
Prologus 363-364
Discrimen conceptus et institutionis proprietatis 364-369
Proprietatis privatae iura analoga et functiones analogae . . . 369-377
Iuris ad possessionem privatam derivatio ex lege naturali . . . 378-386
Doctrinae Aquinatis vindicatio 386-395
Iuris possessionis privatae ratio analoga 395-400
Iuris possessionis privatae naturalis limitatio 400-408
De expropriationibus agrariis reformativis et de iure naturali possessionis privatae 408-415
Restauratio possessionis privatae et desproletarizatio 416

UNIVERSITAS CATHOLICA S. PATRITII

De lege abstinendi ab operibus servilibus 419-421
Materia studii et status quaestionis 421-422
Doctrina vigens eiusque defectus 422-423
Quid proponitur 423
Solutio generica 423-425
Criterion ultimum 425
Solutio specifica et tentativa 425-427
Bona huius solutionis 427-428
Quaedam alia proposita et vota 429-430
De Mystico Corpore Christi quaestiones ac proposita quaedam . . . 430
Quaestiones controversae 430-431
Doctrina Encyclicae « Mystici Corporis Christi » 431-434
Doctrina S. Pauli 434

PAGG.

Doctrina S. Thomae Aquinatis 434-436
Doctrina magnorum ecclesiasticorum XVI et XVII saeculorum . . 436-438
De apostolatu laicorum 439-442
De reconciliatione dissidentium cum vera Christi Ecclesia 443-445
De sacra liturgia 445-447

UNIVERSITAS CATHOLICA MEDIOLANENSIS
SACRI CORDIS

Rectoris litterae 451
De existentia Dei philosophice demonstranda 453-454
Sacerdotes in psychologiae studiis versentur 454
De instantibus rei demographicae processibus progressibusque . . 454-455
De iustitia sociali inter gentes 455-456

UNIVERSITAS MARIANOPOLITANA

Rectoris litterae 459
Desiderata Concilio Oecumenico proponenda a Facultate Theologiae 461-462
Spiritualité de l'homme d'affaires 462-464
Memoire à la Commission préparatoire au Concile Oecuménique sur le problème des « facteurs non-théologiques » 464-465

UNIVERSITAS CATHOLICA NIAGARAE

Rectoris litterae 469
Vota 471-472

UNIVERSITAS CATHOLICA NOVIOMAGENSIS

Rectoris litterae 475
Quoad mysterium Ecclesiae 477
Quoad habitudinem Ecclesiae relate ad munera humanitatis intramundana seu terrestria 478
Quoad problemata curae pastoralis Ecclesiae praesertim in re liturgica et missionaria 478-479
Quoad ius canonicum 479-480

UNIVERSITAS CATHOLICA OTTAVIENSIS

Rectoris litterae 483
De Ecclesia Christi 485-488
De doctrina propaganda et in lyceis magnis colenda 489-490
Postulata de re liturgica 490-492
Postulata de re canonica 492-493

UNIVERSITAS CATHOLICA PARISIENSIS

PAGG.

FACULTAS THEOLOGICA

De Ecclesia
De Ecclesia universali 497-498
De Episcopis 498-499
De relationibus inter catholicos et acatholicos 499
De Ecclesia et inquisitione scientifica 500
De Redemptione 500-501
De lege naturali 501
De disciplina ecclesiastica et cura pastorali
De Conciliis 501-502
De statibus in Ecclesia 502
De laicis 502
De Indulgentiis 502-503
De Indice librorum prohibitorum 503
De modo prosequendi in Commissionibus et Sessionibus Concilii . . 504

FACULTAS IURIS CANONICI

De re doctrinali 507
De re disciplinari
De Codicis reformatione 507-508
De clericis in genere 508
De Conciliis provincialibus et plenariis 508
De Curia dioecesana 509-510
De Capitulo cathedrali 510
De laicis 510
De Sacramentis 510
De temporibus sacris 511
De Universitatibus et scholis 511
De administratione bonorum paroecialium temporalium 511
De iustitiae administratione 511-512
De reverentia Ecclesiae debita 512
« Vota » concernant le Droit Canonique Oriental
Des Eglises orientales 512-514
Des Patriarches orientaux 514-516
Des Patriarches latins 516
Des Evêques latins 516-517
Des Orientaux qui reviennent à l'unité 517
Des Légats 517-518
Des Sous-diacres non catholiques 518

FACULTAS PHILOSOPHICA

Vota 521-526

UNIVERSITAS « LAVAL »

PAGG.

Rectoris litterae 529
Vota Facultatis Theologiae
De Ecclesiae constitutione 531
De clericis 531
De religiosis 531
De Sacramentis 531-532
De temporibus sacris 532
Vota Instituti Pastoralis 533
De Ordine Missae 533
De Proprio Missae 533
De Graduali romano 534
De Calendario romano 534

UNIVERSITAS CATHOLICA AEQUATORIS

Rectoris litterae – Vota 537-538

PONTIFICIA UNIVERSITAS SALMANTICENSIS

Rectoris litterae 541
De re biblica 543
De re philosophica 543-545
De re morali et sociali 545-547
De re canonica 547-551
De re pastorali 551-553
De re paedagogica 553
Optatum finale 554

PONTIFICIA UNIVERSITAS CATHOLICA CHILENSIS

Rectoris litterae 557
Vota
De sacra doctrina 559-560
De ecclesiastica disciplina 560

UNIVERSITAS CATHOLICA « SOPHIA »

Rectoris litterae 563
Pars dogmatica 565-567
Pars liturgica 567-569
Pars disciplinaris 569-572

UNIVERSITAS CATHOLICA TOLOSANA

PAGG.

Rectoris litterae 575
De ecclesiasticae administrationis reformatione (Votum Rectoris) . . 577-580

FACULTAS THEOLOGICA
Schema pro doctrina de Episcopatu 583-584
Vota quae Patribus Concilii videntur opportunius proponenda . . . 585

FACULTAS IURIS CANONICI
De structura Ecclesiae
De Dicasteriis 589
De potestate Ordinariorum 589
De statu clericorum 590-591
De Institutis religiosis 592
De Tribunalibus 592-593
De Matrimonio
De impedimentis ac dispensationibus 593-594
De consensu matrimoniali 594-596
De matrimonio conditionato 596
De impotentia 596
De potestate ministeriali vicaria Summi Pontificis 596-597
De iurisdictione ad audiendas confessiones 597
De Codice Iuris Canonici 597

Appendix
Note rédigée à la demande de certains Evêques protecteurs de l'Institut Catholique de Toulouse 598-602
Note doctrinale sur la Médiation Mariale
Les différents aspects de la doctrine de la Médiation Mariale . . 602-610
Que pourrait être une définition de la Médiation Mariale . . . 610-612
Opportunité d'une définition 612-614

UNIVERSITAS CATHOLICA AMERICAE WASHINGTONENSIS

Rectoris litterae 617
De Ecclesia seu Mystico Corpore Christi 619-621
De periculo Modernismi seu Liberalismi 621-622
De rebus orientalibus 622-623
De vi ac ratione potestatis episcopalis 623-627
De apostolatu laicorum 627
De vi et gradu Ecclesiae documentorum obligationis 628
De verbo Dei praedicando 628
De ieiunio et abstinentia 628
De necessitate census religiosi in toto orbe agendi 629

PAGG.

De latina lingua docenda 629
De institutione religiosarum quoad vitam spiritualem et quoad professionem 629-630
De quaestionibus in Codicis Iuris Canonici reformatione tractandis 630-631

FACULTAS THEOLOGICA BALTIMORENSIS S. MARIAE

Rectoris litterae – Vota 635-637

FACULTAS THEOLOGICA CHICAGIENSIS S. MARIAE AD LACUM

Rectoris litterae 641-643
De spiritualitate animae 643-644
De creatione animae humanae 645-646
De una origine peccati originalis 647-649

PONTIFICIA FACULTAS THEOLOGICA KURULITANA SS. CORDIS IESU

Rectoris litterae 653
De re biblica 655
De re dogmatica 655-656
De Codicis Iuris Canonici reformatione 656-658
De religiosis 658
De Sacramentis 658-659
De diebus festis 659-660
De facultatibus concedendis 660
De scholis 661
De causarum decisione 661-662
De Actione Catholica 662

FACULTAS THEOLOGICA MEDIOLANENSIS

Rectoris litterae 665
Praevia expositio dissertationum 667
Doctrinalia argumenta seu problemata 667-669
Argumenta ad institutionem, disciplinam et operam pastoralem pertinentia 669-672
De supernaturali fine hominis atque de gratiae necessitate
De fine supernaturali 672-675
De gratiae necessitate 675-678
De Ecclesiae natura, necessitate et membris 678
De natura Ecclesiae 679
De Ecclesiae unitate 679-680

PAGG.
De Ecclesiae necessitate 681-682
De membris Ecclesiae 682-683
De Episcopis in Ecclesia 684-693
De sancta liturgia
De sanctae liturgiae natura 693-695
De sanctae liturgiae signis et notis 695-696

FACULTAS THEOLOGICA NEAPOLITANA

Rectoris litterae 699
De Ecclesia Christi 701
De cognitione Dei naturali et supernaturali 702-703
De statu supernaturali hominis 703-704
De necessitate Baptismi et de sorte infantium sine eo decedentium 704-706
De theologia morali 706-707
De clericis 707-710
De cultu divino 710
De praecepto paschali 711-712
De Indulgentiis 712
De Matrimonio 712-713
De temporibus sacris 713
De prohibitione librorum 713
De fidei professione 714
De beneficiis ecclesiasticis 714-720
De poenis in singula delicta 720
De theologia pastorali
De catechismo biblico et dogmatico 720-722

PONTIFICIUM ATHENAEUM POONENSE

Rectoris litterae 725
De Ecclesia Christi 727
De statibus in Ecclesia 727
De efformatione cleri 727
De Missionibus 727-728
De unione dissidentium 728
De Mariologia 728
De unitate fovenda in iurisdictione 728
De unitate in legislatione Ecclesiae 729
De liturgia et textibus sacris 729-730

PONT. INSTITUTUM TORONTINUM STUDIORUM MEDII AEVII

Rectoris litterae – Vota 733-734

FACULTAS THEOLOGICA TREVIRENSIS

PAGG.

Rectoris litterae 737
De re dogmatica 739-748
De re morali 748-749
De re oecumenica 749-750
De re canonica 750-754
De re liturgica 754-770

FACULTAS THEOLOGIAE CATHOLICAE IN UNIVERSITATE BONNENSI

Quod dogmata fidei attinet 773
Quod sacram liturgiam attinet 773-774
Quod ius canonicum attinet 774

FACULTAS THEOLOGICA UNIV. FRIBURGENSIS HELVETIORUM

Rectoris litterae 777
De rebus moralibus 779-782
De rebus sic dictis « oecumenicis » 783-784
De antisemitismo a Christianis impugnando 784-786
De libris prohibitis 786
De unitate Christi ontologica et psychologica 786-788
De novo symbolo fidei componendo necnon de « professione fidei » 788-789

FACULTAS THEOLOGICA UNIV. OENIPONTANAE

Vota 793-794

FACULTAS THEOLOGICA UNIV. MONASTERIENSIS

Rectoris litterae 797
De fide in Deum 799
De Ecclesia Christi 799-800
De cultu divino 800-801
De iure canonico 801-802
De theologia morali 802
De theologia sociali 802-803

FACULTAS THEOLOGICA UNIV. ARGENTINENSIS

Rectoris litterae 807
Vota 809-811